6
20-c
28

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
21 A
23

6-20-c-28

XXXIV.12.25.

NICOLAI

BORBONII VANDOPE-
rani Lingonenſis, Nuga-
rum libri octo.

AB AVTORE RECENS AVCTI
ET RECOGNITI.

Cum Indice.



BASILEAE,

M. D. XL.

BIBLIOTECA ... VITTORIO EMANUELE ... ROMA

SOCIETATIS IESU IHS

TOTIVS OPERIS
περιοχή.

Hic ſunt libri octo. quattuor in prioribus
Puerilia inſunt: in reliquis & ſeria.

Lectori.

Ὦ φίλ᾽ ἀναγνῶστα ἤνιδέ τοι ὑθλήματα
Νεόμηκτα καὶ αὐξηθέντ᾽, ἀρχηγὸς ἃ πάλιν
Αὐτὸς δίδωσι. σύγγνωμον χρῶ, εἰ δοκεῖν.

Idem Latinè.

Amice, lector, en tibi Nugas denuo
Dat autor ipſe, & auctas & recognitas:
Tu, ſi placet, fruere his, boniq; conſule.

Poëta Borbonius ad Sebaſtianum
Gryphium typographum
ſolertiſs.

En tibi committo mea ludicra, candide Gryphi,
Vt ſubeant lucem pumice terſa tuo.
Intereà dum plura tibi ac meliora parantur,
Quæ nondum limam ſuſtinuêre ſatis.
Ergo tuo ex prælo fac talis prodeat iſte,
Vt uolitet toto ſplendidus orbe, liber.

εὐτυχῶς, σὺν θεῷ.

ANT. PE. RVCIANVS LECTORI ſalutem.

NÈ TE ab huius operis lectione, beneuole lector, nimia inſcriptionis humilitas auocet, uel tua potius opinio quòd recentis ſit poëtæ, habes hic uirorum grauiſſimorũ, ſummæq; exiſtimatione præditorũ, rectum ſyncerumq;, tum de autore, tum de opere, iudicium. Quos contra ſi ſenſeris, uel ob has, quas dixi, cauſas, uel dum minus fortaſſe diligenter leges, uide etiã atq; etiam, ne grande piaculum admittas, parumq; Chriſtianè agas. Dictator Cæſar, ſciſcitanti olim amico, quidnam omniũ difficillimum ipſi uideretur, reſpondit, iudicare. Caue igitur tu, de re nõ percognita temere pronũties: neu Ariſtophanem imiteris, qui Socratem auſus eſt in Nebulis appellare ut ſubtilium Nugarum artificẽ et antiſtitem: Σύ τε (inquit) λεπτοτάτων λήρων ἱερεῦ, &c. Quo ſanè in loco Ariſtophanes, quid aliud ipſe quàm λῆρον ληρεῖν, atque adeò, ἐς τὸν οὐρανὸν τοξεύειν uidetur? Nos igitur antiquos illos grammaticos, ſeu criticos, imitemur. Ii de alienis ſcriptis iudicabant, ſet rectè. neque enim iudicium anteuertebant calculi. Huiuſmodi cenſores M. Varro, & Horatius Flac. Ariſtarchos uocant. Et D. Hieronymus eru-

ditiſsimum ſui temporis quempiam, Ariſtarchum ſubinde nominat, qui alia probaret, pro arbitratu ſuo, alia damnaret. Set hæc ſatis. Bene uale, & hos Borbonianæ *adoleſcentiæ luſus eo animo lege, quo tibi ab humaniſsimo autore proponuntur.*

Eiuſdem carmen, ad eundem.

Forſitan ex titulo mendacia, Lector, ineſſe
In hoc libro putes mera:
Falleris, hoc animo ſi deſidet. excute rugas,
Et hoc opus totum lege.
Legeris? hoc iterum (mihi crede) iterúmq; legendo
Velle legere nunquam deſines.
Nil etenim aut uanũ hîc, nil non uel Apolline dignũ
Fiet legenti uſquam obuium:
Cuncta ſet inuenies iucunda, & idonea uitæ,
Lepidos ſales, caſtos iocos.
BORBONIVS *titulũ* NVGAS *quur fecerit iſti*
Poemati, aues cognoſcere?
Vt bene te fallat, teq; ut lucratus amicum
Bono in ſe retineat dolo.
Huc grauis accedit teſtis cenſura uirorum
Fama inclyta celebrium:
Qui, quàm non falſi fuerint, ſi legeris omneis
Nugas, ſcies: lege, ac uale.

DOCTISSIMORVM QVORVNDAM ET AMIcorum non uulgarium, ad NICOLAVM BORBONIVM Poëtã carmina.

Iacobi Tuſani, Græcarum literarum
apud Lutetiam regij profeſſoris,
ad Nugas N. Borbonij
ſui ἑξάστιχον.

ITE NOVO *doctæ deterſæ pumice* NVGAE:
I, liber, et domini ſcrinia linque tui.
I: quid ſplendidius? quid te limatius uno?
Addere quid cultus iam noua cura poteſt?
In lucem liuoris abi ſecurus edacis:
Omnia (uel Momo iudice) puncta feres.

Ioan. Samij poëtæ Laureati
diſtichon.

Θαυμάζουσι θεαὶ κοῦραι Διὸς ἐννέα τὴν σὴν
Εὐτυχί' ἠδ' εὔλογ' ὦ Βωρβόνιε γραφίδα.

Salmonij Macrini, ad N. Borboniũ
poëtam eximium, Ode.

Nos dicet ætas poſtera, Borboni,
Iunctos amoris fœdere mutuo,
Inſtanter unà cùm daremus
Ingenuis operam Camœnis.
Claudo ambulantes àt numeri pede,
Naſonis & te carmina ceperant:
Nos blanda uerò Flaccianæ
Fila lyræ, meliciq; cantus.
Laudem aſſecuti uerſibus, an ſecus
Simus canendis, aſſerere haud meum eſt:
Quum nemo ſit iudex ferendus
In propriæ ratione cauſſæ.
Cenſebit olim ſera fidelius
Aetas nepotum, quæ procul utpote ab
Omni ſit affectu remota
Aut odij aut nimij fauoris.
Pronunciare hoc iam licet audeam,
Te, Borboni, extra omnem ingenij aleam
Nunc eſſe, Muſæo lepôre,
Dulcibus atq; elegis locatum.

N. Beraldus lectori beneuolo.

Vis de Borbonio dicam quod ſentio? iure
Hunc uatem antiquis annumerare potes.

Pancratius Turbinius Venetus.

Πείθομ' ἐγὼ τῷ Βωρβονίῳ ποτὶ χείλεα βάψαι
Νηπιάχῳ μούσαιο νέκταρ πληθόμενον.

Chriſt.

Chriſt. Richerius Thorigneus Senoneñ. magni Galliarum Cancellarij à ſecretis,
Ad N. Borbonium poëtam.

Quòd tua tam noſtros diuina poëmata ſenſus
Alliciunt, decies & repetita iuuant,
Tamq; ipſis recreor, quàm qui, dum Sirius inſtat
Ardor, ad umbroſas uenit anhelus aquas:
Hoc, ſtimuli pulchris incluſi uerſibus, &, quæ
Affluit ex ipſis, gratia multa, facit.

Eiuſdem de N. Borbonij poëtæ operibus Iambicum,
ad lectorem.

Accedite huc uiri probi, huc accedite,
Quos uerſuum doctè, facetè, humaniter,
Poëticè ſcriptorum alit admiratio:
Referetis iſtinc, non leueis iactantias,
Non impudenteis gloriarum ſpiritus,
Non uerba faſtuoſa, & ignorantiam
Sui, appetitaq; poſterorum tempora,
Non impiam ullam orationem, deniq;
Non abſq; præda hamum, abſq; pomis arborem.
Borbonius iſtos ludere ludos non ſolet.
Prudentiæ, modeſtiæ, facundiæ,
Vrbanitatis plenus eſt. accedite huc
Ergo, & libenter legite. ueſtrum neminem
Legiſſe pœnitebit. Etenim, ecquis putet
Ex officina diuite & laudabili
Vile ac ineptum poſſe haberi pharmacum?

P. Moſcelli poëtæ laureati τετράστιχον,
in Nugas Borbonij ſui.

Magna quidem res eſt facundia, res quoq; magna
Doctrina eſt: pietas uincit utranq; tamen.
Hæc ſimul (ut cernis) tria per ſe ſingula magna,
Hoc, licet exiguum, quàm bene iungit opus?

Idem ad eundem.

Χαῖρ' ὦ Βορβώνι, ὦ πάντων ἥδιστε ποιητῶν,
Εὐφήμως περὶ σοῦ τί ξιόν ἐστι λέγειν;
Μοῖρα κακὴ ἡ ἐπειδὴ ἀπεῖλε τὸν Ὀρφέα δῖον,
Σοὶ ἐνὶ θρηικίην Φοῖβος ἔδωκε λύραν.

Cl. Piſonis Cymbri carmen.

Quiſquis tuorum non lepôre carminum
Capitur, poëta Borboni,
Quiſquis ſtylum facilem, & fluentem copia,
Venamq; non amat tuam,
Quiſquis modeſtiam iſtam, & integerrimos
Mores, & acta non probat,
Næ duriora adamante habet præcordia,
Eiq; fibra cornea eſt.

Gilberti Ducherij Vultonis.

Fleuerat antè ſuas dotes diuina Poëſis,
Et Latonigenæ iura ſepulta Dei:
Illi Borbonius (quo Lingonis ora ſuperbit)
Pro luctu, & lachrymis, reddidit omne decus.
Is, prius indigno fœdatas carmine lauros
Ornat, & antiqua fronde uirere facit.
Inuidet hanc ſortem Germanæ, fertq; moleſtè
Rhetorice: infelix, quur ego ſpernor? ait.

Borbonius mœſtam exhilarat facundus: & ambas
Ex æquo inſtaurat, nobilitatq́; Deas.

Eiuſdem ad Carolum Fontanum
Pariſien. Phaleucium.

Si, Fontane, ſuos meus libellos
Nugas Borbonius ſolet uocare,
Quòd ſint illepidi, inuenuſtuliq́;:
Eum errare putauerim, uel eſſe
Poëtam minimùm ſibi placentem,
Ne dicam, nimis, ac nimis modeſtum.
Contrà, ego illius eruditionem,
Necnon dexteritatem in omne ſummam
Scribendi genus, ac ſuauitatem
Mellitam inſpiciens, cum eo ſi eoſdem
Nugas dico: equidem Catullianas
Tum dico, ut lepidos, uenuſtulosq́;.

Ioannis Rænerij ad Nicolaum
Borbonium carmen.

Luminibusq́;, animisq́; hominum ſi obiecta manerēt
Perpetuò heroum fortia facta uirûm.
Hiſtorici fruſtra, fruſtra & præconia uatum:
Illa ſatis per ſe lucida facta forent.
Omnia ſed quoniam perdit carioſa uetuſtas,
Omnia tempus edax obliterare ſolet,
Hiſtoricis opus eſt, doctis quoq; uatibus, illa
Qui non mortali carmine concelebrent.
At uates ipſi, digniſsimà laude caterua,
Carmina non unquam quòd peritura canunt,

Non præconis egent: adde omnis carmine uatis
Quòd culto Aonij laus erit inferior.
Laudibus hos igitur quicunq; efferre parabit,
Inde putans illis nonnihil adijcier:
Stultus erit, facietq; idem uelut ille, nitenti
Qui phœbo accenſa uult bonus eſſe face.
Proinde uiros forteis uates cecinêre, ſed ipſos
Laus inter uates mutua, rara fuit.
Quum tu ſis igitur, uates doctiſsime, notus,
Luce ſatis, toto clarus & orbe, tua:
Laude tibi externa nihil addier, ac alienis
Eſſe tibi planum eſt non opus igniculis.
Magna tamen de te ſcribunt præconia docti,
Quas ego tam laudes non reor eſſe meras:
Quàm quas, dũ relegũt tua ſcripta, abſente loquutur
Te, ac animis de te concipiunt taciti.

Antonij Auguſti Aruerni Aquaperſei, ad lectorem
Ὀκτάστιχον.

Quis uates hodie celebris omni
In uerſus genere eſt? rogas? tot inter
Scriptores, mihi crede, noſtra nullum
Aetas nobiliorem habet poëtam
Noſtro Borbonio, nec ulla habebit.
Nugarum mihi teſtis eſt uolumen:
Quod ſi legeris, illius lepôres
Admirabere, ſentiesq; mecum.

Steph. Corbus poëta, de Borbonio.

Nuſquam hodie docti non ſunt: at Gallia fœlix
Βωρβόνιον τὴν ἔχει τὸ κλέος ἀοιδῶν.

Ianus Philoponus Franciſco Pucrio
à Beneſtæa, præclaro iuueni.

Franciſce, tu, qui litteras tanti facis
Et litteratos, & poëticos ſales,
En Gratiarum plenũ opus tibi. At (inquies)
Titulus Nugas mihi pollicetur: ah, caue
Titulus tibi imponat. Placet modeſtiæ
Autoris iſthæc nuda humilisq́; inſcriptio:
Quòd hoſce ludos, quos puer olim incœperat,
Honeſtiore indignos titulo exiſtimet.
Qui ſplendidis libros titulis ornant ſuos,
Plerunq; montium inſtar parturientium
Fiunt, & inde ridiculus mus naſcitur.
Lege ergo Nugas Borbonij, ſet ſerias.

Laurentij Staburij τετράστιχον.

Ὦ μάκαρ, ὦ γαλλῶν κοσμήτωρ ἠδ' ἀοιδῶν,
Οὗ λύρα κύκνειον κ' ἄμβροτον ᾆσμα χέει,
Βωρβόνι, ὦ μέλιτος γλυκίων φίλε, ἦνιδ' Ἀπόλλων
Σε στεφανοῖ, τ' αὐτοῦ χρύσεα πλῆκτρα διδούς.

Generoſiſsimo adoleſcẽti Henrico
Lautreco Fuxæo, Philip
pus Glyconius.

Nauarræ Dia Margaris
Regina, regisq́; unica
Soror Franciſci, & omnium

Heroi-

Herodum illa ingens decus,
Illa illa, Dia Margaris,
O` quàm tibi & tuæ fauet
Domui, Lautrece, dum ſacrum
Poëtam Borbonium tibi
Commendat, & numero iubet
Poſthac tuorum adſcribier.
Nam tu patris ueſtigia
Tui ſequutus, fortiter
Terra ac mari quæ geſſeris
Cantabit ille: nec ſinet
Vates tuus nomen tuum
Vnquàm mori: ò felix puer,
Felix adoleſcentule
Lautrece, felix, ter, quater,
Cui contigit domi uirum
Muſarum habere principem.

Theodori Rolonis diſtichon.

Ingenium, Muſas, Veneres, Charitesq́;, leporesq́;,
Vno uis dicam nomine? Borbonius,

B. Theocrenus Borbonio ſuo, Anno M. D. XXXIII.

Deambulanti hoc mane mihi, in cubiculo
Puer meus tua recitauit carmina
Latina, Græcaq́;: quæ ipſe iam antè legeram,
Relegeramq́;, captus pulchritudine
Muſæ tuæ, ò Dij, quàm uenerabilis Deæ.
Mi Borboni, uis aperiam paucis tibi

Quid ſentiam? peream, ſi quod numeris tuis
Guſtauerim unquam mel palato huic gratius.

Godefridus Beringius Carolo Pucrio
à Beneſtæa iuueni ornatiſs.

Borbonij, cuius mecum ſum, Carole, ſæpe
Miratus Muſam, iam colo amicitiam.
Quem laudare uirum dignè ſi uellem, opus eſſet
Vel centum linguis, oribus & totidem.
Nanq; ita naturæ innumeris eſt dotibus auctus,
Vnum ut in hunc omneis accumulaſſe putem.
Forma uirilis, adulta ætas, prudentia rerum,
Excultum ingenium, iudiciumq́; graue:
Adde tot exactam linguarum cognitionem,
Diuinum eloquium, Borbonium efficies.

Idem ad D. Rubellã Nicolai Borbonij amicã.

Aürea cæſaries, ò roſida labra, & ocelli
Blandi, ò frons hilaris, purpureæq́; genæ,
O' niueum ut cygni collum, ſtrictæq́; mamillæ,
A' calce ad ſummum ò bella Rubella pilum:
Non mirum, te Borbonius ſi deperit, atq;
Vult immortalem uerſibus eſſe ſuis:
Iuppiter ipſe ob te cupiat deſcendere Olympo,
Ob te iterum fieri bos, uel adulter olor.

Eiuſdem carmen.

Muſis digna quidem carmina, Borboni,
Nugas (ut minimè es nominis appetens)
Inſcribas licet: át nil mage ſerium
Eſt, & doctius, & gratius eſt nihil.

Pauli Galteri Matiſconen.

Quum ſuos omnis regio poëtas,
Borboni, doctos meritò celebret:
Non'ne te iactans tua iure plaudit
Lingonis ora?
Quippe qui pandas Helicôna totum,
Seu Sophocleo reſones cothurno,
Seu ſtylum in molleis elegos remittas
Carmine dulci:
Seu lyram plectro ferias eburno,
Seu iuuat quicquid numeris referre:
Te ſuis donis Charites bearunt
Auſpice Phœbo.

Eiuſdem Δίστιχον ad lectorem.

Quicquid priſcorum cecinit ueneranda poëſis,
Borbonius Nugis exhibet hiſce tibi.

Ἀντωνίου πορχέρδου τοῦ ῥουκιανοῦ.

Βωρβόνις γλώττῃσιν ἐπ' ἀμφοτέρῃσιν ἀοιδὴ
Ὦ κλυτὲ, λαμπρύνεις τῶν μένος ἡλικίαν.

Latinè utcunque.

Nobilis iſta tua, & par lingua in utraque poëſis,
Borboni, ut illuſtres tempora noſtra, facit.

Titi Aſturigis Rheti carmen.

Inter metalla excellit ut aurum cætera,
Sic Borbonius eſt omnium
Huiuſce ſeculi uatum decus: uelit
Nolit'ue liuor impudens.

Steph. Piloſtrj Iuriſc. carmen, ad lectorem.

Dulcia quiſquis amas, ſunt hic dulciſſima lector:
Vtile ſi mauis, utile cernis opus.
Quòd ſi utrunq; uoles, opus hoc utroq; refertum eſt:
Quo paſcas animum, quoq; diſertus eas.
Borbonius noſter ſic miſcuit utile dulci,
Temporis ut noſtri iure uocetur honos.

Carolus Fontanus.

Eſſe ego ſi cupiam, diciq; poëta Latinus:
Borbonius dici, ſed magis eſſe uelim.

Heduarus Mamercus, Nicolao Borbonio Vandoperano ſuo.

Qui Muſis, linguæq; fauent Graiæ, atq; Latinæ,
Scripta admirantur, Vandoperane, tua.
Docti omnes paſſim celebrant tua carmina: quæ tu
Cùm dicis Nugas, nobiliora facis.

Florus Rigoſius Italus.

Vſq; errauimus Itali, fatemur,
Qui Gallos ſtupidosq;, barbarosq;,
Amuſosq; uocauimus malignè.
Nam, Gallos alios ut hic omittam
Non paucos, utriuſq; honore linguæ
Illuſtreis, quid habet, uel unquam habebit
Maius Borbonio orbis hic poëta?
Vſq; errauimus Itali, fatemur.

L. Stella Iurecõſ. N. Borbonio Vandop. ſuo.

Lingones, imò omnis te Gallia gaudet alumno,
Borboni: & hæc ætas te quoq; uate tumet.

Οὐκ ἄνευ τῶν Μουσῶν.

POETA BORBONIVS, AD LIBRVM SVVM.

I, liber, i, poſtquàm lucis te tanta cupido
Cepit, nec ualeo te retinere domi.
I, fauſtis auibus, peſtemq́; cauere memento
Naſorum, & linguas comprime: tutus eris.

Τοῦτο καλῶς ἐστι.

AD ZOILVM.

Tun', Zoile, hanc uides poëtæ imaginem?
Vides amabile os? & laurigerum caput?
Vides hyberna candidius pectus niue?
Vides honeſtis & ſceleris puras manus?
Vides? Quid expalleſcis? Ah miſer, miſer,
Vide: & uidens ea quæ nolis, medius crepa.

NICO-



NICOLAVS BORBONIVS VANDOPERAnus Franciſco Tuano Pariſienſi, iuueni modeſtißimo, D. Lautreci à ſecretis Sal.

CVM Nugas tenueis meas, quibus olim, ut per ætatulam licuit, iocatus ſum, ſtudioſæ iuuẽtutis manibus teri paßim, atq; adeò pleriſq; eſſe in delitijs animaduerterem, cœpi eas recognoſcere. Quid multa? Vapularunt egregiè. Seuerum enim iudicem me præſtiti, etiam in ijs, quæ non egere lima uidebantur, uel in quibus meritò Suffenus eſſe potuiſſem. Quod autem unum uolumen erat, planeq; (ut ille ait) rudis indigeſtaq; moles, nunc in aliquot libellos digeſtum ad te uenit, Tuane iuuenũ candidißime. Quod munuſculum tanquam æternum apud poſteros amicitiæ noſtræ monimentum eò gratius tibi fore confido, quò huius animi mei penetrale notius habes, atque perſpectius. Noſti tu, ſi quis ami-

Suffenus.

corum alius, quàm ingenuè tum dicere, tum facere omnia ſoleam, quamq́; ab omni ſimulandi atque diſsimulandi fuco ſim alienus. Sed de his aliâs. Ex tuis, & Dominici Beherami *congerronis tui, imò noſtri, literis, cognoui te uehementer ſcire cupere, quid nunc, otiolū nactus, agam, ac mediter. Pro me tibi epigramma reſponderit, quod modò in hoc lectulo, cùm redormire non poſſem, in gratiam tuam tale feci:*

Comparatio ab apibus.

Sicut apis uerno per amœnos tempore ſaltus,
Floribus ex uarijs dulcia mella legit:
Sic ego adhuc iuuenis, percurro uolumina multa,
Accumulans Muſis *commoda multa meis.*
Si Deus *huic aliquod ſpatium uolet addere uitæ,*
Plurima olorina carmina uoce canam.

Ioppas apud Virgil. Aeneid. 4.

Qualia Sidoniam ad menſam crinitus Ioppas
Dicitur aurata perſonuiſſe lyra.
Inuictas Gallorum acies, præclaraq́; regum
Noſtrorum dicam facta, tonante tuba.
Nec mihi dentatus conanti talia liuor
Obfuerit: contra quis uelit ire Deos?

Senarios Iambicos habuiſſes, niſi cogitaſſem, quātopere Elegiacis *ſoleas delectari: quo in genere me planè regnare dictitas: quaſi uerò in cæteris frigeam. Atqui hodie in Sapphicis multi mihi palmam (abſit uerbo inuidia) tribuunt.* Et Regius *poëta* Salmonius Macrinus *odas meas mirè deprædicat. Sed alia alijs cordi ſunt. Quare optimè dixit poëtarum princeps,* ἄλλος γάρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτέρπεται ἔργοις. *Cæterum de furunculo*

culo illo, qui te iam toties auro emunxit, quid ſtatueris, quid actum ſit, multum aueo ſcire. Si me audis, caue impuriſsimum illum ſcurram, quem noſti ἱκανώτατον πάντων ἀνθρώπων προσποιήσασθαί τε καὶ πιστώσασθαι εὔνοιαν, *ut ait de Seuero* Herodianus. *De aue incendiaria, quoniam nuper cùm unà eſſemus, in eius mentionem incidimus, tetraſtichon noſtrum accipe:*

In ueterum legimus luſtratam annalibus urbem:
Cùm uolitans ignem dira tuliſſet auis.
Spinturnix hodie paſsim uocitatur, ab illis, Spinturnix.
Qui ſine iudicio prodere multa ſolent.

Niſi mihi religio eſſet hunc famulum tuum iam dimitti poſcentem remorari, prolixioribus literis tecum garrirem. Cùm iſtinc à uobis diſceſſurus eſſem, quid mihi promiſeris te mea cauſa facturum, meminiſti. Si illum captas, de quo antiquiſsimus poëta dixit, Καιρὸς δ᾽ ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος, *rectè facis. Is eſt ille* καιρὸς, *quem noſtri ueteres* Latini *fœminã fecerũt,* Occaſionẽ *appellantes. De cuius ſimulachro uide unũ aut alterũ epigramma apud Auſonium. Tu igitur, quum ſumma flagres gratia apud communem noſtrum herum* D. Henricum Lautrecum, *quo in principe ſpes, opesq́; meæ omnes, ſecundum Deum, ſitæ ſunt: expecto, ut illius generoſiſsimũ animum in dies mihi fauentiorem reddas.* Idem *cæteros amicos, qui iſtic ſunt, facere ſedulò, facturosq́; eſſe, mihi perſuadeo.* Harpocrati *meo nondum* τὴν κολοφῶνα ἐπέθηκα. *Quod opuſculum, & mihi honori, & ſtudioſis omnibus uoluptati fore ſpero. Vn*

Καιρός.
Occaſio.
Harpocrates Borbonij.

de in fronte ipſius Harpocratis *lectorem admonere hoc tetraſticho, quaſi præfatiuncula, non dubitabo.*

Multa meis Nugis *admixta, ut ſeria, lector,*
Gaudeo, & eſſe oculis utraq; grata tuis.
Sed ſi Borbonium *uis noſſe, ualere iubeto*
Seria cum Nugis: Harpocratemq́; *lege.*

Bene *uale,* Tuane *amicorum ſuauiſsime: & quum ſis ualetudinarius, naturaq́; prædelicatus, ſtude ualetudini: pectusq́; iſtud* Muſis, *hoc eſt, humanioribus diſciplinis natum, ſerua. Saluta meis uerbis* Ber. Badetum *iuriſc.* Ioan. *Carboſtum Camicam, Arnaldum Gaßiſſanũ, cæterosq́; amicos.* E *lectulo meo, admodũ diluculo, flagitante hoc tuo atq; urgente famulo, meo uerò fortiter adhuc ſtertente. Lugd.* IIII. *Cal. Aug. Anno Domini Chriſti* M. D. XXXVIII

NICO.

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis, Nugarum liber primus.

Ad lectorem. CARMEN I.

R*IDETVR meritò, qui ſemina mandat arenæ,*
Et ſterilem in ſicco littore ſulcat humum.
Sic ego: ſi inuitis Muſis & Apolline, lector
Optime, te dignum ſcribere coner opus.
Qualiacunq; tamen ſunt hæc, ſi legeris, eſſe
Dic aliquid: ſi non legeris, oro, tace.

Ad doctos. CAR. II.

Λιτὰ τ' ἔπη γράφω, ἀλλ' οὐκ ὦ πολυΐστορες ὑμῖν,
Παῖς ταῖς γε ξυμπαίζω παίγνια παῖσιν ἐγώ.

Ad eoſdem. CAR. III.

Ite aliò docti: non ſunt hæc carmina uobis
Facta, nec in ueſtras digna uenire manus.
Hîc nihil eſt prorſus caperata fronte legendum,
Vel quod Ariſtarchi lima ſeuera notet.
Atq; hunc ne triſtis uexet cenſura libellum,
Pro titulo Nugas ipſe libenter habet.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Haud facilè excelſo de monte reuellitur ornus,
Cuius radices intima terra ligat.
Sic ſtudium, teneros quo quiſq; exercuit annos,
Hoc placet, hoc ſerò dedidiciſſe poteſt.
Ergo mihi adflauit talcis ætatula luſus:
Aut legat, aut faciat, qui meliora uolet.

De ſeipſo. CAR. IIII.

Quum laude & famâ uolitem ſuper æthera, ſcribens
Nugas, ſi ſcribam ſeria, quantus ero?

Ad Rubellam amicam. CAR. V.

Qur fugis pulchrum iuuenem, puella,
Me ſacrum Muſis caput, atq; uatem?
Quis tuo: ſi me uideas, amore
Dignior alter?
Vt modis pallent ſimulachra miris
Quos uocant manes: ego ſic profectò,
Sanguinem cuius percuntis omnem
Ebibit ardor.
Si meum noſcas, penituſq; cernas
Spiritum, uirgo, miſerè flagrantem,
Forſitan caſto patiaris olim
Corde recondi.
Hic caput circum uolitans, comaſq;
Aureas, nunquàm uagulus quieſcit,
Donec optatis tibi ſub labellis
Sidat anhelus.
Hic ſtupens, puris oculis inhæret,
Et diu ſanctos ueneratur ignes,

Qui Deos urunt, hilariq; uincunt
Sidera luce.
De ſacris hauſto facibus furore,
Quosq; iam ſenſim ſubeat receſſus,
Dum tui tandem penetret pudicam
Pectoris ædem.
Tunc nimis dici potero beatus,
Tunc bonos inter referar poëtas,
Dulce tunc edam morientis inſtar
Carmen oloris.

E Græco Σαμίε. CAR. VI.

Non miſer eſt, qui uiuit amans ſecurus amorum,
Cui uult lætus Amor, læta fauere Venus.

Ad lectorem. CAR. VII.

Quem iuuat immenſi cauſas inquirere mundi,
Fulmina quæ fiant, qua ratione cadant:
Quur ſol æſtiuus percurrat ſegnius orbem,
Noctibus hybernis quæ ſit, & unde mora:
Quid mare, quid uentus, quid terra, qd ignis, & aër,
Vnde hominum, uolucrū, quadrupedumq; genus:
Res geſtas regumq;, ducumq;, & bella gigantum,
Aut ſi quid tragicum mirificumq; magis:
Hæc (inquam) qui noſſe uolet tam grandia, abito:
Iſta tibi eſt alio fonte leuanda ſitis.
Hic nihil eſt: aut ſi quid ineſt, audacior ætas
Muſaq; colludunt, & puerilis amor.

Ad Muſam. CAR. VIII.

Μοῦσα, τί μοι τάδε σκαιὰ, καὶ ἐκμελῆ, ὦ θεὶ ἐπιπνεῖς;

Muſa reſpondet. CAR. IX.

γήραι, ὦ παίδωμ φίλτατε, ταῦτα ποιῶμ.

Ad quendam iuuenem. CAR. X.

Non erat ut bellis Nereus,*ſed amoribus aptus:*
Sic tu,uirgineo cui ſedet ore rubor.
Ergo quur rigidos enſes præponis amori?
Tu? præ quo Nereus durus,& acer erat?

In zoilum. CAR. XI.

Oſſa tegat modicus tua,zoile,puluis,ut illa
Effodiant citius dilanientq́; canes.

In quendam. CAR. XII.

Omnis homo eſt mendax,hoc regius ille prophetes
Dixit,& experior uerius eſſe nihil.
Pollicitis qui nos ingentibus obruit,& qui
Impoſtor,nobis nil niſi uerba dedit:
Mendaces homines ille auerſatur,& odit,
Propterea & uulgo relligioſus homo eſt.

Puerperæ Margaretæ N. epitaphion. CAR. XIII.

Aſpice,quæ uixi ter quinq́;,nec amplius,annos,
Nec potui coniunx menſibus eſſe decem,
Margaris hic ſita ſum,primo pulcherrima partu
Quæ peperi geminos:ut peperi,perij.

E Græco τοῦ Ἀντιφάνους. CAR. XIIII.

Infelix,numeras:at tempus quod fugit,ipſum
Vt parit uſuram,ſic parit & ſenium:
Nec bibis interea,nec tempora fronde reuincis,
Neſcis quid ſit odor,cantio,riſus,amor.

Sed morière breui, miſer, & tam multa relinquens,
Ex multis unum uix referes obolon.

In Hugonem. CAR. XV.

Scis quæ fabula per forum uagetur,
O Hugo? à puero ſolere lectos
Te permeiere nocte dormiendo.
Nunc uerò tibi bella quum ſit uxor,
Nec ſoli tibi bella, talis iſtam,
Hugo, matula mentulam decebat.

In eundem. CAR. XVI.

Si tibi ſint omnes, quos India mittit, odores,
Hugo, quos Arabes, Aethiopesq; nigri:
Si tibi ſit (breuiter) quicquid capit orbis odorum,
Ore tuo putet nulla latrina magis.

In quempiam impium. CAR. XVII.

Ἀνθρώπου ἀσεβοῦς, καὶ αἰσχρῶς αὐτῷ ἐνὶ ζῶντος,
Τί φέρει ἐκ πάντων γῆ ἐλεεινότερον;

Ad Carolum Pucrium. CAR. XVIII.

Quod datur, exiguum eſt: animum ſet reſpice dantis,
Carole, & hunc magni muneris inſtar habe.

Ad Rubellam. CAR. XIX.

Viue puellarum belliſſima, uiue Rubella:
Te, mea lux, uiua, uiuere dulce mihi eſt.
Pone graueis curas, atq; omnia uerba malorum
Contemne, æterna eſt gloria parta tibi.
Crede mihi, uiues per me, Dea facta, Rubella,
O felix uirgo tempore nata meo.

Ad eandem. CAR. XX.

Surripui tibi, dum dormis, mea bella Rubella,
Baſiolum, dulci nectare dulce magis.
O male me ſanum, qui, quod me torquet & urit,
Id dicam dulci nectare dulce magis.

Alluſio ad Græcum τοῦ Γαλλαλᾶ, in auarum quempiam. CAR. XXI.

Diuitias ut Crœſus habes, ſet uiuis ut Irus:
Ergo alijs diues, tu tibi pauper eges.

In Probum CAR. XXII.

Iactas te bene noſſe cum Latinas,
Tum Græcas, Probe, litteras: at illæ
Quas fronti tibi carnifex inuſsit,
Te reddunt (puto) litteratiorem.

Ad Citharam. CAR. XXIII.

O cithara, ô quoties colludimus, adſit Apollo,
Et moueat digitos, & regat ille meos.
Adſint & Charites, Muſæ, & cum matre Cupido,
Adſit lætitiæ Bacchus & ipſe dator.
Frigeat ut præ me Linus, & Terpander, et Orpheus,
Et Thebis muros quem fabricaſſe ferunt:
Vt mea miteſcat, fidibus mollita canoris,
Fiat & ex dura blanda puella mihi.

In Canoppum. CAR. XXIIII.

Seria cùm tractas, iuras: cùm ludicra, iuras:
At tibi, cùm iuras, credo, Canope, minus.

Ad Dra-

Ad Draconem Budæi filium.

CAR. XXV.

Si quiſquam antiqui iuris ſenſa abdita callet,
Atq; idem linguam fecit utranq; ſuam:
Hunc te illum & iuuenem Budæo hæc ſecula debent:
O fili, ò iſto digne parente, Draco.

In quempiam. CAR. XXVI.

Quur ſolito cures corpus ſtudioſius iſtud,
Os, oculos, crines, pectora, colla, manus:
Deſino mirari: ſcio cauſam: ah, non decet ingens
Dicere flagitium, quod facis, & pateris.

In eundem. CAR. XXVII.

Quos ignes habeas, ſcimus: qua lampade flagres:
Scimus item, cuius ſit generis, quod amas:
Iſtos concubitus, iſtos decet ignis amores:
O Tellus, ferre hæc talia monſtra potes?

In eundem. CAR. XXVIII.

Pergin? quæſo, uide ne tu me dicere cogas
Plurima, quæ cogit me reticere pudor.

In Marcum auarum. CAR. XXIX.

Marcus auarus heri cùm ſe ſuſpendere uellet,
Sexq́; obolis miſero reſtis emenda foret,
Territus hoc precio, Reſtim (inquit) non emo tanti:
Quinq; obolis tandem conuenit, atq; perit.

In Gargilium, celebrem quidem illum, ſet tamen ineptum picto-rem. CAR. XXX.

Quam mihi Gargilius, magno uir nomine, pinxit
Muſtel-

Muſtellam, hanc poſſis dicere muſtricolam.

E Græco Luciani, uel potius Auſonij imitatio. CAR. XXXI.

Fac citò, quod gratũ eſſe uelis: quod fit citò, gratum:
At contrà, ingratum, quod citò non fit, erit.
Gratia quæ properat fieri, gratiſsima: ſet quæ
Serò fit, hæc non eſt gratia grata minus.

Ad L. Stellam. CAR. XXXII.

Quàm ſit dulce mihi tecum eſſe, & uiuere, Stella,
Dicere non poſſum, credere nemo poteſt.

Ad Caſſiam puellam. CAR. XXXIII.

Caſsia nomen habes (fateor) dulciſsima uirgo:
Peccaui, ò mea lux, Caſsia nomen habes.
Peccatum agnoſco: at quum ſis dulciſsima ſemper,
Dicebam meritò Caſsia, te caſiam.

In auaros. CAR. XXXIIII.

Cùm moritur, lachrymat, non quòd moriatur, auarus:
Sed loculum tanti quòd ſibi nollet emi.

De Aulo puero. CAR. XXXV.

Si tibi conferret Ganymedem Iuppiter, Aule,
Pulchrior ambigeret uel ſuus eſſet uter.

Ad Deſiderium Eraſmum Roterodamum. CAR. XXXVI.

Quàm fulgent hodie diuina humanaq; ſcripta,
Quàm fulgent ſtudio, Roterodame, tuo.
Huc docti, indoctiq;, ſenes, iuuenesq;, uenite:
Aſpera quæ fuerat, plana & amœna uia eſt.
Has gemmas olim ſcioli calcare fuerunt,

Barba-

Barbarieq́; auſi dedecorare ſua:
Polluerant fœdi tam ſacra roſaria porci,
Putruerat longo lingua Latina ſitu:
Reddita res uerbis, & rebus reddita uerba,
Omnia ſunt claro lucidiora uitro.
Priſca bonis rediJt uirtus & gratia libris,
O quantum hæc ætas debet, Eraſme, tibi.
Sis fœlix, uenerande ſenex, cœleſtia cuius
Scripta docent doctos, erudiuntq́; rudeis.

In Lopidem Eraſmi obtrectatorem. CAR. XXXVII.

Qui uomit ampullas, & ſeſquipedalia uerba,
Obſtrepit & ſtudiJs, Roterodame, tuis.
Qui tumet Hiſpana, petulans, & barbarus, aura,
Hunc par eſt lapidem dicere, non Lopidem.

In eundem. CAR. XXXVIII.

Qui Lopidem norunt, cognomine, pectore, greſſu,
Hunc Lopidem, lapidem, loripedemq́; uocant.

Serui cuiuſpiam epitaphion. alludit ad antiquum illud ἄδηλον, Μάνης οὗτος ἀνὴρ ἦν ζῶν, &c. CAR. XXXIX.

Hic uir, ſeruus erat uiuens: nunc miſſus in Orcum
Dario magno ſe uidet eſſe parem.

In Candorium. CAR. XL.

Morte patris diues factus, Candorius hæres,
Scortatur, noctes luſitat, atq; dies:
Decoctis patriJs opibus, me pœnitet, inquit:

Hoc

Hoc eſt, quod dicunt, ſero Phryges ſapiunt.

Tyranni cuiuſpiam Nerone Neronioris nefarium uotum hoc diſticho aſtrinximus. CAR. XLI.

Τοῦ πυρὶ μιχθήτω, καὶ σὺν φίλῳ ἐῤῥέτω ἐχθρός,
Ζῶντος ἐμοῦ, τί μέλει; εἴτε θανόντος ἐμοῦ.

In Candilium, è Græco Σαμίου. CAR. XLII.

Quem noſtis, bonus ille litterator,
Ille (inquam) optimus, ille pædagogus,
Et dux Candilius puellulorum, &
Palpator femorum puellularum,
Doctus cædere, uerberare doctus,
Culos uerrere doctus, & ſecare.
His ille artibus & domos, & agros,
Et multùm ſibi comparauit æris.
Nunc idem tumidus ſecundiore
Fortuna, atq; ſui immemor, relinquit
Curam gymnaſij, in forumq; tranſit.
Hic num Candilius ſapit magiſter?

In Charidemum. CAR. XLIII.

Sciolus, loquax, & litterator improbus,
Et hiſtrio nequiſsimus,
Nihiliq; homo eſt Charidemus, & ſcortillum habet:
Dignum patella operculum.

Ad Mainum. CAR. XLIIII.

Si poſſem, uellem te uiſere ſæpe, Maine,
Interea hîc fixum dum tenet aula pedem.
Set mihi relligio eſt, te coram, uertice tanto

Hiſcere

Hiſcere, nec poſſum lumina ferre tua.
Rex tibi Franciſcus, ſua qui tria pignora credit,
Non patitur natis te procul eſſe ſuis.
Sic uiſum ſuperis. feliciter Aulicus eſto,
Et nos, à nobis ſicut amaris, ama.

De Franco puero. CAR. XLV.

Ludenteis uiridi pueros in gramine uidit
Alma Venus, quorum de grege Francus erat.
Francus erat nudus, forma ſpectabilis, & quem
Ponè ſequebatur cætera turba ducem.
Huius in aſpectu Dea mirabunda pependit:
Ni fallor, puer hic, eſt meus (inquit) Amor.
Mox puerum amplexa eſt ridens, blandeq́; locuta eſt,
Et nomen didicit, baſiolumq́; dedit:
Atq; uale dicens, felicibus utere fatis,
Fauſtaq́; (ait) Veneris numina ſemper habe.

Ad eundem. CAR. XLVI.

Si tibi Amor geminas humeris accommodet alas,
Armaq́; crudelis quæ gerit ille, geras,
Atq; ita compoſitum uideat te mater Amoris,
Non illum, ſet te deieret eſſe ſuum.

In Mamillum. CAR. XLVII.

Sarmentum eſſe uocabulum Latinum
Nulla fronte negat Mamillus, ô quàm
Sarmentarius hic homo eſt Mamillus.

De ſeipſo. CAR. XLVIII.

Qui uolet, argenti cumulos miretur, & auri,
Et lapidum Eoo quicquid ab orbe uenit:

Hippo-

Hippocratem ediſcat, legesq́;, humanaq́; iura
Qui uolet, & magni flagret amore lucri.
Contentus cithara, Muſisq́;, meaq́; puella,
O', tibi ſi inuideo, Iuppiter, emoriar.

In Mamillum. CAR. XLIX.

Mentiris toties mihi, ſet iſthuc
Ipſum tam bene, tam facis diſertè, ut
Omnes iam uideant, Mamille, qui ſis,
Orator malus, & bonus Poëta.

CHRISTVS loquitur. CAR. L.

Aër, Terra, Fretum, Syluæ, Mons, Ignis, Olympus,
Omnia tranſibunt: ſet mea uerba manent.

Ad Carolum Pucrium. CAR. LI.

Cùm tibi pontificum ueneranda in ſede locato,
Fulgebit rutilo crine bicornis apex,
Tunc me, tunc facies dignum iſto culmine uatem,
Si modò tu dicas, Euge poëta, ueni

In Rufum, alienarum uigiliarum ſuppilatorem. CAR. LII.

Quum mihi ſurripias noctu mea carmina, Rufe,
FVR. *Litterulis debes nomen habere tribus.*
Prima, caput Famæ, F. mediū dat prima Volucris, V.
Te peragit Latij littera prima Remi, R.

De ſeipſo, & Rubella. CAR. LIII.

Pallet mœſta ſimul, ſi mœſtus palleo: lætus
Oſcula ſi poſco, læta Rubella rubet.

Ad Ioſam gymnaſiarchū, amicū. CAR. LIIII.

Cùm pueros ornas, ac formas, optime Ioſa,

Moribus

Moribus integris, litterulisq; bonis,
Munus obis, quo non aliud præſtantius ullum,
Nulla eſt in terris functio pulchra magis.
Quòd ſi ingrata negat mercedem turba malorum,
Perge, laborantem præmia digna manent.
Qui teneram ætatem nobis commendat IESVS
Fœnore cum multo reddet, amice, tibi.

In Rhomam. CAR. LV.

Rhoma fuit: nequeo breuius te Rhoma periſſe,
Dicere: quid breuius dicere, Rhoma fuit?

Ad Galeatum. CAR. LVI.

Cùm tibi pollerent iuuenili ſanguine uires,
Integrumq; foret robur ad arma potens:
Iure tibi, Galeate, data eſt heroica palma,
Pacis & armorum laus tibi prima fuit.
Quid memorem inſignem uirtutem, & fortia facta,
Quorum tota memor Gallia ſemper erit?
Nunc etiam uiridis ſupereſt & cruda ſenectus,
Visq; animi creſcens, ingenijq; uigor.
Nil igitur mirum, ſi te reſpublica gaudet
Talem à conſilijs principis eſſe ſui.
Hectora ſet ſi non dignè cantauit Homerus,
Nec potuit, moueo quur ego maius opus?

Ad lectorem. CAR. LVII.

Miraris quòd in his nugis ſim totus ineptis,
Quodq; pili faciam totius orbis opes:
Deſine mirari, & teipſum tu reſpice: uoluo
Hoc ſaxum, quod me uoluere fata uolunt.

In Chærinthum. CAR. LVIII.

Te,Chærinte,ſenem nemo eſt qui neſciat eſſe,
Te uetulum nemo neſcit olere caprum.
Diſcinctus tamen incedis,iuuenemq́; per urbem
Mentiris,tincta compoſitaq́; coma.
Sic te poſſe putas imponere,ſtulte,puellæ,
Quæ uafra te ludos,delitiasq́; facit.
Obſeruat,Chærinte,tamen,captatq́;,fatemur,
Non te,ſet numos(quos amat illa)tuos.
I,miſer,& puero uerum mihi crede monenti,
Turpiter inſanit captus amore ſenex.

Epitaphion eiuſdem. CAR. LIX.

O hoſpes,carmen breue(ſi uacat)hoc lege,quæſo.
Hic tumulus iuuenem continet,atq; ſenem.
Ii duo ſunt tamen unus homo,Chærintus amator.
Nempe,ſenex annis,iudicio iuuenis.

In Gloſſerionem iactanticulum. CAR. LX.

Contrà quàm deceat bonum poëtam,&
Præter rhetoris optimi decorum,
Qui ſe iactitat eſſe nunc poëtam,
Nunc ſe rhetora prædicat diſertum,
Muſarum rudis uſquequaque planè,
Ignarum caput artium bonarum,
Hic eſt Gloſſerio,ille glorioſus.

Mors. CAR. LXI.

Maxima pœnarum,Mors,pœnas terminat omnes:
Qui moreris,Chriſto fide,beatus eris.

E Græco

E' Græco Μακεδονίου ὑπάτου. CAR. LXII.

Theſaurum in ſomnis quidam tractabat auarus,
Hunc ſomnum eſſe ſibi perpetuum cupiens.
At manè, ut uidit, poſt ſomni lucra, priorem
Pauperiem, ad ſomni gaudia rurſus abit.

In Porculum. CAR. LXIII.

Si te, Porcule, furta, ſi rapinæ
Numatum faciunt, & otioſum,
Nil miror, tibi quando quæ propinat
Adridens tot opes, & illa cæca eſt,
Fallax, perfida, peſtilens, iniqua:
Primum quenq; ſibi obuium beare, &
Fortunare ſolet: beare quenquam
Si terrena modò, & caduca poſſunt.

Fides Chriſtiana. CAR. LXIIII.

Inconcuſſa fides cœlum morientibus offert:
Scilicet in nobis eſt opus illa Dei.

Ad D. Iac. magiſtrum equitum. CAR. LXV.

Dedecus eſt, lacerum pannoſumq; eſſe poëtam,
Qui ſtudijs Muſarum inhians tibi ſudat, & alget:
Quiq; tui generis ſplendorem, & fortia facta,
Fortunasq; tuas, in cœlum carmine tollit.

Θρῆνος. CAR. LXVI.

Quorſum hūc miſerrimū, quorſum hūc traho ſpiritū?
Quur uiuo, quum ſit morte uita amarior?

E' Græco τοῦ Δημητρίου. CAR. LXVII.

Pauper eram iuuenis, ſenio confectus abundo

 Diuitijs,

Diuitijs, mihi ſors, commoda neutra fuit.
Olim uti poteram, cùm res fortuna negabat:
Nunc uti nequeo, cùm nihil illa negat.

In hirundinem ſub Medeæ ſtatua nidulantem. CAR. LXVIII.

Medeæ ſtatua eſt. natos cui credis, hirundo?
Ferto aliò: uiden', hæc mactat ut ipſa ſuos?

In canem D. Iuſti. T. CAR. LXIX.

Si celereis damas potes, & præcurrere ceruos,
Syluiuagos capros, & genus omne feras:
Quur porcos, uaccasq́;, & oues, uitulosq́; laceſsis?
Manſuetumq́; cupis dilaniare gregem?
Parce: ut ſis domino dignus, re, & nomine, iuſto.
Quem ſua plebs, tanquam pacis Aſylon, habet:
Ille nihil patitur fieri ui, æquiſsimus heros:
Parce, putas quicquid corripis eſſe tuum?

Alluſio ad illud diſtichon Platonis, quod citatur à Gellio: Τὴν ψυχὴν ἀγάθωνα φιλῶν, &c. CAR. LXX.

Oſcula dum capio, ſubit ecce labella puellæ
Aegra anima, & properans ut fugitura fuit.

Ad Philippum à Camera, Card. Bolognium. CAR. LXXI.

Sunt quibus hæc ætas ſit ferrea uiſa, Philippe,
Quiq́; boni in terris nil ſupereſſe putent:
Nunc (clamant) perijt uirtus, doctrina, fidesq́;,
Et pudor, & ueræ relligionis amor.
Falluntur: ſed ubi his dabitur te noſſe, uidebunt

Quàm

Quàm ſit iudicij regula falſa ſui.
Eſſe tui paucos ſimileis, hoc ſcilicet unum,
Quod meritò doleant, quod'ue querãtur, habent.

Mœror. CAR. LXXII.

Tabeſcunt homines nimio mœrore, nec ulla
Quæ proſint homini commoda mœror habet.

De ſe, & Cupidine. CAR. LXXIII.

Oblatæ iuuenem dum forma uirginis ictum
Me putat, elata lampade, riſit Amor.
Vt uerò Hippolytum caſto me pectore uidit
Vincere, demiſſa lampade, fleuit Amor.

In quempiam importunum baſiatorem. CAR. LXXIIII.

Oſcula uis tibi dem; lotij turpiſſime potor:
Non tibi, ſet Muſis oſcula ſeruo mea.

Ad Claudium T. pontificem opt. CAR. LXXV

Ecce tibi Iani fauſtæ rediere Calendæ:
Præſul, ab Hectorea nobile ſtirpe genus:
Mittere non poſſum pro ſtrena munera pauper,
Qualia dat diues, qui dare magna poteſt.
Carmina ſet diuûm ſunt munera, carmina mitto:
Hæc legito, magni muneris inſtar erunt.

In Bellerium. CAR. LXXVI.

Ni mihi Bellerius merito bene, uerba dediſſet,
Neſcirem fallax beſtia quàm ſit homo.

Εἰς τραῦτόρ. CAR. LXXVII.

Si tibi Bellerius montes promiſerit auri,

Mellea ſi dederit uerba, dediſſe puta.

Ad Luc. Stellam. CAR. LXXVIII.

Et deſiderio tui uidendi
Arſi ſemper, & uſque deflagraui.
Nunc demùm mihi, cui tuos ocellos
Coràm cernere, candidumq́; pectus
Contingit, ſupereſt nihil petendum
A` Dijs, ni ut tibi, Stella, largiantur,
Quod nouere tuæ eruditioni
Deberi, ueneriq́;, gratiæq́;.

E` Græco λουκιλίου. CAR. LXXIX.

Si tibi, qui ceruis, & qui cornicibus, anni
Debentur, meritò tot tibi quæris opes.
At quum ſis hominũ, & ſenium quos opprimit, unus,
Tantarum ſtimulus te caue perdat opum.
Ac, ne poſt tantos pereat tibi uita labores,
Et, quicquid cumulas, glutiat alter edax.

Amicitia. CAR. LXXX.

Quæ inter bonos amicitia coäluit
Teneris ab annis, permanet.

Ad Muſam. CAR. LXXXI.

Quûr ſic aßiduo turgent tibi lumina fletu,
Muſa? dies nobis ecce ſerena redit.
Carolus Hectoreæ gentis decus, ille fauendo,
Præſentis nobis numinis inſtar erit.
Quò nos efficiat, nil non agit ille, beatos,
Nec ceſſat noſtris illachrymare malis.
Qur iterũ ergo hominem uerbis, precibusq́; fatigas?

Non ne

Non'ne ſemel frontem perfricuiſſe ſat eſt?

Imitatio epigrammatis antiqui Poetæ Pulicis, & Græci τοῦ Πολιζιανοῦ.

CAR. LXXXII.

Phœbus, Mars, Iuno, tria ſunt, quæ nomina prægnãs
Conſuluit mulier, quid paritura foret.
Reſpondet Phœbus, mas eſt, Mars fœmina, Iuno
Neutrum: ſors ueros treis tulit eſſe deos.
Naſcitur Androgynus: quem Phœbus deſtinat undis,
Marsq́ cruci: Iuno, mors erit enſis, ait.
Omnia contingunt: ex arbore lapſus in amnem,
A' prius elapſo figitur enſe, miſer:
Suſpendêre pedes rami: mas occidit ergo,
Fœminaq́; & neutrum: fluctibus, enſe, cruce.

Ad Lobellum. CAR. LXXXIII.

Bellus es, elegit ſedem hanc ſibi candida uirtus,
Qua ſine nil bellè, belle Lobelle, facis.

E' Græco ἀδήλου, αὐτοσχεδιάσι.

CAR. LXXXIIII.

In dumo laqueos auibus puer aptat opaco:
Haud procul hinc pater eſt, & putat eſſe feram.
Mox tenerum pectus ferrata cuſpide rupit,
Et ſua fœdauit ſanguine tela ſuo.
Perforat & ferro ſe natum amplexus, eodem:
Heu pater infelix, heu miſerande puer.

Ad lectores, è Græco Σαμίου.

CAR. LXXXV.

Vos uolo (ſi qui eritis lectores carminis huius)

Oratos,ut,dum lumina ueſtra uident,
Dum pauliſper adhuc uitaleis carpitis auras,
Diſcatis,quid ſit uiuere,quidq́; mori.
Is moritur uiuens,quem cura & ſcrupulus urit:
Viuit,qui gaudet conditione ſua.

D.Petro Liſeto,in curia Pariſienſi præſidi primario.

CAR. LXXXVI.

Tanto in ſenatu,Petre,tu primus ſedes,
Primus uirorum tot ſapientum,quos Deus
Supra eſſe cæteros uoluit.O quàm tua
Eſt digna uirtus Regio iſto munere.

Iano Guttæ Boio. CAR. LXXXVII.

Quum tot poëtæ laudibus
Certatim ad aſtra te ferant:
Malignus ipſe,aut inuidus,
Parumq́; candidus uocer,
Mi Gutta,ni nomen tuum
Nugis legatur in meis.

Ad Rubellam. CAR. LXXXVIII.

Neſcis,Rubella,heu neſcis,quid patiar miſer
Cauſa tua:ſi ſcires,mitior fores.

Θρῆνος. CAR. LXXXIX.

Nil conſtat eſſe me homuncione miſerius:
Nam fabula hîc ſum Dijs,ſum fabula hominibus.

In Porculum. CAR. XC.

Quæris quur adeò intumuit tibi,Porcule,uenter?
Vt totum uentrem,Porcule,te faceret.

In eundem. CAR. XCI.

Inter cœnam aliquid narrari ſæpe rogaſti,
Porcule, quod lepidum, ridiculumq́; foret:
Si nunc in furca penderes, Porcule (dixi)
Amphora penderes, non homo: ridiculum eſt.

In zoilum. CAR. XCII.

Dilacerat uultur iecur immortale Promethei,
Hæc eadem pœna eſt, quam patitur Tityus:
In gyrum Ixion, nolensq́; uolensq́; rotatur,
Fallunt Siſyphias impia ſaxa manus:
Illudunt miſeras fluxuræ Belidas urnæ,
Tantalus in medijs aret anhelus aquis:
Iuppiter hos iuſtè, ſet iuſtius inuida punit
Pectora, nam pœnam, quam meruere, ferunt.
Dormiat in pluma, ſit Crœſo ditior ipſo
Zoilus, in proprio pectore uulnus alit.

Ad R. P. Ioan. Bellarium præſulem Pariſienſem nuper factum.

CAR. XCIII.

Ergò lupis tibi Chriſtus oues committit abactis.
Paſcua dilecto qui dabis apta gregi.
Diffugiunt cæcæ ludibria noctis, & umbræ,
Diuinumq́; oritur, te ueniente, iubar:
Pax cœli & requies. breuiter uis omnia dicam?
Aurea te redeunt ſecula Pontifice.

In Marcum. CAR. XCIIII.

Tu, uel opum compeſce famem, lucrumq́; ſitire
Deſine, uel quur ſis querere, Marce, macer.

In Augerium. CAR. XCV.

Augerius dulcem noctu dum uiſit amicam,
Latranti fecit talia uerba cani:
Quid canis oblatras? non ſum fur, ſed peto tantùm
Vna nocte tua ludere cum domina.

In Rubellam. CAR. XCVI.

Donarem ut ſibi paſſerem, Rubella
Inſtabat rogitare lachrymando:
Cui bellum, uolucremq́; cùm dediſſem,
Tunc fleuit magis: Ecce turrianum
Hic (inquit) mihi paſſerem dat, & ſe
Credi uult mihi Lesbiæ Catullum.

E' Greco Μακιδονίου τοῦ ὑπάτου. CAR. XCVII.

Adſtabat medicus, uir heri mihi letifer ægro,
Grata interdicens munera, Bacche, tua.
Iuſſit aquam ut biberem, nimirum, ignarus Homerum
Vinum hominum robur dicere, uanus homo.

In Charidemum. CAR. XCVIII.

Grammaticen ſcripſit Græcã Charidemus, eamq́;
Prædicat oſtentans omnibus, atq; legens:
Aſſerit eſſe ipſis uel Athenis Atticiorem:
Mentitur: Græcus num Charidemus homo eſt?

In eundem. CAR. XCIX.

Scis quid ab antiquo diſtet Charidemus Homero?
Ille oculis captus corporis, hic animi.

In anum laſciuientem. CAR. C.

Quur me ſollicitas, edentula, & uſq; fatigas,
Obſtrepitans ſtudijs, ô ſcelerata, meis?

Inſignis

Inſignis quondam meretrix,ſcortumq́; fuiſti
In precio:ſet nunc frigida,ſola iace.
Iam nulli quatiunt iuuenes tibi nocte feneſtram,
Nec tua neglectus limina frangit amans.
Et quum nulla tibi uiuentis imago ſuperſit,
Pruris,in furias,in Veneremq́; ruis.
Me laſciua petis,nec me inuitare uereris
Turpis,in amplexus,concubitusq́; tuos.
Ventre tuo magis adridet mihi uile ſepulchrum,
Carnificis podex pulchrior ore tuo.
Si deſiderium mihi fortè obrepit amandi,
Deligo quæ iuueni uirgo ſit apta mihi.
I,uetula,ad Stygios manes,& nube Charonti,
I,miſera,ad coruos,putre cadauer anus.

Duorum amicorum epitaphion. CAR. CI.

Quos habuit quondam uiuenteis una uoluntas,
Nunc uita functos,urna habet una duos.

In Turbilionem. CAR. CII.

Vxorem ignaro formoſam patre puellam
Turbilio duxit,molliculam,teneram.
Hoc ubi reſciuit pater eius,feruidus ira,
Nil aliud potuit dicere,dixit,Habet.

In eundem. CAR. CIII.

Duxit heri uxorem qui pulchram,adeoq́; uenuſtam,
Ecce,pater factus Turbilio eſt hodie.
Vidit ut infantem,ſuperis pro hoc munere grates
Egit:quæ hunc mulier nolit habere uirum?

De

De eodem, & Porculo. CAR. CIIII.

Donauit natam pro coniuge Turbilioni
Porculus, idq́; ampla non ſine dote fuit.
Quippe domũ geminã, geminosq́; in mœnibus hor-
Et geminas uillas, haud procul urbe, dedit: (tos,
Et geminas ueſtes, uaccas totidem, atq; iuuencos,
Porcellos geminos, & catulos geminos:
Et geminos loculos, auro argentoq́; ſonanteis,
Gallinas geminas, atq; capras geminas:
Donauit (breuiter) gemina omnia Porculus illi,
Et geminam uxorem, nempe dedit grauidam.

Εἰς τὸν Μωρόν. CAR. CV.

Σὺ φρονέειν ὑπὲρ ἐκφωνεῖς ἀνθρώπων ἀναίδην,
Μωρὸς ἐὼν μωροῦ μωρότερος μορίχου.

Carmen, quod febre ſæuiente facie-
bat. CAR. CVI.

Fac, Deus, ut noſtro diſcedat corpore febris,
Et refluat dulcis, per mea membra, ſopor.
Complures abiere dies, cùm lumina ſomno
Noſtra carent, ualeo nec graue ferre caput.
Si quid edo, uideor cineres mihi mandere, & ora
Arida perpetuò triſtis amaror habet.
Mox alacri facto ſic dextram porrige ſemper,
Seruiat ut ſoli mens mea tota tibi.
Non tamen ut uolo ego, at tu ut uis, Pater optime, fiat,
Nam te laus omnis, te decet omnis honos.

In

In literarum oſores. CAR. CVII.

Iam ſtudijs inhiat totus melioribus orbis:
Quid fugitas? da, da, barbara turba, manus.

Marronis auari tumulus.
CAR. CVIII.

Ah fœtet nimis, huic foueæ Marronis auari
Corpus ineſt, & mens: flecte, uiator, iter.

In Hugonem. CAR. CIX.

Cùm, miſer Hugo, putas te carmina condere, certè
Falleris, haud condis carmina, tundis aquam.

De ſuo libello, ad Lodoicum Iac. CAR. CX.

Qur hîc ſeria ludicris frequenter
Confundam, Lodoice, me rogaſti:
Agri non nequeunt placere multis,
Qui flores uarios roſasq; gignunt:
Sic mentem recreant, leuant, iuuantq;,
Demulcentq; epigrammatôn libelli,
Quæ nunc ludicra, nunc ſeueriora
Tractant, quæ ſalibus ſcatent, iocisq;.

Ad Franciſcum Beraldum, Nicolai filium. CAR. CXI.

Dum Venus amiſsum natum uocat anxia Amorem,
Et puerum toto quæritat orbe uagum:
Obuia facta tibi pharetrato fortè, Beralde,
Ille ſibi ualeat, tu meus (inquit) eris.
Hîc læta Ambroſios Cytheræa inſpirat honores,
Dum tibi dat roſeis oſcula mille labris.

Et nunc ille prior laceris miſer exulat alis:
Te uice deſerti mater Amoris amat.

In quendam. CAR. CXII.

Edis, bibis, futuis, uiuis genialiter:
Venter tuus tibi eſt Deus.

Precatio Chriſtianorum. CAR. CXIII.

Vt tua pertingat penetretq́; precatio cœlum,
Corde ſit ex puro, ſit breuis, atq; frequens.

In ſacrificulum, labris, non mente precari ſolitum. CAR. CXIIII.

Sacrificus modios precularum mille ſuſurrat:
Non aliter turpis ſimia labra mouet.

Ad Lodoicum Dintauillum, equitem Rhodium. CAR. CXV.

Ex quo te non uidi, æſtas iam ſeptima fluxit,
O decus, ô animæ pars, Lodoice, meæ.
Nos ætate pares, nos præceptore ſub uno,
Præclaræ pueros erudière Trecæ.
Par facies, par forma fuit, par ardor utriq;
In ſtudijs, uelle ac nolle duobus idem.
Prima elementa Trecis feliciter hauſimus unã,
Noſtraq́; coniunxit pectora uerus amor.
Verus amor, quem nulla dies memori eximet æuo:
Ingenium ſi quid, Muſaq́; noſtra poteſt.

In ædes tyranni cuiuſdam.
CAR. CXVI.

Hæ ſunt diuitiæ, ui, ferro, crimine partæ:
Hæc ſpolijs, hæc eſt ſanguine plena domus.

Ad patrem. CAR. CXVII.

Vt teneris pulcher uidear comptusq; puellis,
Quærere me ueſtem dicis, amande pater:
Falleris, haud etenim ueſtis, ſed corpus amatur:
Nanq; petit nudum noſtra puella uirum.

Ad Io. Maldinum. CAR. CXVIII.

Miraris quòd amem? mirari deſine: cœlum,
Et maria, & terras, Omnia cogit Amor.
In cœlo ſuperos, in terra hominesq; ferasq;,
Et piſces in aquis, Omnia cogit Amor.
Aërias uolucres, & quicquid ſpirat in orbe,
In flammam, & furias, Omnia cogit Amor.
Dic, Maldine, mihi, qui tot tantisq; potitur
Imperijs, non'ne eſt imperioſus Amor?

Samij amici utraq; lingua docti, epitaphion. CAR. CXIX.

Ergo obijt Samius lingua facundus utraq;,
Dictus amor ſecli delitiumq; ſui.
Occidit ante diem. ſic Mors inimiciter egit,
Vtraq; flet laceris mœſta Minerua comis.

Aliud. CAR. CXX.

Hoc Samium iuuenem mors inuida marmore clauſit:
Flent Muſæ, Charites, Pallas, Amor, Veneres.

Aliud Græcè. CAR. CXXI

Τόνδε τάφον κύπριδες, καὶ, ὦ ξεῖν, ἔρωτες ἔθηκαν,
Καὶ μοῦσαι, καὶ τρεῖς Χάριτες, πολὺ δακρυχέουσαι,
Τῷ σαμίῳ, τὸν μοῖρα δ' ἴσχεσεν, ἄσφα μιλιχρόν.

Deplora-

Deploratio temporis, ad Franciſcum Tuanum Pariſien. D. Lautreci à ſecretis. CAR. CXXII.

Vnde fit, ut tantis agitari fluctibus orbem,
Et mutata adeò uideamus tempora rerum?
Atq; eadem longè diuerſa prioribus? unde
Tam ſubitò? ni mota trucis uiolentia Martis
Sæuiat, & Saturni inuiſi inamabile ſydus:
Impediatq; Iouem, & Venerem, Atlantiſq; nepotem
Mercurium? adproperet celeres & Luna meatus
In rabiem: lumenq; ſuum indignata recondat?
Et radios Phœbus neget? & ſint omnia cæca?
Nunc in bella ruunt furiatis mentibus omnes,
Qui modò tranquillæ gaudebant munere pacis.
Nimirum, ille furens inuertit Martius ardor
Omnia, parte poli ſumma ſedet, ac tenet arcem,
Quò lubet omnia agens, reliquis nũc imperat aſtris.
Nec ſola hæc, reſtant alia, & grauiora ferenda.
Neſcio quid nobis cœleſtia ſigna minantur,
Occultum, horrendumq; magis, quod dicere uatum
Nemo queat, tanta res hæc caligine merſa eſt.
Quid memorẽ exilia, & tormenta? incendia? peſtes?
Diluuia? exhauſtus pelagi? telluris hiatus?
Fulminaq;? et tonitrus? fulgetra? tremendaq; ſpectra?
Tabificamq; famem? morbos? diroſq; cometas?
Bella ſet in primis, bella, ô Dij, qualia bella:
Quæ fore, uel quiuis paſtor, uel durus arator
Præſciat: in promptu cauſa eſt, diſcordia regum,

Atq;

Atq; humana,ſui ſemper mens neſcia fati.
Set Deus ipſe pater,qui temperat omnia ſolus,
Solus hic,aſtrorum curſus,huc ire,uel illuc
Cogere,nosq́; poteſt tantis prohibere periclis,
Pulſatus precibus ſyncera mente profectis.

Ad Carolum T. CAR. CXXIII.

Vt pullos gallina tegit,ſeruatq́; ſub alis,
Ne ſurſum rapidæ præda ferantur aui:
Sic me cum Muſis,clariſsime Carole,ſerua,
Perdere quem cœcæ nititur ira deæ.
Quod potuiſti olim,melius nunc poſſe memento:
Nec uideas qui ſim,ſet modò,qui fuerim.

De fratre ſuo. CAR. CXXIIII.

Orta per autumnum tempeſtas terruit orbem,
Proſtrauitq́; homines undiq; terra tremens:
Arſit mirificis & crebris ignibus æther,
Et pluit admixta grandinis agmen aqua.
Armenta atq; greges paſsim,uolucresq́;,feræq́;
Labuntur,ferò paſtor ad antra fugit.
Sternuntur ſegetes,ſyluæq́;,domusq́; tonitru
Terrifico,campos corpora ſtrata tegunt.
At tibi nil nocuit cœli hæc iniuria,frater,
Reddidit illæſum te tua uera fides:
Vera fides,iuſtum quæ te facit,optime frater;
Vera fides:magni munus opusq́; Dei.

In Hugonem. CAR. CXXV.

Qui te difficilem negant,probatæ
Hi non ſunt fidei,putoq́; nullum,

Hugo, te magis eſſe ſcrupuloſum:
Vt cui ſcrupulus ater in profundo
Talo, ſcrupulus in caput ſuperbum
Intrat, ſcrupulus in tumente ſacco,
Auri ſcrupulus in manu ſiniſtra,
Terræ ſcrupulus utilis ſecandæ.
Quum tot ſint tibi ſcrupuli, putamus
Nullum te fore ſcrupuloſiorem.

In Maldinum. CAR. CXXVI.

Ridebas ictum telis me nuper Amoris,
Maldine, at nunc ſcis tu quoq;, quid ſit Amor.
Vre, precor, grauius, grauius, precor, ure, Cupido,
Quem tibi nolentem ſuccubuiſſe uides.

In malos Chriſtianos.

CAR. CXXVII.

Dic mihi, quum tibi ſit Chriſtus tam multus in ore,
Qur uita Chriſtum, flagitioſe, negas?

Deum inuocat apud populum concionaturus.

CAR. CXXVIII.

Alme ſuae Chriſti genitor, da dicere rectè:
Huc ades, & linguæ ſuggere uerba meæ.
Tu Deus es, ſoluſq; potes præſtare quod opto,
Præ me ut ſit Pylij barbara lingua ſenis.
Mulceat hic aures ſermo meus, hæreat imis
Viſceribus, doceat, ſuadeat, atq; iuuet.

In tem-

In temporis iniquitatem, κύρχιλλως.

CAR. CXXIX.

Hei mihi, quur ſordent ſpreti, laceriq́; poëtæ,
Quorum cœleſti pectora mente calent?
Ignauos homines, mimos, ſcurrasq́; uidemus
In pretio, ornari, delitijsq́; frui.
Vnde hic inualuit rerum præpoſterus ordo?
Hei mihi, quàm nimium iuſta querela mea eſt.
Set ualeat Dea *cæca, pijs inimica poëtis,*
Queis, pro diuitijs, nomen habere, ſat eſt.

Amicus. CAR. CXXX.

Habes amicum, qui tibi præſtò in tempore
Adſit? Nimis *beatus es.*

Aleator deſperabundus loquitur.
E' Græco τοῦ Σαμίου.

CAR. CXXXI.

Nunc aliquis dæmon ueniat, qui ſuggerat aurum,
Aut laqueum: nam ſic uiuere, pœna mihi eſt:
Aut certè miſero mihi terra repentè dehiſcat:
Proh dolor, heu quantis alea plena malis:
Heu, quot in exitium ludendi ſacra libido
Pertrahis, in ſummum dedecus, inq́; crucem.

Ad Carolum T. CAR. CXXXII.

Tecum in deſertis poßim bene uiuere ſyluis,
Tecum pro magna rus erit urbe mihi.
Tu mihi curarum requies, tu noctis in umbra
Lumen, tu capiti grata corona meo.
Te, quocunq; uoles, ſequar, & tuus uſq; manebo,

Quamuis non tanto, Carole, dignus hero.

Ad Iacobũ T. antiſtitem. CAR. CXXXIII.

Quum tibi gratas Heliconis umbras,
Et bonas cordi uideamus eſſe
Litteras, Diuûm tibi dona, præſul,
Gratulor iſta.
Hectoris, clarum genus unde ducis,
Sanguinem, diuûm referens paternis
Moribus, noſtri iuuenum lucerna
Diceris æui.
Corporis raras animiq; dotes,
Quas tibi largè ſuperi dederunt,
Quis neget Muſa, tonitruq; dignas
Virgiliano?
Iurium duros aperire nodos
Doctus, & callens utriuſq; linguæ,
Gratias omneis, Veneresq; pulchro
Exprimis ore.
Ergo uirtutes, Iacobe, tantas
Antè quàm poſſim memorare dignè,
Ebibat mundi fluuios, & omne
Muſca profundum.
Te tamen noſtras, generoſe, Nugas
Vt legas, oro, iuuenis libenter,
Plura tantiſper tibi dum paramus,
Et meliora.
Non prius felix, animiq; compos,
Sum quieturus, tua quàm per orbem

Fama

Fama percurrat, uolitansq́; ſummum
Pulſet Olympum.

De ſeipſo. CAR. CXXXIIII.

Laudo bonos, caſtigo malos, ignoſcite utriq́;,
Sum puer: & pueros libera lingua decet.

E' Græco τοῦ Σαμίου in quempiam.

CAR. CXXXV.

Tam multus tibi Chriſtus eſt in ore,
Et tam multus in ore Lucianus:
Hunc laudas mihi, prædicas & illum:
Hunc magnum canis, æmularis illum:
Huius perſtudioſus, illiusq́;:
Set ſic, alter ut altero tibi ſit
Facundus magis, & magis canorus,
Mirandus magis, & magis ſtupendus.
O' dignum caput execratione,
Sputis omnibus, omnibus flagellis:
O' mens Tartarea pianda flamma:
Nunc qui ſcis, ſcio, fers in ore Chriſtum,
Fers in pectore, & ore Lucianum.

Εἰς ἀθίους. CAR. CXXXVI.

Qui pereunt, uentremq́; colunt, ſic dicere certum eſt
Apud ſe: Nullus eſt Deus.

Iacobo Tuſano præceptori.

CAR. CXXXVII.

Quod mihi pollicitus toties, Tuſane, fuiſti,
Mentio cùm de aliqua conditione foret,
Præceptor, nunc, dum ſe offert occaſio, præſta:

Diſcipuli memorem te decet eſſe tui.

In medicum indoctum. CAR. CXXXVIII.

Si tibi litterula accedat, quæ in Neſtore *prima eſt,*

Fies mendicus, qui modò eras medicus.

Μονόστιχον. CAR. CXXXIX.

Ὄυκ νόος καλός ἐστιν ἀεὶ ἐν σώματι καλῷ.

Latinè.

Nõ reſidet ſemper mens pulchra in corpore pulchro.

Ad Iacobum Tuſanum præceptorem. CAR. CXL.

Viſere te toties uolui, ſet me uſq; moratur

Hic Tuſane pudor, cumq; pudore timor.

Quem non uirtutum lux terreat iſta tuarum?

Doctrinæ quem non inclyta fama tuæ?

Publicè enim linguam profiteris utranq;, fauore

Regis, & hoc mira dexteritate facis.

Tu patriæ noſtræ, quam claram reddis, & ornas,

Gloria, tu ſecli diceris huius honos.

O me fœlicem nimium, mea ſi bona norim,

Qui ſedeo auditor, diſcipulusq; tuus.

Aonidum ueluti ſacro de fonte ſororum,

Quanta tuo nobis commoda ab ore fluunt!

Quæ tibi pro meritis referetur gratia tantis?

Præmia quæ poßim reddere digna tibi?

Nempe miſer? fatisq; diu uexatus iniquis?

Quem tetigit cæcæ fulmen & ira Deæ?

At quamuis iaceam obſcurus, ſim uilior alga,

Sim nihil, ingrati nolo ſubire notam.

Noctes,

Noctes, atq; dies, ut te pia numina ſeruent,
Aßiduas imo pectore fundo preces.
Dicere quæ nollem præſens, Tuſane, nec auſim.
Perfricta facie, ſcribere iußit Amor:
Et puero commiſſa tuo eſt, quam perferat ad te,
Charta loquax, digitis præcipitata meis.

Ad eundem. CAR. CXLI.

Nonnihil ergo operæ, tanquam res ſeria, nuper
Expreßit ſtudijs littera noſtra tuis.
Sic bene habet certè, cùm tantis laudibus altum
Euehis ad cœlum meq;, meosq; modos.
At caue ut irrites Venerem, Venerisq; puellum:
Scis etenim numen quàm ſit utrunq; potens.
Horum diuino qui me conferre poëtæ
Auſus es, iratos pergin' habere Deos?

Ad eundem. CAR. CXLII.

Naſo tibi uideor, Tuſane, intelligo, nempe,
Scribo Tomitanis carmina digna Getis.

Ad Iacobum Baratanum amicum non uulgarem. CAR. CXLIII.

Quàm doleo, quòd te non uiſere ſæpius auſim,
Vſq; adeò tota peſtis in urbe furit.
Siccine, dira lues, ab amico auellis amicum?
O dolor, ô læſi numinis ira potens.

In Stagnam puellam. CAR. CXLIIII.

Sordida ſtagnina eſt ſemper, quia non fluit, unda:
Hinc Stagna, à ſtagno nomen, opinor, habes.

In inuidum. CAR. CXLV.

Inuide, quum teipſum ceſſes adfligere nunquam,
Nutririq; tuis quum uideare malis:
Moribus impuris pereat tua ſpurca ſenectus,
Effodiat coruus lumen utrunq; tibi:
Auferat exectam uultur per nubila linguam,
Inteſtina uorent ſanguinolenta canes.
Et, ne intacta tui pars corporis ulla ſuperſit,
Prandia ſint rabidis cætera membra lupis.
Relliquiarum aliquid reſtet ſi fortè ſepulchro,
Oſſa premat durus ſemiſepulta lapis.
Dumq; huc, atq; illuc anima errabunda feretur,
Sibilet in tumulo uipera ſæua tuo.

Ad lectorem. CAR. CXLVI.

Quid dicis, bone lector, hæc legendo?
Hæc qui ſcripſit, erat ſat ocioſus:
O te, qui legis, ocioſiorem.

Ad eundem. CAR. CXLVII.

Qui legit has Nugas, *oro, ſit candidus, & ſe,*
Si non delectant, ad meliora ferat.
Nil aliud prima promittit fronte libellus,
Quàm ſeſe nugas intus habere meras.
Quanquam hic non adeò forſan liber ibit ineptus,
Nec malus ex omni parte putandus erit:
Si modò me ſuperi cœpto ſupereſſe labori,
Et ſummam faxint impoſuiſſe manum.
Sæpe in neglectis reperitur gemma lapillis,
Sæpe cadus uilis nobile nectar habet.

E Græco

E' Græco τοῦ Λουκιλίου, in Herm. auarum. CAR. CXLVIII.

Se facere ingenteis ſumptus dum ſomniat Hermon,
Ingemuit, laqueum repperit, atq; perit.

Εἰς μοναχούς CAR. CXLIX.

Monachi Græcè uocantur ſolitarij:
At hodie tot monachi in cœnobijs quum ſimul
Sint otioſi, & ignaui, & paſti bene,
Quur multitudo ſolitudo dicitur?

Ad puellam. CAR. CL.

Qui fit, ut inflammer magis, ac magis urar in horas,
Incendarq; oculis, pulchra puella, tuis?
Ex oculo dextro, ridens Venus, eq; ſiniſtro
In me contorquet tela proteruus Amor.
Me miſerum, quid agam? fax plus ſatis una fuiſſet:
Infelix, cogor cur ego ferre duas?

De eadem. CAR. CLI.

Nunc, agè, lympidulum fontem uiſamus, ut illic
Congreſſu dominæ, colloquioq; fruar.
Quid differs igitur, mea lux, accedere fontem?
Ad quem mille mihi baſia ferre ſoles?
Baſia, uel diuûm longè ſuperantia nectar,
Aut, ſi quid diuûm nectare dulce magis:
Sed tua permixtam præbent mihi baſia linguam:
Diſperеam, ſi non hoc tibi iuſſit Amor:
Vt magis, ac citius conſumar, & urar amando:
O fons, ô poſthac non adeunde mihi.

Ad eandem. CAR. CLII.

Quæris aquam, uirgo? duo ſunt mea lumina fontes,
Ex quibus (oro) uide flumina quanta fluunt.
Quòd ſi ignem quæris, mea ſunt præcordia flammæ,
Sic, ut aqua in me ignem ſuſcitet, ignis aquam.

Ioan. Matthæo Matiſconen. amico ueteri. CAR. CLIII.

Si, Matthæe, putas ulla interualla locorum,
Aut temporum ullam iniuriam
Vincula amicitiæ noſtræ diſſoluere poſſe,
Tota profectò erras uia.

ἀλίσπορμ illud ex tempore ſic uertimus. CAR. CLIIII.

Qui modò Amor fuerat, nunc eſt ſartago culinæ,
Vrit & hæc: mentem quis neget eſſe fabro?

Græcum diſt. ſic habet.

Χαλκοτύπος τὸμ ἔρωτα μεταπλάξας,, ἐποίησε
τήγανομ, οὐκ ἀλόγως, ὅτι καὶ αὐτὸ φλέγει.

Venator, & amator: è Græco Σαμίου.

CAR. CLV.

Vt ſæpe incaſſum uenator retia tendit,
Sic fruſtra infelix ſæpe laborat amans.

Idem. CAR. CLVI.

Retia ſæpe ſolet uenator tendere fruſtra:
Non rarò miſeram ludit amans operam.

Idem. CAR. CLVII.

Sæpe fit, ut fruſtra uenator retia ponat:
Sæpe operam perdit, quem ferus urit Amor.

Ad Franciſcum Galeatum adoleſcentem generoſiſs. CAR. CLVIII.

Quur, generoſe puer, uirtutis fertur amara
Radix, eiuſdem uerò dulcedine fructus
Eſſe incredibili? an' ne hominem quum ſola beatum
Et facere, & ſeruare queat, uelit ipſa laborem
Præ ſe ferre etiam? an uerò mens improba, & audax,
In culpa eſt? noſter' ue animus? qui mollis, & æger,
Cauſatur morbi expertem, miſcetq́; proteruus
Virtutem uitijs, ſtimulante libidinis œſtro?
Nanq; tibi uirtus ſeſe amplexabilis offert.
Hanc facilè ipſe tibi adiungas, citraq́; laborem,
Si modò te exhibeas alacrem, & generoſa uoluntas
Adfuerit. quòd ſi tibi fortè uidebitur illa
Aſpera principio, ne crede, at lumine falſo
Mentis, longè aliam, quàm debeat eſſe, uideri.
Haud aliter quàm quæ ſunt dulcia, cenſet amara
Aeger, ita illudit ſenſu non gratus amaror.
Sic, quibus & diræ exitiale cupidinis ulcus
Intus ineſt, aciem mentis non ſtringere poſſunt
Oppreſſæ, ut uideant, quanta in Virtute uoluptas,
Quantaq́; commoditas, uerè bona. tu puer (oro)
Hoc genus, ut peſtes, hominum fuge: peßima nanq;
Serpit in ætatem contagio ſæpe tenellam.
Deniq; uirtutis certa haud aliunde petenda
Sunt exempla tibi, quàm quæ pater, inclytus heros
Ipſe tibi peperit Galeatæ gloria gentis.
En, Franciſce, domi quod tu mireris, abundè

Quodq́;

Quodq́; imiteris, habes, ſeu famam extendere factis,
Seu magnis rebus uitam exercere gerendis,
Seu iuuat in ſtudijs doctrinæ, adytisq́; Mineruæ
Verſari, & ſacros Muſarum haurire liquores.
Hoc ego poſtremum arripias, puer optime, malim,
Quàm fera luctifici ſceleris prælia Martis.
Nam tibi præceptor qui contigit, ille Mainus,
Ille tibi calcar currenti ſedulus addit,
Nempe accitus in hoc à patre: his ergo duobus
Tutus eris ducibus, qui certum oſtendere callem
Lumine ſub tanto flagrant: tu perge relicta
Radice, ut poſſis uirtutis carpere fructum.
Quæ primùm ſubamara apparent, mitigat uſus.
Incipe, dimidium facti eſt cœpiſſe, nec uſquam
Conanti, fortiq́; animo pia numina deſunt.

In quendam. CAR. CLIX.

Quòd molleis faciam uerſus, quòd temporis huius
Corruptos mores carmina noſtra premant:
Diſplicet hoc cuidam, qui ſe mihi dicit amicum:
Infelix, quò te perdere pergis? ait.
Siccine Muſa tibi ſenſus iſta abſtulit omneis
Muſa, Tomitanos uiſere digna Getas?
Hæc ille: at certè nil me uulpecula fallit,
Nam timet in Nugis nomen habere meis.
In lucem non uult ſua turpia facta uenire,
Cognoſci non uult, hinc dolor, hinc lachrymæ.

Leonis

Leonis Carpij iuuenis doctiſs. epitaphion. CAR. CLX.

Qui iacet hic iuuenis, Græcã, Hebræã, atq; Latinã,
Callebat linguas, atq; profeſſus erat.
Patria Burdigale, nomen Leo Carpius, ingens
Delicium Charitum, Pieridumq́; decus.
Eripere incenſis dum tentat ab ædibus omneis,
Matrem, cum paruis fratribus, atq; patrem:
Seruatis reliquis, hunc flamma abſorbuit unum:
Hæc iuueni finis non inhoneſta fuit.

In Marcum medicum.
CAR. CLXI.

De facie Marcum non noui, at febre laborans
Illius memini nomen, & interij.

De Io. Florio rhetore. CAR. CLXII.

Ver aperit flores, & rident omnia Vere:
Vere nihil totus pulchrius annus habet:
Set quos Ver præbet flores, moriuntur, & arent:
Perpetuos flores Florius unus habet.

Seuerini pueri tumulus.
CAR. CLXIII.

Parua Seuerinum complectitur urna puellum,
Inq́; Seuerinum Parca ſeuera fuit.
Ò pater, ò mater, quid chari funera nati
Lugetis? quur ſic lumina ueſtra madent?
Nunc ille ætherea diuûm ſpatiatur in aulâ,
Exhilarans pulchro cum Ganymede Iouem.

In

In ſutorem. CAR. CLXIIII.

Deprenſus nuda nudus cum Thaide ſutor:
Hic,non ſutor erat(credo)ſututor erat.

Mors. CAR. CLXV.

Mors finis rerum eſt,& ineuitabile telum:
Hanc hominum metuit ſapientum nemo,nec optat.

De Henrico Lautreco generoſiſs. ſummæq; ſpei puero.

CAR. CLXVI.

Si quiſquam ab heroo profectus ſanguine
In Gallia creſcit puer:
Magno Hectori futurus par,ſi uixerit,
Henricus is Lautrecus eſt.

Ad Franciſcum Galeatum ruſticantem. CAR. CLXVII.

Næ,Franciſce,ſapis,qui fumoſa urbe relicta,
Lætus habes ſtudijs commoda rura tuis.
Iſtic uirginibus poteris colludere doctis,
Et bibere Aonias,alter Homerus,aquas,
O rura,ò patriæ nimium felicia terræ,
Hîc(dicent)uates,hîc puer ille fuit:
Et Galeatorum ſuper æthera fama uolabit:
Clarius hoc nullum nomine nomen erit.

In Stagninam puellam.

CAR. CLXVIII.

Cornici noſtra eſt Stagnina ſimillima certè:
Quò ſe merſat aquis,hoc manet atra magis.

De An-

De Andrea Alciato iuriſconſ.

CAR. CLXIX.

Dicitur Alcides domuiſſe immania monſtra,
Sub quibus & languens, & miſer orbis erat:
Barbariem, monſtrum multò truculentius illis,
Strauiſti: Alcida maior es, Alciate.

In quempiam. E' Græco ϰαμίου

CAR. CLXX.

Quotidie ad ſpeculum qui ſe muliebriter ornat,
Compoſitamq; ſinit molliter ire comam:
Qui ſua diſcincta denudat pectora ueſte,
Cuius in articulis plurima gemma micat:
Huc oculos qui fœmineos conlimat, & illuc,
Qui nil, perfricta fronte, pudoris habet:
Qui digito ſcalpit ſummo caput, & fricat uno:
Qui præter flores nil tenet, aut uiolas:
Tam bene per uicos qui incedit, tamq; modeſtè,
Et bene curata qui cute, tam bene olet:
Qui nulli nouit non adridere libenter,
Qui ſemifracta uerbula uoce facit:
Bellus adulescens, ſuauisq;, & honeſtus habetur,
Dignus amore hominum, dignus amore Deûm:
Hoccine miraris? mirari deſine, talem
Eſſe decet, quem non fœmina, ſet uir amet.

In inuidum. CAR. CLXXI.

Quur optas moriar? neq; enim poſt fata ſilebo,
Inuide, ſet uitam perſequar umbra tuam.

Euſebij

Euſebij hominis impij tumulus.

CAR. CLXXII.

Hic iacet Euſebius, qui fulminis occidit ictu,
Vtpote, qui indignus nominis huius erat.
Senſit quam toties miſer irritauerat iram
Numinis, & ſerò credidit eſſe deos.

Aliter. CAR. CLXXIII.

Hic iaceo Euſebius, uenerando nomine, ſet re
Impius, inq; homines impius, inq; Deos.
Fulmine ſemiuſtum hîc me leto fata dederunt:
Ecquis ab irato numine tutus erit?

Ad Deum Opt. Max. è Græco Σαμίου.

CAR. CLXXIIII.

Ad te confugio ſupplex, rex maxime regum
Ignea quo ſolo tela iubente cadunt:
Tu deus omnipotens, ter maximus, optimus, unus
Tu, cuius mundi dextra gubernat opus.
Solus inacceſsi rutilans in culmine cœli,
Fluctiuagis radias, ſtella ſerena, uiris.
Tu ſolus dubios per cæca pericula curſus
Dirigis, & fractis nauibus unus ades.
In medio quiſquis fuerit peſſundatus alto,
Si tua ſuſpiciat numina, ſaluus erit.
Saluus erit: gaudes etenim præſtare fauorem:
Semper in humanũ mitior aura genus.
Fer, pater, auxilium, & ſortis miſerere ſubactæ:
Quicquid & à Stygio traximus amne, laua.
Da nobis animos puros, da pectora munda,

Vincere da quot amant mundus, & ægra caro:
Da Stygij uarias ſuperare ſatellitis artes,
Da flagrare pio ſemper amore tui:
Exaudi, pater alme, iterumq́; iterumq́; precamur,
Per Chriſti, & nati flagra, crucemq́; tui.

De ſe, & Iul. Camillo. CAR. CLXXV.

Non amo te, hoc dicens, ſi uerum dico, Camille,
Hoc poſſum uerè dicere, Non amo me.

In ψευδαδέλφους CAR. CLXXVI.

Ah, quàm difficile eſt falſos cognoſcere fratres,
Quos hodie ueſtis prodigioſa tegit.
Set miſerum uulgus taleis miratur, & eſſe
Cœleſteis animas, ſemideosq́; putat.
Horum ſi ignores fucum, ſimulataq́; uerba,
Et ueſtem uideas, eſſe putabis oues:
Falleris: intus ſunt uulpesq́;, lupiq́; rapaces,
Aut ſi quid peius uulpibus, atq; lupis.

Ad Luc. Stellam. CAR. CLXXVII.

Quid tibi uis, Stella, adponens tot fercula nobis?
ἐνθάδ᾽ ἔνεστιν θεοῦ βοροί, ἀλλὰ βροτοί.

Ode dicolos tetraſtrophos, in natalem Chriſti, & eius acta.
Puellus ſcripſit.

CAR. CLXXVIII.

Cùm dolo primi Stygio parentes
Mortis in caſſes miſeri ruiſſent,
Non duo ſoli cecidere: totus
Concidit orbis.
Tum fera clauſum triplici ſupernas

Limen ad ſedes aditum negauit:
Impij triſtes Acherontis umbræ
Cuncta uorabant.
Intimos manes, tenebrasq́; uaſtas,
Horridas tetri latebras Auerni,
Multa de uitæ gremio recedens
Turba ſubibat.
Tum iugum legis ſubijt minacis,
Hinc timor mentes, odiumq́; legis
Cepit humanas, magis hinc magisq́;
Noxia creuit.
Fleuit humanum genus, obſtupente
Matre natura, ueniamq́; facti
Protinus magnum querula Tonantem
Voce popoſcit.
Ipſe de ſumma pater arce mœſti
Audijt iugem populi querelam:
Et ſuos, & quos uoluit, catenis
Ditis ademit.
Filium Chriſtum miſerans quietas
Miſit in terras, uterum pudicæ
Qui puer nono grauidum parentis
Menſe reliquit.
Is, ducis legem ueteris ſecundum,
Saxeo fudit gladio cruorem:
Poſtea uiuo docuit fideleis
Fonte renaſci.
Qui quaterdenis Cererem diebus,

Nec tuos, Euan, latices recepit:
Mox & impurum Satanam paratos
Truſit in ignes.
Lumen æternæ fidei coruſcum
Explicans, Orci patefecit artes:
Quoq; nos olim uetus ille ſerpens
Luſerit aſtu.
Mortuis uitam, propriumq; cæcis
Reddidit uiſum: genus omne morbos,
Atq; languores, furiasq; multis
Expulit ægris.
Inde Iudææ furioſus error
Perfidæ gentis, ſibi quæ uidendo
Antè promiſſam male ſana lucem
Ferre nequiuit.
Innocens Chriſtus trahitur, flagrisq;
Cæditur, paruo mage mitis agno:
Talis hæc nobis reſerauit altum
Victima cœlum.
Hic ſalus noſtræ pretioſa uitæ,
Hic ſua cunctos anima redemit,
Hic in æternam dedit ut queamus
Scandere lucem.
Ergo cui laudes potius canamus:
Quàm tibi noſtro, ò bone Chriſte, regi?
Te decent hymni, tibi debet omnem
Mundus honorem.

Ad Ludouicum Dintauillum, puer ad puerum. CAR. CLXXIX.

Quantus amor, Lodoïce, tibi me copulet, audi:
Quantus qui Niſum iunxerat Euryalo.
Vt te plurimum amem, cogit me forma, pudorq́;,
Quem uideo ante oculos luxuriare tuos.
Egregia flores uirtute politus ad unguem,
Corporis excellis dotibus, atq; animi.
Præ te, uel iuuenem contempſiſſet Venus, illum,
Lactea cui Mauors inguina rupit aper.
Huc accedit honos, & claræ ſtirpis origo,
Et pietas animi dexteritasq́; tui.
Viue, uale, conuexa polus dum ſidera paſcet,
In freta dum fluuij præcipitata ruent.

Ver. CAR. CLXXX.

Ver aperit flores, & rident omnia Vere,
Vere nihil totus pulchrius annus habet.

Aliud. CAR. CLXXXI.

Maius adeſt, uernant, & rident omnia paßim,
Nidificant uolucres, & Philomela canit.

Aeſtas. CAR. CLXXXII.

Omnia maturat feruens ardoribus Aeſtas,
Corpora deſiccat, ſegnia membra facit.

Autumnus. CAR. CLXXXIII.

Vina dat Autumnus, replet cellamq́; penumq́;:
Si calor eſt hodie, cras tibi frigus erit.

Hyems. CAR. CLXXXIIII.

Sempe Hyems ſenibus metuenda, trementibus æuo:

Set

Set iuuenes uegetat, roborat, auget, alit.

Annus. CAR. CLXXXV.

Ver, Aeſtas, Autumnus, Hyems, ſunt quattuor unum,
Quæ ſi membra ſimul iunxeris, Annus erit.

In Rhomanicum. CAR. CLXXXVI.

Vt ludam tecum, Rhomanice, ſæpe rogando,
Te ſæpe oſtendis frontis habere nihil:
Non pudet inſomneis ludo conſumere noctes,
Vendere te ueſtes non pudet, atq; libros:
Non pudet aßiduè ſcortari, ſpemq; parentum
Fallere, & oblitum non pudet eſſe Dei.
Quod ſine fronte rogas, iuuat hoc ſine fronte negare:
Res nocitura tibi, quam petis, atq; mihi eſt.
Omnia largiri, nil non dare cuiq; roganti,
Non amor eſt: uitium eſt, immodicuſq; pudor.

In Pontilianum. CAR. CLXXXVII.

Rumor ait crebrò te, Pontiliane, cacantem
Ventris onus digitis accelerare tuis:
Nec tamen in cœna manibus tractare uereris
Carnes, & quadris accumulare meis.
Ah, ſatis eſt, obſecro quieſce, tibiq; miniſtra:
Non placet obſequium, Pontiliane, tuum.

In eundem. CAR. CLXXXVIII.

Pontiliane, rogo, uel deſine, uel tibi ſerui,
Nam tua plus ſatis eſt officioſa manus.

E Græco ἀλίαστορ. CAR. CLXXXIX.

Haud nimis, haud minimum, menſura eſt optima Bac
In quo uel mœror, uel ſolet eſſe furor. (chi,

Exhilarat quartus nymphis tribus additus idem,
Tunc etiam thalamis promptus,& aptus adeſt.
At ſi deſpumet nimium,auerſatur amores,
Vicino leti membra ſopore rigans.

Precatio Chriſtiana,ἐκ τοῦ εὐαγγελίου.
ſcripſit admodum puer.

CAR. CXC.

O pater omnipotens,clariq; habitator Olympi,
Laudetur merito nomen honore tuum:
Adueniat regnum,tua ſit rata ubiq; uoluntas,
Fiat & in terra,ſicut in arce poli.
Da nobis hodie panem,& nos exime noxæ,
Vt ueniam noſtris hoſtibus uſq; damus.
Nec ſine tentando Stygius nos opprimat Erro:
Fac animas noſtras ut mala nulla ligent.

In Caſpium auarum & furacem.

CAR. CXCI.

Caſpius æternum ſe dicit furibus hoſtem,
Sic metuit numis,diuitijsq; ſuis.
Atqui ſi ex animo fures ita Caſpius odit,
Quur princeps furum tam placet ipſe ſibi?

Ad amicam. CAR. CXCII.

Quur uiolas mittis?nempe,ut uiolentius urar:
Heu,uiolor uiolis,ò uiolenta,tuis.

De R.D.Claudio Lonuio Lingonen.
antiſtite. CAR. CXCIII.

Vnicum noſtræ patriæ parentem,
Stirpe,doctrina,pietate,forma,

Nobilem,

Nobilem nacti retinete pictis
Lingones armis.
Ne qua tempeſtas uiolenta,ne qua
Aut manus:aut uis rapiat:uidetis
Vt placet cunctis,& amatur omni
Carius auro?
Hic adeſt prudens,uigilansq́; paſtor,
Qui lupos pulchro remouens ouili,
Sedulus largè pecus omne ſacro
Gramine paſcet.
Præſulem tantum ueneratus æqua
Mente,non poſſum citharam tenere,
Quin,ut hunc ſeruent,ſuperos canora
Voce precetur.
LONVI *ò longam date fata uitam*
Claudio,quo nil magis eſt amandum,
Cui breui ſacrum ueneranda cinget
Purpura crinem.

Ad D. Gobinum muſicum uirum.

CAR. CXCIIII.

Seu canis aurata lyricum teſtudine carmen,
Seu proprio placidos ducis ab ore ſonos:
Tum mihi,tum ſterni fluctus,uentiq́; uidentur,
Et fieri pulſa nube ſerena dies:
Paulatim & montes,agmenq́; coire ferarum,
Huc etiam motos credo uenire deos:
Tunc mihi de terra ſuper aurea ſydera tolli,
Tunc uideor ſummo proximus eſſe Ioui.

Quid dotes Gobine tuas, & cætera dicam
Ornamenta, quibus nobile pectus habes?
Salue igitur multùm, noſtri Tirynthius æui,
Salue, cui nec habet Gallia tota parem.

E Græco ἀλιωαίτου. CAR. CXCV.

Omne breue eſt homini miſero, quod uiuitur, æuum,
Vel liceat nobis omnibus eſſe ſenes.
Optima ſet citius fugit ætas: dum ſumus ergo,
Omnia ſint paßim pocula, cantus, amor.
Inſtat hyems, ſeniumq; malum: tunc mille talentis
Nulla pigrum penem ſuſcitet empta Venus.

In fronte Gelliani codicis. CAR. CXCVI.

Attica nox hæc eſt, nulli ceſſura diei,
Quod dedit egregiæ Gellius artis opus,
Sermonis Veneres hìc ſunt, omneſq; Latinæ
Deliciæ: uulgò non patet iſta penus.

Ad D. MARGARETAM à Francia, Nauarræ reginam, regiſq; FRANCISCI ſororem, prægnantem. CAR. CXCVII.

O dilecta Deo regina, & numine plena
Margaris, ò clara regia ſtirpe ſoror.
Fœmina rege potens germano, & rege marito:
Fœmina præcipuis anteferenda uiris.
Tu præſtas uirtute tua, ne priſca uetuſtas
Noſtra pudicitiæ tempora laude premat.
Nam tua inextinctam ſeruant præcordia flammam,
Diuinoq; tuum pectus amore calet.

Ingenium,

Ingenium,mores,candor,præſtantia formæ,
Diuitiæ,pietas,lingua diſerta,genus,
Ornamenta tibi tot ſunt,cœleſtia dona:
Te ſupereſt mulier nulla beata magis.
Set uereor,iuuenis ne dicar ſtultus,& audax,
Virtutes auſus dicere uelle tuas:
Quas neq; Threïcius dignè cantauerit Orpheus,
Saxa licet cantu traxerit,atq; feras.
Sis felix,& cùm pariendi uenerit hora,
Non Lucina ferat,ſed tibi Chriſtus,opem.
Sitq́; tuus(ſeu mas fuerit,ſeu fœmina)fœtus
Perſimilis matri,perſimilisq́; patri.

In Corallium. CAR. CXCVIII.

Me ſolum quoties uides,Coralli,
Non ceſſas mihi permoleſtus eſſe,
Tecum ludere cogis,& iocari,
Et collum mihi ſæpe,ſæpe utrunq;
Titillas latus,uſq; & uſq; macris
Inſtando digitis,identidemq́;
Lingua lumina baſias petulca:
Hinc,hinc,i procul,i procul,Coralli,
Non ſum fœmina,ſum puer dicatus
Chriſto uni domino,pijsq́; Muſis:
I,portentum,Erebi ignibus cremandum,
Impurum caput,impudenter audax:
I,ne mox moriare:noſtra nanq;
Non fert Gallica terra παιδεραστάς.

Ad Piſcem poëtam. CAR. CXCIX.

Qui tam dulce canis iuuenili carmen auena,
Piſcis,& Aonium fundis ab ore melos,
Illos ut melius modulatos eſſe negarim,
Qui traxêre lyra ſaxa,ferasq́; ſua.
Te mihi relligio eſt Piſcem appellare: canoræ
Sirenis potius nomine dignus eras.

Ad Iacobum Langium Tuſani diſcipulum. CAR. CC.

Pallada Tuſano coniungis utranq; magiſtro,
Virtutes referens illius,& Veneres:
Dotibus his tantis accedit forma,genusq́;:
Perge puer,magno ſic Ioue dignus eris.

Virtus,è Græco ἀλήθεια. CAR. CCI.

Pulchra(Dei donum)Virtus facit una beatos:
Poſt cineres Virtus uiuere ſola facit.

In Pylium. CAR. CCII.

Me Pylius nuper ſecum certare coëgit,
Nominis ut demens ardet amore ſui.
Cenſores aderant,calamo certatur utrinq;:
Set non longa fuit pugna,uolente Deo.
Palma mihi cedit: Pylius ridetur,& eius
Carmina ſunt toto fabula facta foro.
Prouocat & Pylium puerorum turba,per urbem
Inſectans ronchis,inficiensq́; luto.
Et Pylius latitans optat ſibi terra dehiſcat,
Pœnitet & mecum conſeruiſſe manus.
Et ſibi Pythagoras,& quicquid cogitat,audet

Stultus,

Stultus,& accepto uulnere,ſerò ſapit.

Deus. CAR. CCIII.

Vnus qui Deus eſt,hunc unum credimus eſſe;
Quo ſine,quæ fiunt,ſunt ea facta nihil.

Ad Renatum P.amicum.
CAR. CCIIII.

Debeo grande tibi æs,nec ſoluere curo,Renate.
Meq; tuo uinctum ſemper in ære tenes.
Syngrapha nulla tibi eſt,teſteſq; adhibere negaſti.
Qui candor tuus eſt,& pietas,& amor.
Quid ſupereſt igitur,niſi tali indignus amico,
Vtq; ſtatim faciem perfricuiſſe,noter?
Set moriar potius,uel uiuus trudar in Orcum,
Ingrati maculam quàm ſubijſſe uelim.
Non ego,ſet per me,multo cum fœnore,reddet
Muſa tibi,cui ſum deditus,atq; ſacer.
Immortalis eris,totoq; canêris in orbe,
Temporibus felix nate,Renate,meis.

Ad eundem. CAR. CCV.

Debeo multa tibi,ô hominum chariſſime,nec ſum
Soluendo,eſſe etiam lætor in ære tuo.
Debeo non nolens multa,& nil debeo nolens,
Debeo nil nolens,debeo multa uolens.

Somnus & Mors,è Græco ἀδήλου.
CAR. CCVI.

Quo Mors nata fuit, Somnus patre natus eodem eſt:
Quàm bene ſunt ſimiles frater,& ipſa ſoror.

In quendam inſigniter impium.

CAR. CCVII.

Οὐδὲν θαυμασιώτερον τοῦτ' ἐστὶ, ἐχθρούς σε διώκειν.
Βλασφημοῦντα φίλους, κ' οὐδὲ σέβοντα θεούς.

In Plautulum poëtam. CAR. CCVIII.

Carmine proſcindis meritò, lacerasq́; nouercam,
Plautule, nam nimis eſt illa nouerca tibi.
Sed te fert rumor letale parare uenenum:
Quid facis infelix? quò, furioſe, ruis?
Hic niſi mentitur rumor, ſcis quid facis, amens
Plautule? confundis carmina criminibus.

In eundem. CAR. CCIX.

Vis intemperias auferre, odiumq́; nouercæ?
Crimine non debes, carmine uire potes.

In eundem. CAR. CCX.

Pone uenena, precor, mi Plautule, pone uenena,
Parce ſacras Muſis conſcelerare manus.
In promptu tibi ſunt ſcazontes, ſunt & iambi:
Hæc arma, hæc uatem, Plautule, tela decent.

Ad patrem. CAR. CCXI.

Frigida noſtra, pater, dixiſti carmina, ſanè
Frigent, quæ fecit carmina potor aquæ.

Item paulò poſt, ad eundem.

CAR. CCXII.

Me ceſſatorem uocitas, non ceſſo, niſi cùm
Ceſſas: cùm ceſſas, tunc ego ceſſo, pater.

Ad Car. T. CAR. CCXIII.

Si te purpureum, quam uiſis, Roma remittet,
Ipſa reuiuiſcet carmine Roma meo.

Sin

Sin minus, optarim potius, te Gallia nobis
Seruet: te ſaluo, Carole, ſaluus ero.

Brilli pueri epitaphion. CAR. CCXIIII.

Diſcite, uos pueri, taleis euadere caſus,
Et mea deſertum quur habet oſſa nemus.
Brillus eram, puer ante alios formoſior omneis,
Quos unquam tulerit Vandoperanus ager.
Hîc me uenantem miſerum, & nil tale timentem,
Fulmineo ſpumans ore uorauit aper.
Credo equidem Martem (Veneri ne forte placerem)
In ſcelus hoc, dentes adplicuiſſe ſuos.
Si me igitur noſſet quondam Cytherea, & amaſſet,
Et forma, & fatis, alter Adonis eram.

In Charidemum. CAR. CCXV.

Qui nunc ſe Hippocratem Charidemus nuncupat, illi
Multo eſſet melius ſe facere Harpocratem.

Εἰς μοναχούς. CAR. CCXVI.

Innumeri indutis, hac tempeſtate, cucullis,
Se cœlo dignos eſſe, Deosq; putant.
Sic miſeram falſa uenantur imagine plebem,
Et ſua ſub dulci melle uenena tegunt.
Sic pia, prætextu uirtutis, pectora fallunt,
Illudunt uulgo, ſimplicibusq; nocent.
Quid monſtroſius eſt monacho, qui præter amictum
Nil aliud ueræ relligionis habet?

In Martem. ſcripſit admodum puer.
CAR. CCXVII.

Mars inimicitias fouet, & ſerit impius iram,

Concordes

Concordes animos dirimit,Pacemq́; peroſus
Horrida committit iunctos in prælia fratres,
Inceditq́; domos odijs,& funera tectis
Letiferasq́; faces infert,peſtemq́;,famemq́;:
In furias reges agit,& plerunq; ſuperbo
Deturbat ſolio,populos euertit & urbes
Ferreus,humano ſolitus gaudere cruore.
Ante diem innumeras animas demittit in Orcum,
Infernisq́; addit tenebris,& Tartara ditat:
Vindictam ſitit,& ſtudio ſceleratus habendi
Ardet,& in ſomnis fraudes concinnat,& aptat
Inſidias,artes percallet mille nocendi.
Enſe uiri pereunt,uruntur mœnia flammis,
Captiuæ matres,pueri,innuptæq́; trahuntur:
Omnia confundit Martis furor,omnia miſcet.

Ad Io. Tempium. CAR. CCXVIII.

Tempius,hoc nomen ſeu dant tibi Theſſala Tempe,
Nulla quibus fertur terra beata magis,
Seu potius tanta pietate uocaris ab iſta
Tam pius,egregiè quadrat utrumq; tibi.

De ſeipſo,è Græco Σαμίου.

CAR. CCXIX.

Nunc,quamuis loculos exhauſerit alea noſtros,
Nec melius pluma noſtra crumena ſonet:
Non tamen ad laqueum fugiam,ſed mente recepta,
Iam ſperno,& iubeo turpe ualere lucrum.
Tranquillis reddor ſtudijs,& carmina condo,
Quæ celebrent toto nomen in orbe meum.

Ludite

Ludite uos alij, quibus aurum creſcit in arca,
Ludite: ne ludam, me mea damna monent.

De Gilberto Ducherio Vultone.

CAR. CCXX.

Si quiſquam orator, uatesq́; eſt optimus idem,
Si quenquam dotis laus utriuſq; decet,
Quem Pitho miratur, amatq́; canorus Apollo,
Vtraq; Ducherio gloria iure datur.

Amor loquitur, è Græco ἀδήλου.

CAR. CCXXI.

Hunc arcum metuunt reges, tellus, mare, cœlum:
Præq́; meis frigent omnia tela Iouis.

Mors. CAR. CCXXII.

Dum uolet omnipotens tria claudi fata ſororum,
Subiacet imperio Mortis uterq; polus.

D. Barbeſio. CAR. CCXXIII.

Raptus ut in cœlum eſt meus ille Georgius, olim
Qui fuit Ambaſiæ gloria prima domus,
Fleui, fleuerunt mecum, & fata impia Muſæ
Dixerunt, fleuit Vandoperanus ager.
At pro defuncto nobis qui contigit heros
Barbeſius, ueræ nobilitatis honor,
Detergit nobis lachrymas, & gaudia reddit,
Dum nos fortunæ ſpe melioris alit.
Quid tam magnificè de te, heros optime, dicam?
Omnia ſunt meritis inferiora tuis.
Ergo tuæ ſupera uiuendo ſtamina Parcæ,
Et diuos faciles, cum morieris, habe,

Ad

Ad eundem. CAR. CCXXIIII.

Scribere quur ad te potius, quàm accedere, malim,
Si rogitas, iſtuc me uetat ire pudor.
Ecce tamen totum tibi me, uir maxime, dedo:
Dum uiuam, in famulis me numerabo tuis.
Nil fingo, loquor ex animo, fac ipſe periclum,
Atq; iube: peream, ni tua iuſſa ſequar.
Ecce tibi doctas faciam ſeruire ſorores,
In cœlumq́; feram, teq́;, tuamq́; domum.

De Germano Brixio, & Salmonio Macrino poëtis nobilibus. CAR. CCXXV.

Aëtas egregios duos poëtas
Hæc fert aurea, Brixium & Macrinum.
Felix Gallia, tali utroq; Gallo:
Lingua maximus eſt uterq; utraq;,
Ex æquoq́; beata uena utriq; eſt.
Mellitas cithara Macrinus odas
Flacci perſonat inſtar, & pudicos
Mores coniugis optimæ, atq; amores,
Effert laudibus, & ſuos, & omneis
Doctos, quiq; bonas amant Camœnas:
Atq; hoc ingenioſè, & eleganter,
Feſtiueq́; adeò facit poëta, ut
Huic dicas Veneres, Cupidinesq́;
Omneis, & Charites, Apollinemq́;, &
Muſas, omnia & adfatim, & uolenteis
Dictare, utq; ſuo fauere alumno.

Alter,

Alter,Brixius,aptus,& politus,
Emunctus,lepidus,facetus,acer,
Scribendis epigrammatôn libellis,
Primam dicitur obtinere palmam:
Nec molleis elegos ineruditè
Tornat,nec male ſurgit hexametris:
Pulchrè,aptè,bene,dexterè,Maronem
Naſonemq́; refert,Propertiumq́;,
In primisq́; ſales Catullianos.
Ecquiſnam eſt hodie poëta toto
Qui ſic fulminet,& triumphet orbe?
Aetas ô optima,talibus poëtis,
Aetas aurea,ſeculumq́; fœlix,
Diues Gallia,Brixio,& Macrino.

Ad Somnum. CAR. CCXXVI.

Dum iaceo feſſus,nullamq́; expecto puellam,
Quur iuueni,quur non,impie Somne,uenis?

De Budęo. CAR. CCXXVII.

Ingenia ingenijs ut cedant Itala Gallis,
Budæi uirtus unius una facit.
Gallicus Alcides hic eſt,ŭtriuſq; Mineruæ
Perpetuus torrens,eloquijq́; parens.

Ad lectorem. CAR. CCXXVIII.

Quem mimos ſpectare iuuat,triſteisq́; tragœdos,
Comœdosq́; leueis,funiuagosq́; pedes:
Qui ſæpe & ſcurris patienteis arrigis aures,
Ne ſpernas noſtros,lector amice,iocos.
Nã uelut exoriens, pulchro undiq; lumine Phœbus,

Nubibus expulſis cuncta ſerena facit,
Sic animo triſteis abigunt noua carmina curas,
Si modò ſint faciles, molliculiq; fluant.
Ergo hunc ne iuuenem, lector, contemne poëtam,
Carmina qui læto tempore læta facit.

Θρῦνος. CAR. CCXXIX.

Huc ad me properate omnes, qui quæritis ignem:
Quur quæſitum aliò curritis? ignis adeſt:
Nempe, ego ſum fornax, intus ſunt uiſcera flammæ:
Semper inextinctis uror, ut Aetna, rogis.
Si ſummo attigero digito (mirabile dictu)
Et maria, & tellus, & polus, ignis erunt.
Ardeo, & uror amans, Amor hæc incendia fecit.
Vt mea ſic flagrent pectora, fecit Amor.
O crudelis Amor: nam fertur mater & ipſa
Sæpe Cupidinea lampade læſa Venus.
Ne matri puer ille quidem, nec parcere diuis
Nouit: ego heu quid agam? neſcio, ſemper amo.

In Pharum. CAR. CCXXX.

In puteum impurus cecidit Pharus, ille parum uir:
Dignus erat flammis, ni perijſſet aquis.

Epithaphion cuiuſdam ἱερολειτουργοῦντος. CAR. CCXXXI.

Dum mihi commiſſum populum malè curo, uagari
Incuſtoditum linquo per arua gregem:
Dum uentri, Veneriq;, Epicuri de grege porcus,
Seruio, cor fixit mors inopina mihi.
Nunc animam lacerant Furiæ, uermesq; cadauer:

Heu

Heu fugiunt magnos crimina nulla Deos.

In puerum inſidias auiculæ apertè parantem. Auicula loquitur.

CAR. CCXXXII.

Quid coràm mihi decipulas, & retia tendis,
O puer? inuitos uincula nulla ligant.

De paſſerculo mortuo Roſæ puellę.

CAR. CCXXXIII.

Mortuus in parua eſt inuentus pyxide paſſer,
Paſſer, amor pulchræ delitiumq́; Roſæ.
Longè aliter perijt, quàm quem tua Lesbia deflet,
Lesbia, pars animæ, docte Catulle, tuæ.
Non hunc eſuries, non hunc ſitis arida preßit,
Inſidiæ nullæ, nullus acerbus odor.
Cùm deſiderio, nimioq́; arderet amore
Abſentis dominæ, tabuit, & perijt.

Eiuſdem paſſeris epitaphion.

CAR. CCXXXIIII.

Clauſerat in parua mea me Roſa pyxide: leto
Illius abſentis me mora longa dedit.

In Corallium. CAR. CCXXXV.

Καίπερ ἰὼν φιλόπαις εἶ παῖσι, κοράλλιε, φρικτὸς
Ὡς ἔχις, ὡς ἄλη, ἡμερόκοιτε λίφωρ.

Pro puero condiſcipulo ſuo, ad pręceptorem iratum. CAR. CCXXXVI.

Parce mihi, ſi quid peccaui, parce, Magiſter,
Si tibi non potuit par meus eſſe labor.
Iußiſti ut uerſus facerem, ſed nullus Apollo,
Nulla mihi præſtò Muſa uocata fuit.

f 5 Ter

Ter ſum conatus, ſet ter contraria ſenſi
Numina: de tabula ter cecidere manus.
Ergo nates noſtræ carmen tibi flebile mittunt,
Et tremulæ ueniam (quam meruêre) petunt.

E' Græco Σαμίου. CAR. CCXXXVII.

O' cæcos homines, mundo qui fiditis, in quo
Omnia quæ fiunt, tempore puluis erunt.

PRIMI NVGARVM LIBRI FINIS.

RELIGIOSISSIMO VIRO D. VVILLELMO

Boſtono, Regij cœnobij Vueſtmonaſterij apud Londinum antiſtiti, Nicolaus Borbonius Vandop. ſalutem.

QVANQVAM *epiſtolæ familiariores hodie, inter literarum ſtudioſos, à uoluptate magis quàm à rebus ſerijs, argumentũ mutuantur: tamen, quum memoria teneam, quid oneris mihi dudum iniunxeris, quod tibi ſcio fore gratiſſimum, id exequar, præſul ampliſſime. Florentioris eſt ætatis, fateor, hæc ſcriptitandi ratio, animíque exultantioris. Sed quid tum poſtea? Non'ne colludere interdum tecum, propterea mihi religio erit, quòd quidam*

dam nimis emunctæ naris honeſtos iocos nõ probant? Audi quid uelim. Cùm nuper de literarum præſtantia, linguarum' que adfinitate, ac multiplici uarietate, ſuper cœnam, ut fit, confabularemur, recepi me facturum, ut primo quoq; tempore Græcas aliquot uoculas inter legendum tibi ſeligerem, quas iam tum ferè in numerato habebam, quæ apud Gallos noſtros uulgò etiamnum in uſu ſunt: præter inſigneis illas, quas Budæus & Bayſius animaduerterunt. Neque dubito quin hac epiſtola quamuis incompoſita, ac tumultuaria, magnam abs te gratiam ſim initurus: præſertim quum certò ſciam, te natura perſtudioſum eſſe earum rerum, quæ ad illuſtrãdam rem literariam pertinent: ne quid interim dicam de cæteris dotibus ingenij tui, quibus ita apud Britannos tuos inclaruiſti, ut nemo alius magis. Ad rem ueniamus, & quàm multa in uulgari quotidianóque ſermone noſtro ſint, quæ Græcè etiam imprudentes efferimus, conſyderemus. θύω ferè ut Græci dicimus pro macto. ubi, υ, ut, u Latinum, ſonamus, idq; rectè, quemadmodum in pleriſq; alijs. Mammam quoque ut illi, τιτθίον. Pro eo quod Latini dicunt illic, pleriſque ex noſtratibus eſt ἐκεῖ. ut pro incîdo ſeu ſeco, κόπτω. Propemodum quod ſtrido & reſono Latinis eſt, id nobis cõmune cum Græcis in τρίζω, & βράχω, & κράζω. Criare enim dicimus ἀντὶ τοῦ κρίζειν: Capræ uitem arrodentes uulgò dicuntur βρώσκειν: ut à βόσκω, id eſt, paſco, id enuntiamus, quod Latini nemus. ἐκτέμνω, id eſt, excido, Gallicè entamare dicitur: nam

Budæus.
Bayſius.

en, ut Græci ἐν, & pronunciamus, & ſcribimus, eo-
demq; ſignificatu. Concordiam & conſuetudinem ſi-
ue conuictum, aut familiaritatem uolentes ſignifica-
re, dicimus uulgariter acontantiam, ἀπὸ τοῦ ἀκοίτης, ſiue
ἄκοιτις: cui confine eſt ἡ κοίτη pro cubili ſeu culcitra. Mi-
rum eſt à paucis, aut certè à nullis animaduerſum eſ-
ſe κάμβην id ſignificare nobis, quod tibia Latinis, κ, in
ι, uerſo. uulgò ſiquidem iambam dicimus. quanquam
quid propriè ſit κνήμη, non me fugit. Siquando uelim
dicere rem quampiam nihil ad me attinere, parū ab-
eſt, quin Græcè dicam οὐδὲν μέλει μοι τοῦ. quod ruſtici
etiam dicunt, Nihil me admiſceo huic negotio. γρύζω
pro rixor, noſtrate eſt, ut παῦρος pro paupere ac te-
nui: & βάβαξ pro locutuleio & blaterone. Πέρθω pro
pertercbro, ſeu, ut Latinè, percello. κλάγγη pro nola
ſeu cymbalo, mutato α, in ο: nam clocam dicimus. Item
uermiculos ſeu teredines, quibus manus noſtræ potiſ-
ſimum infeſtantur, chirones uocamus: haud dubiè ἀπὸ
τῶν χειρῶν, hoc eſt, à manibus. Quin & ægros, molli-
terq; ſe habenteis, quaſi μαλακούς appellamus, ut pro
ægritudine μαλακίαν, κ, in λ, mutato. Δὴ & δὰ pro ſa-
nè, certè, utiq;, peculiaria nobis Lingonibus ſunt. Eſt
& ἀκούω nobis familiariſſimum, uocali cuius initiali
literam σ, nonnunquam præponimus, uidelicet, cùm
quempiā nobis aliquid in aurem dicturis propius ac-
cedere iubemus. Iam uerò hominem audacem, & in-
trepidum nos dicere ἀπὸ τῆς καρδίας quis dubitet, prima
litera κ in aſpirationem uerſa? quemadmodum & uos
Britannos

Britannos ſolere aliquando obſeruaui, atq; miratus ſum, cùm cor uultis dicere, lingua ueſtra uulgari. Quod Latini dicunt optimum aut peßimum, nos uenuſtè, & Græcè magis quàm Latinè τρὶς καλὸν, καὶ τρὶς κακὸν, *ter bonum & ter malum dicimus. Atque in his uulgò tres non ter pronuntiamus, hoc eſt* τρία. *Et aſſerem lingua noſtrate Campanica, id eſt, Lingonica, ferè* φαπίξιον *dicimus: ſicuti pueros dominorum aſſeclas* παῖδας *adhuc uocare perſeueramus. Hîc mihi uenit in mentem* σαβάζειν, *quod Græci dicunt, pro eo quod Latini, bácchari turpiter, ac tripudiare, bacchantium in morem. Hinc Bacchus ipſe* Σαβάσιος *dictus. Vnde et acclamationes illæ Demoſthenis in Aeſchinē* εὐοῖ σαβοῖ. *Ad quas uoces proximè uulgus accedit noſtrum, cùm lingua patria ſabatas uocat ebrioſas mulieres, furentiq́; percitas libidine, errabundasq́;, ac perſequenteis: quæ à Græcis quoq;* σιβάδις *dictæ ſunt. Plura his aggregarem, niſi pluſquam ſerias occupationes tuas reueritus, cætera perſequi mállem, quæ à me iampridem amplitudo tua efflagitauit: neque poſſum, quin genio iſti tuo morem geram, quem ſcio ipſum nugis meis apprimè delectari. Nugas appello, non carmina mea ſolùm, quæ uel nunc ad te mitto, uel quotidię noua cudo, uerùm etiam quicquid à me dici, ſcribi, cogitari poteſt. H. Careo, & Tho. Haruæo* συμπαίκτορσι, *Noreſioq́;, & Dudlæo alumnis noſtris, optimè natis adoleſcentulis, eorumq́; omnibus mihi chariſsimis cõmilitonibus ad hunc modum nuper ſcripſi.*

Hic, præter belli rumorem, incertaq; rerum
Euenta, iactatur nihil.
Quare ego nil habeo, pueri, quod ſcire uelitis,
Muſæq; ueſtræ poſtulent.
Vos oro, patrem cœleſtem ardenter amate,
Eiusq; Ieſum filium
Orate, ut nobis redeat pax, Marte ſepulto,
Serenitasq;, & otium:
Vt ueſtris reddar ſtudijs, quorum omnia cauſa
Aduerſa ferre peruelim.

Vel ex his meis uerſiculis potes cognoſcere, quo ſim animo erga diſcipulos meos: quos utinam hîc mihi habere liceret, idq; ſederet animo D. HENRICI *Regis ueſtri: cuius principis in me liberalitatem nõ tacebo, pluſculum boni otij nactus. Tametſi non me latet, quàm audax facinus fuerit, tanti monarchæ laudes aggredi: id quod in principio cuiuſdam ſyluulæ meæ innuo, cum ſic loquor Muſas inuocans:*

Scilicet humanis non eſt hæc uiribus æqua
Materies, nedum apta meis: niſi numina Diuæ
Veſtra mihi adfuerint, mentẽq;, et uerba miniſtrẽt.

Set de his aliâs. Nihl hîc nouum neq; uideo, neque audio, quod ſcire magnopere cupias: niſi quòd D. FRANCISCVS *rex noſter, cum eoq; Galliæ omnes, feliciorem in dies huius belli exitum expectant. Nam hoſtis nihil iam aliud, quàm tergiuerſatur, fugamq; adornat. Ego illum oro, qui unus omnium Regum corda, pacem ac bellũ, uitamq; ac mortem, habet in manu, eò*

uertat

uertat omnia, ut ipſi, laudi ac gloriæ, nobis, totiq; Reipublicæ Chriſtianæ, ſaluti cedant. Rhythmos ſeu numeros, lepôrum, ac gratiarum plenos utriuſq; Scæuæ, Gulielmi, ac Mauricij Lugdunenſium, & Clementis Maroti Cadurci, ingenioſi hominis, ad te mittam breui, ne deſit tibi, quo pulmonem ridendo exerceas. Eſt hîc quidam mihi familiariter notus, iuuenis eruditione et eloquentia neutiquam uulgari præditus, qui neſcio quid inauditum inſperatumq; molitur, in adyto atque penetrali Muſarum clauſus. Opus quod parturit, cum pepererit, faciam te certiorem. Iul. Camillus, P. Daneſius, Bunelluſq;, & Simon Thomas, adhuc expectantur. De morte patris ac matris, quid egerim cum fratribus, quantum ſudauerim, ne quis iure ſuo fraudaretur, denique, quàm ex animi ſententia negotium omne confecerim, malo ex aliorum literis intelligas, quàm meis. Sunt enim hîc quidam adoleſcentes, mei auditores, qui tibi ſcribunt, quiq; in Britanniam proximo uere nauigare ſtatuerunt, uel ea gratia, ut oris tui conſpectu fruantur: planè honeſto nati loco omnes, omniumq; piè ac uerè doctorum, hoc eſt, tui ſimilium, uidendorum deſyderio flagrantes. Cæterum: de ERASMI *obitu, nihil eſt, quod amplius hæſites: Valeat ſenex apud manes. De Budæo doctiſſimorum omnium coryphæo, uarius hic rumor eſt:* Def. Eraſmi obitus. Gul. Budæus.

Quem mihi fata uirum ſeruent: ut prorſus abacta
Barbarie fœda, Muſæ toto orbe triumphent.

Memini te dicere, nihil animo tuo à ſtudijs negotijſq;

Ioannes Borgio Sueſſion. Borbonij famulus.

ſeurerioribus feſſo, æquè gratum fore, atque ſi ſcriberem tibi literas quàm poſſem & loquaciſſimas, & maximè ridiculas: audi igitur quod rideas. Ioan. Bor*gionem famulum meum noſtin'? Is cùm febricula laboraret, ac* D. Butti *Regij medici præſcripto dies aliquot, præter naturam patriumq́; morem, à uino temperaſſet, in morbũ grauiorem incidit.* Id *uerò cùm* Ed*mundus medici* Butti *filius animaduerteret,* Borgio*nis mei miſertus, rectà domũ tuam (cui* Nethum *eſt nomen) contendit, ubi à quopiam famulo tuo, excellentis uini lagœnam nactus, ad* Borgionem *ægrotantem, ac ſitibundũ defert.* Borgio, *ubi adeſſe uinum audiuit, repentè è lecto proſiliens, totam lagœnam, uno impetu* καὶ ἀμυστὶ *exhauſit, atq; ita mox conualuit.* Tui *igitur uini, tuorumq́; erga ſe beneficiorũ,* Borgio *non immemor, me rogauit, ut ſi quando tibi ſcriberem, literis meis carmen ſuper ea re ſuum dignarer adijcere.* Scili*cet eò uſq; procaci huic flagrioni, de tua facilitate, morumq́; ſuauitate conſtat, ut non dubitet (ſicuti uides) ridendi tibi materiem undecunq; ſuppeditare: perinde quaſi nihil tibi aliud ſit quod agas.* Quanquam *ſi quid hîc peccati eſt, ut certè eſt ſatis multum, cauſam haud dico, quin id totum in me conferas: quandoquidem totius huius epiſtolæ meæ ſcopum eſſe uolo, ut rideas.* Borgionis *mei carmen ſic habet, in* Buttum *medicum:*

F*ebre laborabam infelix ego* Borgio, *cùm tu*
V*inum interdixti,* Butte *ſeuere, mihi:*

At

At uino egregio Boſtôni præſulis hauſto,
Conualui, Bacchi munere, non medici.

ALIVD EIVSDEM CARMEN.

Præſul, ſis fœlix, omniſq́; Britannia tecum,
Si mea non triſti ludicra fronte legis.
Hîc patriæ uarios fructus contemplor, & anni
Diuitias, & quæ ſunt mihi ruris opes.
Hîc tua, Borbonio cum præceptore, recordor
Vina, quibus noſtro corpore febris abit.
Hîc piſcor lætus, uenorq́; hîc cerea pruna,
Caſtaneas molleis, mitia poma lego:
Hîc obſeruo lupos: & uitibus arceo noſtris:
Ne non, quæ dederis, reddere uina queam.

Dum hæc ſcribo, uel effutio potius, quidam Londinen ſis negotiator, de facie tantùm mihi notus, interuenit, rogans, ecquid uelim in Britanniā: quare ut citius ac ſperaram, epiſtolam hanc claudā neceſſe eſt: ne tabellariū remorer, qui cras admodū manè, ac fortaßis antè quàm è tepefacto nido diuulſus fuero, equum eſt conſcenſurus. Fuſius nugabor tecū otioſus, candore animi tui fretus: quando mihi ipſe iandudum te uelle perſuaſiſti, ita ut faciam. In ſumma, tu unus es piorū omnium atq; eruditorum hac tempeſtate præſulum, quo cum omnia tum ſeria, tum ludicra liberrimè communicem: Cuius animi mei ſpero me olim aliquando fidem fecisſe D. Latimero, præſuliq́; Elyenſi, atque adeò ipſi Tho. Thyrbæo, tuarum uirtutum admiratori ſummo. Idq́; contigit, niſi fallor, cum fortè in ædibus R. P. D.

Tho.

Tho. Crāmari pontificis Cātuarienſis una prodeambularemus. Caueat autem ſibi D. *Buttus, cæteriq; ueſtri medici omnes: quippe in quos acerrimam iam ſum meditatus expoſtulationem, niſi ſacrilegam iſtam abs te podagram quàm primùm depulerint: quã ego utinam carminibus meis poſſem abigere, ne quid iſti corpuſculo pharmacis opus eſſet.* Vt *ſeriò iocer, nemo eſt, mea quidem ſententia, cui tutius committere ualetudinem tuam poßis, quàm* D. *Butto: quem ego uirum ipſius merito plurimi facio, eoq; impenſius amo, quò eum tui ſtudioſiorem ſæpenumero ſum expertus. Præterea argenteum poculum, quo me donaſti, non modò ſeruo diligenter, ſet in delitijs quoq; habeo, ac ſubinde amicis oſtento. Atq; hodierno die à prandio, cùm memoria repeterem, quanta uini penuria tum forte laborarem, cùm poculum huiuſmodi ad me dono miſiſti, ex tempore feci diſtichon:*

Gul. Buttus Regius apud Britãnos medicus.

Κοῖλον ἐμοὶ καὶ ἀργύρεον κρατῆρα πέπομφας,
Ὦ Βοσῶν ἰδρεῦ, πέμπε καὶ οἶνον ἐμοί.

Vbi primũ Deus Optimus Maximus *me Muſis meis reſtituerit, & hos rerum* καὶ λημνίων κακῶν *turbines placauerit, operam dabo ſedulò, ut quicunq; iſtic ſunt* οὐκ ἀπαίδευτοι, *intelligant, me ſummo ſtudio ſolere doctorum hominum amicitias petere, &, ubi conſecutus ſum, religioſißimè tueri.* Longum *ualeãt noui quidam iſti frontones, qui riſum exiſtimãt rem eſſe profanam, indignamq; homine Chriſtiano. Scio huiuſmodi quoſdam frequenteis apud te eſſe, ad quorum ſimulatam ſanctimo-*

Superſtitioſos intelligit, quorum maxima turba eſt.

ſanctimoniam te pro ſingulari modeſtia tua ad tempus conniuere ſemper iudicaui. Horum alicui in manus ſi fortè hæc epiſtola inciderit, qua tibi riſum mouere uolui, hoc eſt, qua animũ tuũ recreare utcunq;, atque exhilarare ſtudui: ſtatim, ſat ſcio, clamitabit epiſtolam nihil habere prorſus Chriſtiani ſalis. Sic enim loquuntur οἱ ἄνευ τοῦ πράττειν, καὶ μέχρι τοῦ λέγειν διδάσκαλοι. Set rumpantur medij, ac uociferentur quantũ uolent. Si uixero, ſpero me effecturum, ut ſanctuli iſti, uelint nolint, cognoſcant, tempeſtiuo, atq; honeſto riſui, plus ineſſe poſſe ueræ pietatis, quàm in triſtibus quorundã ſupercilijs. Quòd ſi mihi mouere ſtomachũ inſtiterint, quid ipſæ laruæ in tenebris factitent, in lucẽ proferam: & alioqui ſcio, quid ipſe apud me ſæpe de illis conqueſtus ſis, quantumq́; tibi moleſtiæ talia hominum portenta exhibuerint. Hîc, urgente tabellario, cogor manũ de tabula. Vale. D. LVCIVS STELLA, ille iam penè unicus Mecœnas in Gallia meus, ut hîc tibi plurimã ſuis uerbis ſalutem adſcriberem, iuſsit. Dominus Chriſtus te ſeruet, præſul ornatiſſime. Lugduni nocte iam intempeſta. Decimo Cal. Octob. 1536.

AD EVNDEM.

Hæc te inculta nimis, uerboſaq́; littera, præſul,
 Audacter, ſet non irreuerenter, adit.
Et tuus uſq; adeò candor mihi cognitus, ut nil
 Me pudeat ſtudijs obſtrepuiſſe tuis.
Quanquam culpa tua eſt, ſi qua eſt: ſi iuſſeris, ipſe
 Noſti me in medio uelle ſalire foro.

FINIS.

NICOLAI BORBONII POETAE LINgonenſis Nugarum liber ſecundus.

Poëta ad libellum ſuum. CAR. I.

IPSE dari flammis moriens
Aeneida iuſsit
Virgilius,qua nõ pulchrius
extat opus:
Quur te igitur talem patior
ſupereſſe,libelle?
Quo nihil eſt rudius,nil
puerile magis?
Tot calamis,tot cenſuris,tot deniq; naſis,
Tot manibus,mauis,quàm periiſſe ſemel.
Quid?prodis?at(crede)breui prodiſſe pigebit,
Teq; domi(ah ſerò)continuiſſe uoles.
Sic pulli implumes perduntur,amore uolandi,
Cùm migrant nido,matre dolente,ſuo.

Ad Ioan.Pinellum. CAR. II.

Non tam Pieridas puto canoras,
Quàm,Pinelle,tuos amice uerſus,
Quos ad Franciolum meum dediſti,
Noſtrum diſcipulumq;,corculumq;
Noſtrum,deliciumq;,melq; noſtrum.
Set uæh uæh miſero mihi,canoros

Qui,

Qui,Pinelle,tuos celebro uerſus,
Verſus,qui puerum abſtulere nobis,
Noſtrum diſcipulumq́;, corculumq́;
Noſtrum,deliciumq́;,melq́; noſtrum.

Ad patrem Ioan.Borbonium.
CAR. III.

Diuitias quòd habes,populo quòd amaris ab omni,
Nec genus in cauſa,nec Dea cæca fuit.
Cauſa fuit pietas,pater,& ſibi conſcia recti
Mens tua,quæ ſimilem te facit eſſe Deo.

In REGEM momentaneum,inter pocula factum. CAR. IIII.

Rex hodie quum ſis,cras idem non eris,euge,
Quid,tanto faſtu,quur domineris,habes?

MICHAELIS Bodeti præſulis Lingonen. epitaphion. CAR. V.

Hîc ſitus eſt,heu,heu,uenerabilis ille Bodetus.
Præſule quo felix Lingonis ora fuit.
Relligio,& pietas,lugent,Charitesq́; ſorores,
Flent Muſæ,& laceris mœſta Minerua comis:
Ora rigat populus lachrymis,iuuenesq́;,ſenesq́;,
Et patriæ clamant occubuiſſe patrem.
Quod mortale fuit,parua requieſcit in urna
Corpus,mens uiuit,perfruiturq́; Deo.

In improbum quendam adoleſcentem,è Græco Samij. CAR. VI.

Admiſere nihil magis execrabile,fili,
Quàm quòd te talem mundo genuere parentes.

Ad puel-

Ad puellam, ex uulgari carmine
Maroti. CAR. VII.

Olim qui Veneris uultum depinxit Apelles,
Maximus, & primus fertur in arte ſua.
Ecce tamen genitor tuus eſt præſtantior illo,
Cuius peniculo facta puella Dea es.
Illa quidem multos urebat Apellis imago,
Atq; aliquot iuuenes cepit amore ſui.
Non habuit tamen unde ſuos reſtingueret ignes:
Tu ſimul inflammas, & medicamen habes.

E' Græco ἀδήλου. CAR. VIII.

Sedat multiuolum fames Amorem:
Hæc ſi non potis eſt, domabit ætas:
Si cedat uiolenta flamma nulli
Aetati, ſupereſt medela, reſtis.

Idem aliter. CAR. IX.

Compeſcit rabiem fames Amoris:
Aut certè poterit domare tempus:
Quòd ſi tempore fortior ſit ignis,
Reſtat ſola medela, ſtrangulari.

In quempiam. CAR. X.

Sis felix, tu qui mecum cœnare recuſas,
Tam felix, quàm me non (ut opinor) amas.

Ad anulum, quem à Paludano amico acceperat dono. CAR. XI.

Anule, te quamuis perlucida gemma uenuſtet,
Et rara quamuis aureus arte mices:
Quamuis ſis oculis opus admirabile noſtris,

Et

Et cingas digitos,condecoresq́; meos:
Haud alio tamen es gratus mihi nomine,quàm quòd
À mihi dilecto pectore miſſus ades.
Te quoties uideo,chari mihi uultus amici
Occurrit toties,& renouatur amor.
Ille Paludanus,medica uir maximus arte,
Et,quo candidius uiuit in orbe nihil:
Ille(inquam) donò mihi te dedit,anule fœlix,
Fœlix,nam noſtro carmine notus eris.
Non adeò irato ſum natus Apolline uates,
Vt mihi Pierides flumina ſacra negent.

Ad eundem. CAR. XII.

Anule,ne doleas,dominus tibi contigit alter,
Nec minus humanus,quàm prior ille fuit.
Cum placidis poſthac mecum uerſabere Muſis,
Cingens articulos,orbe micante,meos.
Sæpe inter Veneres ſpectandus,& inter Amores,
Tanquam Praxitelis luxuriabis opus:
Adde,quòd illa mihi eſt uiſu gratiſſima ſemper
Virginis effigies,quam tua gemma refert.
Nec prior ægrè fert dominus,communia mecum
Omnia habens:nam mens una duobus ineſt.
Te dedit ille mihi,ò fœlix,ò nobile donum:
Aeternum noſtri pignus amoris eris.

In Caſtorem. CAR. XIII.

Vidit ut Hebrææ nos impalleſcere linguæ
Caſtor,eris nobis ergo trilinguis? ait.

Linguarum(fateor)ſum perſtudioſus earum,
Quæ non uirus habent,quod tua,Caſtor,habet.

In quendam libidinoſum. CAR. XIIII.

Ocia ſi fugeres,& Bacchi pocula,fili,
Frigeres,quamuis ſit tibi cauda ſalax.

LOYSAE FRANCISCI regis matris epitaphion. CAR. XV.

Hic ſita ſum,cuius ductu auſpicioq; quierunt
Bella:cupis nomen ſcire? Loyſa fui.
Non obij,aſt abij:nam fama æterna loquetur,
Exegi uitæ quæ monimenta meæ.
Ex æquo charus mihi rex populusq; fuere:
Nimirum,regis mater eram,& populi.

Omnis homo peccat,è Græco Σκαμίς.
CAR. XVI.

Labitur omnis homo,ut mereatur ſæpe flagellum,is
Quem uel in electis uult Deus eſſe ſuis.

Ad Carolum T. CAR. XVII.

Carole mi,doctus doctos amplecteris omneis,
Solaris miſeros,pauperibusq; faues.
Nobilis es clara maiorum ſtirpe tuorum,
Set te nobilitat mens generoſa magis:
Inculcas populo regnum cœleſte,regisq;
Commiſſum,mira ſedulitate,gregem.
Deniq; componis,quæ nulla aboleuerit ætas,
Et facis æternis carmina digna roſis.
O utinam taleis multos hæc ſecula ferrent:
Non eſſent(ut ſunt)omnia plena malis.

In

In Marcum auarum, penè è Græco ἀλλήλων. CAR. XVIII.

Te miſerum dico, quem multi, Marce, beatum:
Nam teſtis ueras arguit uſus opes.
Vtere, ſic tuæ erunt: at ſeruo hæredibus (inquis)
Iam non eſſe tuas, alteriusq; puta.

In obitum Caſcæ. CAR. XIX.

Noſter heri mecum incedebat Caſca per urbem,
Garrulus, & ridens omnia, more ſuo.
Aſt hodie Caſcam prandentem uita reliquit,
Et nunc in tumulo corpus inane iacet.
O ſpes, ò hominum curas, ò uota caduca,
Quid niſi nos omnes, puluis & umbra ſumus?
Qui ſe hodie lætum uidet eſſe, putatq; ualere,
Forſitan hunc leto craſtina fata dabunt.

In opus Budæi, cui titulum fecit, de Aſſe. CAR. XX.

Quod ſibi uix multo multi peperere labore,
Vno Budæus comparat Aſſe ſibi.

Ad Ioan. Maldinum. CAR. XXI.

Vel, Maldine, modis, quur palleo, quærere miris
Deſine, uel docti nomen habere uiri.
Doctus es, & neſcis qui ſit color aptus amanti?
Ora habet infelix pallida ſemper amans.

Grammaticus. CAR. XXII.

Grammaticus quur prima docens elementa uocatur?
Quum ſit, qui ſcripti calleat omne genus?

In Amorē, ad Christoph. Richeriū. CAR. XXIII.

Res mala quàm ſit Amor, non ſum qui dicere poſſim,
Non ſi ferrea uox, uel ſit ahena mihi.
Sum tamen expertus multos in amore dolores,
Nec ſat adhuc noui, res mala quàm ſit Amor.
At, ſcio, triſte latet dulci ſub amore uenenum:
Hoc uno didici, res mala quàm ſit Amor.
Res mala non tamen eſt Amor, obſeruatus utrinq;:
Set moritur, quiſquis non redamatur amans.

In Rufum. CAR. XXIIII.

Ruſe, quid obiectas ſtudijs quòd macerer omni
Tempore? quur omni tempore Rufus olet?

In eundem. CAR. XXV.

Quòd malè præ ſtudijs habeam plerunq;, reprendis,
Ruſe: ſet heus quæſo, Ruſe, uales ſciolus?

In Pontilianum. CAR. XXVI.

O' quid, Pontiliane, cogitaſti,
Vt de iudice, prouoces ad illum
Quem noſti malè, Porculum eſſe uentrem,
Porcis atq; lupis edaciorem?
Si iudex prior ille te momordit,
Hic te Porculus ore deuorabit.

In Zoilum. CAR. XXVII.

Fœmina, flamma, fretum, tria ſunt mala, Zoile: uerùm
Tu tribus his geſtas peius in ore malum.

In eundem. CAR. XXVIII.

Da argentum, da diuitias, da, Iuppiter, aurum:
Da uolitet toto nomen in orbe meum.

Quid loquor? ah fallor, bone Iuppiter: hoc peto tantũ,
Vt crepet inuidia Zoilus ipſe ſua.

In inuidos, è Græco ἀδήλου. CAR. XXIX

Inuidus ipſe ſibi crux eſt, & peſtis, & ignis:
Inuidus in medio pectore uulnus alit.

Scribit puer ad pueros pueriliter.
CAR. XXX.

Adſueram, pueri, Muſarum tenditis arcem?
Conſilium læta carpite fronte meum.
Apta parum ſtudijs nox eſt, inimica lucerna eſt,
Noctis opus multis exitiale fuit.
Nocturno ſtudium non eſt damnoſius ullum,
Ingenium obtundit, corpora ſicca facit.
Intempeſtiua eſt ſtudijs nox; commoda lux eſt:
Luce labor bonus eſt, & bona nocte quies.
Pulchra dies operi; nox conuenit atra quieti:
Tam bene diſcreuit tempus utrunq; Deus.
Surgite ad Auroram, pueri, gratiſſima Muſis
Hæc eſt, hæc ſtudijs hora dicata bonis.

Ad Ioan. cognomento Regem.
CAR. XXXI.

Regis habes meritò cognomen, conuenit aptè:
Te regis: ò quanto dignus es imperio.

In Bullam ineptum uerſificatorem,
& maledicum. CAR. XXXII.

Deſine, Bulla, malos ructare tenebrio uerſus,
In bulla poſſes tutior eſſe tua.
Si non deſieris, mox experiêre poëtam:
I, miſer, & bullas euome, Bulla, tuas.

In eundem. CAR. XXXIII.

Scribe,emitte,crepa,bulloſa poëmata,Bulla,
Scribe,nec à bullis,Bulla,recede tuis:
Scribe uel imbrifero ueniunt quot ab æthere bullæ,
Scribe,leuis bullas auferet aura tuas.

In eundem. CAR. XXXIIII.

Bullas ecce habeo perenniores
Iſtis,quas ſine fronte,& inſolenter
Obtrudis mihi,flagrio,comate,
Impuriſsime,delicate,palpo:
Bullas ecce iubebo publicari,
Quæ non immemores tui manebunt:
Vt qui protegis aſſerisſq; bullás,
A' bullis meritos feras honores.

Ad Ioan. Vebrium,adoleſcentem mei perſtudioſum.

CAR. XXXV.

Si mihi cum puero bellum non eſſet Amore,
Si non flamma mihi plus foret una ſatis:
Ferre tuos ignes Vebri, tua ſpicula poſſem,
Forſan & abiecta lampade,terga dares.
At nunc cum ſæuo tua caſtra Cupidine iungens,
Me miſerum perdis,bisq; perire facis.

Ad eundem. CAR. XXXVI.

En ferus ille meus pharetra ſpoliatus & arcu,
Nunc lachrymat ſupplex,datq; Cupido manus.
Tu mihi ſic tractandus ades:ſi uicero,pœnas,
Aut mihi pro pœnis,oſcula mille dabis.

Ad eundem. CAR. XXXVII.

Carmine te uinci, ſet uincere dicis amore:
Muſa irata mihi eſt, uincis utroq; puer.

In Gelliam anum. CAR. XXXVIII.

Vt cubitem tecum, quantum tibi, Gellia, poſcis,
Accipe tantundem, Gellia, ne cubitem.

In Thracum Tyrannum. CAR. XXXIX.

Qui noua Thrax hodie molitur bella tyrannus,
Barbarus, & multo ſanguine fœdat humum,
Inuadit populos, urbes, alienaq; regna,
Omnia confundens, omnia cæde replens,
Vt pœnas demus, uitæq; errata luamus,
Hic tonat irati ferrea uirga Dei.

Homo è Græco τοῦ Σαμίου. CAR. XL.

Eſt homo, quo melius toto nil ſpirat in orbe:
Eſt homo, quo ſpirat peius in orbe nihil.

Εἰς τὸ ὄργανον, è Græco Politiani. CAR. XLI.

Fiſtula ſpectatur numeroſa, atq; æreus ordo:
Set quis in hoc ſtrepitus clàm fit? & unde ſonus?
Ille uolubilibus tremulas ferit ecce tabellas
Articulis, inſtans dexter utraq; manu.
Set (rogo) diſperſi unde fluunt tanta agmina uenti?
Folles à tergo flare uiden' geminos?

Ad Gerardum Ruſſellum. CAR. XLII.

Inclyte uir ſalue, & læto, precor, accipe uultu
Noſtra, licet non ſint carmina digna legi:
Si Muſas colis, adflicti miſerere poëtæ,
Quem iactant uarijs aſpera fata modis.

Aut ſi Muſarum nulla eſt reuerentia,ſaltem
Te moueat Chriſtus,cuius uterq; ſumus.
Si mihi opem tuleris,magno cum fœnore Chriſtus
Reddet,ut officium qui pietatis amat.
Hactenus audacem fecit Fortuna nouercans,
Quæ magis haud ulli,quàm mihi,dura fuit.
Addit & iſta animum pietas,qua clarus ubiq; es,
Ne tu me frontem perfricuiſſe putes.

Ad eundem. CAR. XLIII.

Vt me habeas,Ruſſelle,loco numeroq; tuorum,
Abs te nil aliud poſtulo,diues ero.

In Charidemum. CAR. XLIIII.

Stultitiæ fili,doctrinæ nullius,effrons,
Quur talem tanti te,Charideme,facis?
Inter grammaticos iactas decreta Platonis:
Si Plato quæratur,fis citò grammaticus:
Et nunc grammaticum, nunc te facis ipſe Platonem,
Nil homo grammatici,nilq; Platonis habens.
Omnia noui(inquis)ò perfectiſsime certè,
Si te,ut re uera es,noueris eſſe nihil.

Ad Cupidinem. CAR. XLV.

Vel redamet quod amo,uel fac,ne tangar amore:
Vel neuter flagret,fac,uel uterq; flagret.

Ad puerum quempiam,formæ ſuæ impendio indulgentem.
CAR. XLVI.

Et puer es(fateor)forma ſpectabilis,& qui
Inflammare queas,præ Ganymede,Iouem:

Deniq;,diuitibus clariſq; parentibus ortus,
Egregias dotes ingenioſus habes.
Ah iſthæc,miſerande puer,dona optima diuûm,
Vt ſibi ſint damno dedecoriq;,facis:
Negligis ingenium,uirtutemq;,atq; parentes,
Vna tibi eſt formæ maxima cura tuæ.
Atqui flagitium,monſtroq; ſimillima res eſt,
Sic puerum formam ſollicitare ſuam.
O demens,audes animo præponere corpus?
Interit hoc,animum non necat ulla dies.
Pulcher adhuc puer es,ſet ſi perrexeris,ecce
Pro puero,turpis tu catamithus eris.

In P.N. CAR. XLVII.

Quarto quoq; die radi,tibi quid(rogo)prodeſt?
Te faciunt anni,non tua barba,ſenem.

In eundem. CAR. XLVIII.

Si quo formoſus poſſes euadere pacto,
Conſulerem,rugas eijce de facie.

E Græco Λεωνίδου,in Antiphilum cantorem. CAR. XLIX.

Nyčticorax cantat quiddam lugubre,ſet idem
Antiphilo audito,nyčticorax moritur.

Ad Carolum T. CAR. L.

Gratulor,& lætor,Mecœnas Carole,Iani
Incolumi primum te rediiſſe diem.
Carmina,more meo,pro ſtrena & munere mitto,
Munera non meritis,Carole,digna tuis.

Hæc tamen accipies: forſan meliora parantur,
Qualia uel quouis principe digna putes.
In cœlum nihil eſt nequeat quod tollere uates,
Præſertim ſtudijs ſi ſuus adſit honos.
Si mihi contigerit fortuna ſecundior, & ſi
Contigerint Muſis ocia grata meis,
Virtutes cantabo tuas, nomenq́; genusq́;,
Ingeniumq́; tibi ſeruiet omne meum.

Ad Cupidinem. CAR. LI.

Aut aliò tandem tua traijce tela, Cupido,
Aut fac potiri amoribus.

E Græco ἄδηλον. CAR. LII.

Dij meliora uolunt nos, qui hîc reptamus, ab ipſis
Expectare, & ſpe uiuere quemq; ſua.
Ergo crudeles ſunt Dij, qui fallere noſtras
Spes hominum toties, noſtraq; uota ſolent.

Sargij epitaphion. CAR. LIII.

Sargius hic iaceo, necuit quem copia uini:
Hic mihi uiuendi finis fuit, atq; bibendi.

De Fure & Cauſidico. CAR. LIIII.

Cauſidicum oblato fur munere conſulit amplo,
Damnari furti dum timet, atq; capi.
Cauſidicus libris multumq́; diuq; uolutis,
Si fugeres (inquit) forſitan effugeres.

De imagine ſui. CAR. LV.

Hæc eſt Borbonij florentis imago poëtæ,
Quam ut quiuis Coï dicat Apellis opus.

Hoc

Hoc à Borbonio differt tamen iſta: loquendi
Exors eſt, linguis nobilis ille tribus.

Conqueritur de incendio paternarũ ædium, præcipueq́ de conflagratione carminum ſuorum.

CAR. LVI.

Ergóne ſic flammis noſtri periere labores,
Aetatis teneræ tot monimenta meæ?
Librorum bona pars flagrauit manè meorum,
Terribili patrios igne uorante lares:
Argentum, lectos, pecudes, aulæa, tapetas,
Resq́; alias, longum dicere cuncta foret.
Set terrenorum leuis eſt iactura bonorum,
Reddere quæ tempus, ſedulitasq́; poteſt.
Verſiculi noſtri, noſtræ periere lucernæ,
Spes omnes, & opes, deliciæ, & ueneres.
Ah nimium uerus, paruo indice, parue libelle es
Teſtis, te magna parte carere tui.
Si membris conſtare tuis Fortuna dediſſet,
Hei mihi, tam gyro non caperere breui.

In Claud. à Rupeforti iureconſ.

CAR. LVII.

Rupe ſub hac forti cognomine, dulcia uirtus,
Syncerusq́; comes frigora captat Amor:
Colludunt Veneres, caſtæ & cum Pallade Muſæ,
Suada, Lepor, Candor, Liber, Apollo, Charis.
Nunc demùm tua tela uidens hac rupe retundi,
Terga, miſer Liuor, uerte, fuge ad laqueum.

In

In eundem. CAR. LVIII.

Me temerè auſus ſum Rupi committere forti
Nuper, adorandos & penetrare ſinus:
Huc uirtutis amor cupidum me ſolus adegit,
Quæ latet, & ſedem numinis intus habet.
O me fœlicem, ingreſſum quem diua recepit,
Et uoluit famulos inter habere ſuos.

In quendam nomine Pumicem. CAR. LIX.

Tu, ni deſieris procacitate,
Pumex, eſſe mihi & meis moleſtus,
Iſtæ, quas tibi credis eſſe amicas,
Et fruſtra quibus obſtrepis, puellæ
Te pro Pumice, Pulicem uocabunt.

Ad Laurentium Philangelum rhetorem. CAR. LX.

Rhetora, Laurenti, ſi te nouiſſet Homerus,
Non eſſet Neſtor tantus in Iliade.

Ad Carolum T. CAR. LXI.

Salue Pontificum certiſſima gloria, Carle,
Carle, decus Muſæ præſidiumq́; meæ.
Fama tuæ ſummum uirtutis pulſat olympum,
Et tua laus toto ſpargitur orbe frequens.
Me ſæpe & iuuenem, & tibi ſcribere multa parãtem,
Virtutis fulgor terruit ille tuæ.
Obſtupui, & tantum dubitaui culmen adire,
Pauper, & obſcurus, nullaq́; dona ferens.
At tua me pietas poſtquam collegit, & eſſe
A ſtudijs uoluit conſilijsq́; tuis,

Paucula mox alacer collegi epigrammata noſtra,
Relliquiasq́; quibus flamma pepercit edax:
Nam bona pars perijt, patrias cum nuper in ædes
Sæuiret Veneris uirq́; ſatusq́; Ioue.
Quod ſupereſt, mitto: gratum accipe præſul, & iſtis
Expecta meritis munera digna magis.
Sunt Nugæ, ſunt ingenij præludia noſtri:
Qui nihil incœptat, finiet ille nihil.

In Vulcanum. CAR. LXII.

Væh Vulcane tibi, tuisq́; flammis,
Qui tot carmina, tot meos labores,
Tot chartas tenueis, & innocenteis,
Vna nocte, furens mihi inuolaſti:
Nil Phœbum ueritus, piasq́; Muſas:
Quarum delicias, roſas, odores,
Flores, ſacrilego ore deuoraſti,
Væh Vulcane tibi, tuisq́; flammis.

In eundem. CAR. LXIII.

Ecce tuis ego relliquijs, Vulcane, ſuperbus
Viuam, te extincto: cumq́; ero, nullus eris.

Ad Iacob. Tuſanum præceptorem.
CAR. LXIIII.

En tibi caſeolum mitto, munuſcula noſtræ
Matris, qualia dat Vandoperanus ager.
At cibus hic (inquis) cœpit mihi noxius eſſe,
Et medicis credam, propterea nec edam:
Vt nec edas, nec ames, at certè adponere amicis,
Aut pueris, ne ſit muribus eſca, potes.

De

De ſeipſo. CAR. LXV.

Si me nobilitant Nugæ*, quid, quæſo, futurum eſt,*
Si graue maturus moliar autor opus?

Ad lectorem candidum.

CAR. LXVI.

Noſter (ſat ſcio) noſter hic libellus
Dignus perpetuis erat tenebris,
Dignus, qui tineas, trucesq́; blattas
Immiſſas aleret: ſet hic ſuperbus,
Præfractus, petulans, ferox ulusq́;,
Oſtentator, & inſolens, & audax,
Tum ſe exiſtimat eſſe luce dignum, &
Viſendum: renuente me, & uetante,
Ad te, lector, adire nil ueretur,
Semiuſtus, lacer, infacetus, infans,
Incomptus, maculoſus: & patronum
Te, lector, petit, & uocat parentem.
Aſt æqui (precor) interim boniq́;,
Lector, conſule, fabricamus aptum
Dum plectron tibi, dumq́; ſurgit ætas,
Dum tranſit breue uer, & inſtat æſtas.
Quid non tempus, & improbi labores,
Præſtant? quid´ue Deo *arduum fauente?*

DE BVDAEO ET ERASMO.

CAR. LXVII.

Scis quid ab Hollando Francus Budæus *Eraſmo*
Differat? hic dictis allicit, ille rapit.

In Podagricũ amantem. CAR. LXVIII.

Sæpe operam ludunt iuuenes, fruſtraq; laborant,
Quærendo, quæ ſint luſibus apta ſuis.
Illi & opes fundunt, & ſeſe mille periclis
Obijciunt, ut quos fortius urit amor.
Quid facerem infelix æuo grauis atq; podagra,
Quid facerem, ſi non eſſet amica domi?

E' Græco Παλλαδᾶ CAR. LXIX.

Si te fata ferunt, ferre, & fer: nanq; repugnans
Te crucias ipſum, nec minus illa ferunt.

Ad Tagũ medicũ, & amicũ ſingularẽ. CAR. LXX.

Audio, tu nuper nos iſtuc rarius ire,
Forſan & immemores queſtus es eſſe tui:
Parce queri, non eſt adeò mens barbara nobis,
Non adeò tigres nos genuere feræ,
Vt te obliuiſci talem poßimus amicum,
Et medicum, & uerè nomine req; Tagum.
Nam uelut aurifluus Tagus eſt, & diues arenis,
Sic medica, ante alios, maximus arte uales.
Crede mihi, radix, qui nos coniungit, amoris,
Hæret, & in medio pectore fixa meo eſt:
Nec mors ipſa quidem noſtro crudelis amori
Finis erit: finis, qui fuit autor, erit.
Nempe Deus, noſtris qui ſeſe inſtillat & aptat
Mentibus, hic noſtri finis amoris erit.

Ad Deum. CAR. LXXI.

O' pater, ò hominum Deus, & ſpes una, ſaluſq;,
Quo ſine, quæ fiunt, ſunt ea facta nihil:

Qui

Qui regis humanæ tenuiſsima lintea nauis,
Et preſſam uentis undiuagamq́; ratem:
Sæuus ad infernas nos attrahit Auſter abyſſos:
O Deus, incertæ dirige puppis iter.

In Marcum. CAR. LXXII.

Tu, qui, Marce, facis mala carmina, ſæpius æquo
Illa mihi recitans, deteriora facis:
Vt bona ſint, demus, tamen aßiduè illa canendo,
Efficis ut mala ſint, diſpliceantq́; magis.
Omne quòd eſt nimiū, ingratū eſt: ſententia priſca eſt,
Si nimium ſumas mellis, amaror erit.

Ad D. Franciſcū regem Gal. CAR. LXXIII.

O rex, ò quem iure colunt gens Martia, Galli,
Franciſce, Hectorea nobile ſtirpe genus:
Te Deus elegit columen uirtutis, ut æquis
Legibus hunc orbem, iuſtitiaq́; regas:
Vt mala propulſes, ut dignis præmia reddas,
Vt regnet uirtus, exulet omne ſcelus:
Vt ſanctis faueas, ſceptroq́; rebellibus obſis,
Vt ſit res regni publica tuta tui.
Rex pie, ſis felix, iuuenem nec ſperne poëtam,
Poſtremum in famulis quem iuuat eſſe tuis.
Tu colis ingenuas artes, ornasq́; poëtas,
Hoc eſt egregij nobile regis opus.
Dij mihi dent iſtas ut poßim dicere laudes,
Fortiaq́; heroo facta canenda pede.
Vt mihi defuerint uires, at prompta uoluntas
Pars adfectatæ maxima laudis erit,

Ad puellam nomine Candidam, niue luſitantem. CAR. LXXIIII.

Candida candenti geſtis niue ludere, uirgo,
Nunc, quando extinctis floribus, horret hyems.
Aſt inter digitos tibi nix perit, atq; liqueſcit:
Sic pereũt homines, quos tua forma coquit.

Ad eandem, è Græco Πολιτιανοῦ. CAR. LXXV.

Pallentem uiolam mittis, palloris abundè
Eſt mihi, ſe cuius ſanguine paſcit Amor.

È Græco τοῦ κύρου. CAR. LXXVI.

Dans folia, & flores, cupienti carpere fructum,
Significas omnem ludere nos operam.

Ad Carolum T. CAR. LXXVII.

Carole, uirtutum quamuis fulgore tuarum
Terrear, & generis nobilitate tui:
Et licet ingenij ſit pluſquàm ruſtica noſtri
Ruſticitas, & cum ruſticitate, pudor:
Non tamen uſq; adeò malè ſum mihi conſcius, ut non
In famulis auſim me numerare tuis:
Nec me ſumma tui reuerentia, nec pudor ullus
Impediet, ſemper quin tuus eſſe uelim.
Qui tentat tenebras iſtic offundere nobis,
Oſtendam, quàm ſit uanus homo, & nihili.
Nil timeo: quid mens timeat ſibi conſcia recti?
Mens inſons, & quam noxia nulla grauat?
Quicquid erit, ſcribam, Muſa prohibente uel ipſa:
Nempe, amor hortatur ſcribere, uincat amor.

In Gelliam. CAR. LXXVIII.

Quur faciem unguentis, & fuco, Gellia, tingis?
Crede mihi, ex Hecuba non facies Helenen.

In quendam importunum & petacem.

CAR. LXXIX.

Me petis auxilium fruſtra, neq; cernis, amice,
Fortunæ quantis merſer & ipſe malis.
Nemo homini præſtare poteſt quod non habet ipſe:
Si cæcum ducit cæcus, uterq; cadit.

In quendam inexorabilem. CAR. LXXX.

Næ tu ferreus es, quem nullis flectere uerbis,
Nec lachrymis poſſim, nec prece, nec precio.

In nouercas, è Græco καλλιμάχου.

CAR. LXXXI.

Priuignus ſtatuam cingebat flore nouercæ,
Cum uita & mores interijſſe ratus:
Oppreſſit miſerum ſtatua inclinata. Nouercæ
Si ſapis, ô iuuenis, buſta uel ipſa fuge.

Taltibij medici tumulus. CAR. LXXXII.

Taltibius iacet hîc, medica clariſſimus arte,
Qui fuit ætatis dictus Apollo ſuæ.
Aegros omne genus curabat, & arte leuabat:
Aſt alijs medicus, defuit ipſe ſibi.

In uxores. CAR. LXXXIII.

Peſſima res uxor, poterit ſic utilis eſſe,
Præproperè moriens det tibi, quicquid habet.

Aliter. CAR. LXXXIIII.

Peſſima res quamuis, eadem tamen utilis, uxor:
Mox ſua ſi moriens iuſſerit eſſe tua.

De

De ſolicita potentum uita, ad D. Claud. Vid. Lauallum. CAR. LXXXV.

Semper habet uarias immenſa potentia curas:
Et refici placido membra ſopore uetat.
Non prodit princeps, niſi milite cinctus, & armis:
Infelix, aliquo ſemper ab hoſte timet:
Veſcendum eſt quoties, aliquis prægustet oportet,
Prælibetq; prius, quàm bibat ille, merum.
Eſſe parum tutum declarant talia regem:
Quàm graue ſuſtineat, magna tyrannis onus.
Nempe, ſatellitium metuendos indicat hoſtes:
Toxica prægustans ille, cauenda monet.
Ergo metu quiſnam uacat hic locus? illa timorem
Quæ pellunt, eadem plena timore uides.

Ad Claud. Lonuium præſulem Ling. Card. CAR. LXXXVI.

Si tot carminibus laudant ſimulachra poëtæ,
Frigidaq; humana ſaxa polita manu:
Quanto te melius uatum chorus omnis in unum
Conferat, & Muſæ, quicquid honoris habent?
Virtutis raræ uiuum & ſpirabile, præſul,
Te non mortalis dextera fecit opus.

Felix quis. CAR. LXXXVII.

Sorte ſua felix contentus, ſi modò quiſquam
Felicis nomen uiuus habere poteſt.

Ariſtotelis ſentẽtia, è Græco. CAR. LXXXVIII.

Hic propè dimidium uitæ dormitur, & ipſum
Per ſomnum, ſimiles diues inopſq; iacent.

Crœſe igitur regum ditiſsime, num tibi fermè
Dimidio uitæ par fuit Irus egens?

E Græco ἀδήλου. CAR. LXXXIX.

Omnia ſunt riſus, puluis, nihil omnia: nempe
Omnia ſunt ex ijs, quæ ratione carent.

Vita humana, curſus ad mortem. CAR. XC.

Fallimur, & cæci mortem procul eſse putamus,
Illa tamen medio corpore clauſa latet.
Quandoquidem ex illa, qua primùm naſcimur, hora,
It uitæ iuncto mors comes atra pede.
Partem aliquam uitæ ſemper furatur, & ipſam
Diminuit uitam quælibet hora tuam:
Et morimur ſenſim, & momento extinguimur uno:
Non ſecus ac lampas, deficiente oleo.
Mors nihil ut perimat, tamen ipſo in tempore præſtò eſt:
Quin nunc, ah miſeri, dum loquimur, morimur.

Ad Rubellam. CAR. XCI.

Quid ualeam, quæris toties, rogitasq́; Rubella,
Vror amore tui: cætera, bellè habeo.

Ad Carolum T. CAR. XCII.

Algeo ueſte carens, ueſtes tibi, Carle, ſuperſunt:
Sat fuerit de tot ueſtibus una mihi:
Quæ tibi ſeruiuit iam multum temporis, illam
Illam, ſi fas eſt, ambio, non aliam.
Principis eſt alere, & donis ornare poëtas:
Scilicet ij clauſum pectore numen habent.
Exiguum magno penſabo munere munus,
Carminibus tollam nomen in aſtra tuum:

Neſciet

Neſciet Hectoreo te nemo ex ſanguine cretum,
Fama tibi creſcet lucida ſole magis.

Ad eundem. CAR. XCIII.

Carole Mecœnas, quod ſalua fronte rogamus,
Si potes hoc ſalua fronte negare, nega.

De quodam nomine Alaſtore, & monacho, laruas ac nocturnos lemures ſimulante. CAR. XCIIII.

Vxorem eſſe ratus, matrem uitiauit Alaſtor,
Et grauidam cernens, irruit, atq; necat.
At mulier moriens, per te (inquit) ſic ne fili,
Filius, & frater, mater & ipſa, cadunt?
Infelix tormenta ſubit, crimenq; fatetur:
Ad pœnæ trahitur ſupplicijq; locum.
Carnifices miſerum incuruant, & lumina uelant,
Et trunco immites colla ſecanda locant.
Per ſuperos, ille obteſtans, ſinite (inquit) amici,
Vt uideam lucem, uel ſemel, ante necem.
Vnus carnificum clamantis, adhucq; loquentis,
Fulmineo pendens amputat enſe caput.
Orba uiro coniunx nunc cerea manibus offert
Lumina, & antiquo pocula plena mero.
Hoc facit ut placet uolitanteis undiq; laruas,
Quæ noctu infeſtant ſeq;, ſuamq; domum.
Hæc ego credebam ludibria dæmonis eſſe,
Quæ monachi inſidiæ luxuriantis erant.
Res abit in uulgus, monachus traducitur: ô nos
Cæcos, qui monachos credimus eſſe Deos.

Illud Homeri, ἤματ᾽ ὀπωρινῷ, ὅτι λαβρότατον χέει ὕδωρ ζεὺς, & cæt. Sic reddere conabar ex tempore.

CAR. XCV.

Luce Autumnali, iratus cùm Iuppiter alto
De cœlo, immenſos fundit mortalibus imbres.

E` Græco ἄδηλον. CAR. XCVI.

Hanc potius uitam, Heraclete, hæc tempora defle:
Hæc uita eſt lachrymis, quàm tua, digna magis.
Hanc potius uitam, hæc, Democrite, tempora ride:
Hæc uita eſt riſu, quàm tua, digna magis.
Vos ego contemplans, dubito quî fiet, ut ambos
Hunc imiter ridens, hunc imiter lachrymans.

E` Græco ἄδηλον. CAR. XCVII.

Aedificare domos multas, & paſcere multos,
Hoc ad egeſtatem perbreue ducit iter.

Ad puellam. CAR. XCVIII.

Præ te non duri montes, non robora dura,
Durior eſt glacies pectore nulla tuo.
Non adamas præ te durus, non marmora dura,
Duritiem uincunt nulla metalla tuam.
Sis quàm dura uoles, certè moriêre, cinisq́;
Fies, ô uirgo: mitior ergo ueni.
Non ſum adeò informis, quin ſim te dignus amica:
In ſpeculo formam cogor amare meam.
Oſcula da centum, da circùm brachia collo,
Sim tuus, & mea ſis: accipe daq́; fidem.
Quem fugis? ah demens, quur membra decora iuuentæ,
Quur etiam ſordent munera noſtra tibi?

Dura

Dura manes? aliam inueniam, quæ carmine noſtro
Clara erit, at ſerò facta dolebis anus.

E' Græco Σαμίς. CAR. XCIX.

Sis bonus & iuſtus, tamen hinc cùm fata uocabunt,
Sat uitio uerti quod tibi poßit, erit.

De Libello ſuo. CAR. C.

Hunc ego quum uideam non ultrà poſſe teneri,
E' *nido quin iam prodeat, ut uolucer:*
Gratus eat, gratosq; petat, uel grata ſalutet
Limina: nam grato fluxit ab ore liber.

In Codrum. CAR. CI.

Barbatum eſt mentum, mens eſt tibi barbara, Codre,
Barbaries barbæ conuenit iſta tuæ.

Ad Ioan. Sturmium. CAR. CII.

Ad cœnam tibi ſi placet uenire,
Sturmi, ut pollicitus ueni, parata eſt.

Monoſticha in ærumnas Herculis, ad inclytum iuuenẽ Georgium Quarlecoium Ricæi Toparchũ. CAR. CIII.

Bis ſex Herculei *qui ſint, hinc diſce, labores.*
Palma Cleonæo ſtat prima leone perempto:
Proxima quæ ſequitur uirtus, eſt bellua Lernæ.
Laus Erymanthæum *ſibi tertia uindicat aprum.*
Quarta eſt æripedi rapta aurea cornua ceruæ.
Deiecit quintus Stymphalidas ordo uolucres.
Vi ſexta, baltheo ſpoliata eſt fortis Amazon.
Septima in Augæis ſtabulis uictoria fulget.
Octaua expulſi clara eſt luctamine tauri.

Quæ Diomedis equos domuit, uis inclyta nona eſt.
Geryones decima proſternitur, ille tricorpor.
Vndecima Heſperidum uicto aurea mâla Dracone.
Extremus meruit Stygius Canis eſſe triumphus.

In quempiam. CAR. CIIII.

Cuiuſdam uetus eſt dictum ſapientis, Amicus
Nunquàm, qui leuiter deſijt eſſe, fuit.
Quòd ſi uel minimam poſſes adducere cauſam,
Ob quam nobiſcum tam petulanter agas,
Nil quererer meipſum accuſans, culpamq; faterer:
Set ſcio quid monſtri callidus intus alas.
Rumperis inuidia: primis hic morbus ab annis
Tabifico renes paſcitur igne tuos.

Ἀλλότριον Græcum. CAR. CV.

Arma gerens Pallas, Venerem uidet arma gerentem,
Nunc pugnam, ſodes, nunc ineamus, ait.
Cypria reſpondit, quam nunc audacula temnis
Armatam, cùm te uicit, inermis erat.

E Græco Νικάρχου. CAR. CVI.

Qur me iterum Venerem, Tritonia uirgo, laceßis,
Inuadens rapida munera noſtra manu?
Vt meminiſſe potes, qui Iudex ſedit in Ida,
Me pulchram, præ te, cenſuit eſſe Paris.
Iure meum hoc mâlum eſt, cedunt tibi et enſis, & haſta:
De mâlo fuerit lis prior illa ſatis.

De puellarum delectu. CAR. CVII.

Quæ nimis eſt iuuenis, uel cui bona tranſijt ætas,
Ingenuè liceat dicere, neutra placet.

Si tamen hic nobis utriuſuis optio detur,
Malo nimis iuuenem,tuq; ualebis anus.
Aſt integra ætas,ſtata ſi modò forma ſequatur,
Et placidi mores,eſt ea digna Ioue.

Ad Richerium amicum, qualem ſibi amicam uelit. CAR. CVIII.

Et iuuenem,& facilem Venerem uolo:delige talem,
Nec nimium pinguem,nec nimium gracilem.

Aliud. CAR. CIX.

Hanc uolo,quæ facileis nobis indulgeat ultrò
Amplexus,& cui ſit iuuenile femur.

Aliud. CAR. CX.

Fœmina ſit facilis,iuuenisq;,placebit:at omnis
Sit moroſa procul,ſit procul omnis anus.

Aliud. CAR. CXI.

Eſte procul uetulæ,procul ô procul eſte ſeueræ:
Et iuuene,& facili uirgine gaudet Amor.

Aliud. CAR. CXII.

Illa oculis ſemper uenit optatiſſima noſtris,
Quæ iuuenis,quæ non imperioſa uenit.

In malum quempiam ducem,è Græco ἀδήλου. CAR. CXIII.

Dux malus & magnus quum ſis,ecce omnia per te
Sunt malè:quæ malè ſunt omnia,peius erunt:
Peius erunt,ſi non falſa eſt quæ fama ſuſurrat,
Qui tibi ſuccedet,te quoq; peior erit.
Ex ouo corui naſcatur coruus,oportet:
Naturam referunt ſemina quæq; ſuam.

In diſceſſum ſuum ab urbe Valentia.
Ex tempore, inter equitandum.

CAR. CXIIII.

Te, quòd amica graui premerêre, Valentia, peſte,
Liquimus, & ripam Rhodani, camposq; uirenteis:
Deſertam petimus terram, præruptaq; ſaxa,
Sunt ubi inacceßi montes, uaſtæq; cauernæ,
Et rapidus torrens, qui ſaxa immania torquet,
Præcipitesq; trahit quercus, turresq;, gregesq;:
Hîc loca ſunt urſis, ſunt hîc loca tigribus apta:
Ventorum hîc rabies, nix alta, æternaq; bruma:
Hîc gens non hominum degit, ſet more ferarum.

Diſtichon & hoc αὐτοσχέδιον in eodem itinere. CAR. CXV.

Nos Boreæ rabies aduerſa moratur, & urget:
Iratos nobis ſuſpicor eſſe Deos.

Tetraſtichon poſitum in aulæis nobiliſsimi uiri L. Gryniani, ad effigiẽ Solis. CAR. CXVI.

Illuſtrat radijs totum Sol igneus orbem:
Ille tamen tempus quo tenebreſcet, erit.
At CHRISTVS, *qui uera Dei ſtat patris imago,*
Solus hic æterni lumina Solis habet.

In Caſtorem & Caſtoriũ. CAR. CXVII.

Caſtorius iudex à ſcriba Caſtore differt:
Implicat hic prædam retibus, ille uorat.

Ab Rubellam puellam. CAR. CXVIII.

Ex quo (crede mihi) hinc, Rubella, abiſti,
Tres flerunt Charites, nouemq; Muſæ,

Flerunt

Flerunt & Veneres, Cupidinesq;
Flerunt, non minus ac ſuum Catulli
Fleuit Lesbia paſſerem peremptum.

Ad eandem. CAR. CXIX.

Quur me flere uetás, Rubella, & angi, ô
Virgo, lux mea, mel meum, meum cor?
Quur tam me hic miſerum diu, atq; ſolum,
Cum deſiderio tui relinquis?
Nam ſolus uideor mihi, miſerq;, &
Planè dimidiatus eſſe, ubi tu
Non ſis, lux mea, mel meum, meum cor.

Ad eandem. CAR. CXX.

Sis læta, & facilis, Rubella, ſemper:
Fac dicare Rubella, non rebellis.

E Græco Σαμίυ. CAR. CXXI.

Semper ero infelix? alienoq; obrutus ære?
Confectus curis? poſthabitusq; cocis?
Aeger? pannoſus? patrijs procul actus ab oris?
Mancipio ſimilis? ſqualidus? exul? inops?
Non ero: Nam finem dabit his Deus, unica noſtræ
Spes animæ: nunquàm deſerit ille ſuos.

Ad Florimundũ Guttanum. CAR. CXXII.

Ad coruos abeat tandem teterrima peſtis,
Vt mihi reddaris, teq; uidere queam:
Ante oculos, Guttane, mihi uerſaris in horas,
Te præter, tota ſomnio nocte nihil.
Felix ille dies, qui nos, doctiſsime frater,
Incolumeis reddet, te mihi, meq; tibi:

Illum

Illum (nanq; potes, potes optime maxime ſolus)
Illum, CHRISTE, *uelis accelerare diem.*

Θρῆνος. CAR. CXXIII.

Hæc ætas uenatur opes, uenatur honores:
Plurima mens lucro dedita, nulla Deo.

In puerum ſuum cognomento Durum.

CAR. CXXIIII.

Imperfecta mihi furatus carmina Durus,
Hoſtibus oſtendit, datq; legenda, meis:
Ii mihi ſunt hoſtes, qui miſcent ſacra profanis,
Oderunt peius qui pietate nihil:
Qui ſtudia irrident meliora, Deumq; peroſi
Indulgent genio, flagitijsq; ſuis:
Barbaries quibus eſt cordi, lucrumq; nefandum,
Qui dant præcipites ſemet in omne ſcelus:
Sordida quos miſerè longas iuuat alea noctes,
Quos penitus conſtat ſponte perire ſua:
Quos Venus infamat præpoſtera, fœda libido,
Quos terra indignum ferre grauatur onus:
Quos agitant Horci furiæ, Stygiusq; ſatelles,
Quos ſua teſtatur uita negare Deum.
Non pudet os iſtud ſic me traducere, Dure?
Quur me delicias peſtibus hiſce facis?
Informeis, & adhuc duros, nullo ordine uerſus,
Ne contrectares, plus decies uetui.
Dure puer, durus quum ſis, re, & nomine, Durus,
Eſſe mihi duras experiere manus.

Somnia.

Somnia. CAR. CXXV.

Quæ uigiles animo uerſamus luce diurna
Vota,ſolet noctu grata referre quies.

Aliter. CAR. CXXVI.

Si qua eſt cura animis diurna noſtris,
Hanc noctu referet quies eandem.

In quendam effœminatum. CAR. CXXVII.

Tingis,& intorques,muliebri more,capillos,
Et faciem fucas,ſollicitasq; tuam:
Conarisq; amens barba iuueneſcere uulſa,
Cum pueris ſaltas,uirgineisq; choris.
Sunt religati auro digiti,gemmisq; refulgent,
Blandula fœminea uerbula uoce fluunt.
Sæpe noua ſub ueſte nites, & odoribus halas,
Sæpe uno ſcalpis molliter ungue caput:
Diſcinctus gaudes crepidis incedere pictis,
Quas inſtar lunæ corniculantis habes:
Egregiè bibis,& conuiuia læta frequentas,
Ludis,ſcortaris,multa tacenda facis:
Delicijs (breuiter) coopertus es,atq; ſepultus.
Scilicet in promptu eſt optima cauſa tibi.
Audiſti iuuenis quendam,qui diceret olim,
Viue hodie,ſera eſt craſtina uita nimis:
Atq; ita delicijs merſum te uiuere credis,
Sic uitam, tanquàm cras moriturus,agis.
Sic moreris uiuens:etenim ſic uiuere mors eſt:
Et malus eſt finis,quem mala uita facit.

Fides

FIDES CHRISTIANA.

CAR. CXXVIII.

Si deſit tibi ſancta fides in rebus agendis,
Nil niſi peccatum,quod facis,eſſe poteſt.

De coniugum miſerijs. CAR. CXXIX.

Felix ille quidem,quem nullus creditor angit,
Et qui cõnubium ferre,patiq; negat:
Et quem progenies ſecus ignem nulla micantem,
Quemq; premit uaſtæ nulla querela domus:
Coniugis eſt felix aduentus,mors quoq; felix:
Sed ſi nupta cito funere rapta cadit.
Si dos ampla manet,nullus ſi filius hæres,
Omnia ſic certè ſunt meliora tibi.
Si tibi formoſa eſt uxor,communis habetur:
Si non formoſa eſt,non placet illa tibi.
Forma tamen quædam media eſt,qua nec tua ſemper
Fœmina communis,nec tibi turpis erit.
Non tibi deformis,multis formoſa placebit:
Si ſapis,uxori ſit ſtata forma tuæ.

Ad Lud. Carinum Heluetium.

CAR. CXXX.

Scire cupis quid agat,ualeátue Rubella,Carine,
Pro candore tuo,pro pietate tua:
Vritur infelix atq; intabeſcit amando,
Vt nix oppoſito candida ſole liquet.

Lingua. CAR. CXXXI.

Nobile lingua bonum,quæ fari in tempore nouit:
At quæ non nouit,nobile lingua malum.

In quempiam ψευδεπίσκοπον.

CAR. CXXXII.

Nil aliud quidam quàm turpeis narrat amores,
Ad uenerem natus, mollitiemq́; ſenex:
Concubitus memorat ueteres, & dulcia furta:
Talibus in rebus Iuppiter (inquit) eram.
Huic etiam quamuis capulari, æuoq́; trementi,
Quæ curas abigant, ſunt duo ſcorta domi.
Interea & populum compilat, & urget iniquis
Legibus, extorquens, & uiolenter agens.
Poßidet hic arces, & digna palatia rege,
Aurea uaſa, canes, accipitres, & equos.
Quiq́; ita graſſatur, ſe dicit ἐπίσκοπον eſſe,
Commiſſum rabido dum uorat ore gregem.
Quando erit, ut nobis tandem, Deus optime, quando
Subuenias? fugient te ueniente lupi.
Reſpice, ades, miſerere ouium, bone Chriſte, tuarum,
Quæ crucis, & mortis cauſſa fuere tuæ.

Ex D. Paulo, de carne & ſpiritu.

CAR. CXXXIII.

Eſt caro ſpiritui contraria, ſpiritus illi:
Conueniunt nunquàm ſpiritus, atq; caro.

Ad D. MARGARETAM à Francia, Nauarræ reginam, FRANCISCI regis Gall. ſororem unicam. CAR. CXXXIIII.

Ad te confugio, fatis agitatus iniquis,
O' qua non supereſt fœmina ſancta magis.
Ipſe Deus ſolus, ſolus Deus extitit (inquam)
Autor, ut auderem limen adire tuum.

Adflictum, regina, uide, & miſerare poëtam,
In tanta minimus qui cupit eſſe domo.
Hic animus magno ſemper flagrauit amore
Tollendi in cœlum teq́;, tuumq́; genus.
Ingenium & uires CHRISTVS, *mihi certus* Apollo,
Suggeret, & fiam qualis Homerus *erat.*
Reſpice me, fiam ſubitò Linus *alter, &* Orpheus:
Fiam, te ut Zephyro flante, canorus olor.

Ad Lucium Stellam. CAR. CXXXV.

Atra mors non eſt adeò timenda,
Vt tibi nil ſit magis expetendum:
Si futurorum tibi cor bonorum
Specula tangit.
Quicquid in ſanctis legitur prophetis,
Et libris ſacris, animos piorum
Hoc docet, noſtram perijſſe mortem
Munere CHRISTI.
Mors iacet certè ſuperata CHRISTI
Morte, nec CHRISTO *dominatur ultrà:*
Nosq́;, qui CHRISTVM *ſequimur fideles,*
Viuimus unà.
Hoc ſemel corpus morietur ægrum,
In diem ſet quod domini reſurget,
Lucidum uitro magis, & recocto
Purius auro.
Sol ut à luna tamen, atq; ſtellæ
Differunt, ſic tum uariè reſurgent

Mortui:

Mortui: cœlum manet innocenteis,
Terra ſceleſtos.
Ergo ne mortem metuas, rogamus,
Spe bona fretus, potiusq; CHRISTO
Gaudeas iungi, fieriq; Luci,
Lucida ſtella.

In eandem ſententiam. CAR. CXXXVI.

Nec metuit mortem bene conſcia uita, nec optat:
Mors non eſt animis ulla timenda pijs.

Ad libelli ſui emptorem. CAR. CXXXVII.

Quod uenale uides, ne dicas uile uolumen:
Forſitan hoc quiddam uilius, emptor, habes.

In quendam. CAR. CXXXVIII.

Tibi me dicis eſſe inimicum, ah falleris,
Σ' ἐγὼ φιλῶ, πατρίδ' ἀλλ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ.

E Græco τοῦ Παλλαδᾶ. CAR. CXXXIX.

Scena eſt hæc uita, ac ludus: uel ludere diſce
Abijciens curas, uel tua damna pati.

E Græco τοῦ αὐτοῦ. CAR. CXL.

Coniuge defuncta, cui rurſus ducitur uxor,
In pelagi fracta naue pericla redit.

Ad pueros condiſcipulos ſuos. CAR. CXLI.

In primis, pueri, CHRISTVM diſcamus amare:
Hic fons eſt, à quo uita, ſalusq; fluunt.
Diſpliceat nobis ſcelus omne, ſuperbia, liuor,
Torpor, mollities, ira, cupido, gula:
Cordibus in noſtris dominum pingamus IESVM,
Primus hic eſt nobis conciliandus amor.

Obſecro,ô pueri, uiuamus crimine puri,
Non amat impuros Virginis ille puer:
Illo nulla poteſt melior doctrina parari,
Debet ad hunc acies tendere noſtra ſcopum.
CHRISTVM *laudemus ſemper, ſemperq; precemur,*
In Stygios caſſes ne cadat ægra caro:
Ne poſt hanc miſeram, & peiorem carcere, uitam,
Demur tartareis præda uoranda rogis.

Celebrem illum uerſum,

Αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.

utcunq; ſic reddidi. CAR. CXLII.

Viue uirum, & præſtare alijs enitere ſemper.

In Ponticum. CAR. CXLIII.

Ponticus illuneis perq; atras currere noctes
Adſolet, & ueluti noctua, luce latet:
Nimirum, metuit laruas, lemuresq; tremendos,
Quos uxor fingit ſe uafra nocte pati.
Quàm felix iſta eſt, quàm felix fœmina, talem
Nacta uirum, ludos, Pontice, nacta ſuos.

In Grondillum, Ludimagiſtrum,
ſcripſit puellus. CAR. CXLIIII.

Dic, Grondille, quid impedit, magiſter,
Quo te carnificem minus poteſtas
Vrbis fecerit? hoc tibi profectò
Munus congrueret, bene ut ſceleſtos
Torqueres homines, homo tremendus,
Plagoſus, furioſus, impius, trux,
Immitis, truculentus, aſper, atrox,

Tor-

Toruo lumine,uoce,fronte,naſo,
Formidabilis,omnibusq́; membris.
Væh uobis,pueri, cutiq́; ueſtræ,
Grondillus quibus obtigit magiſter.
O ciues,adeóne cæca mens eſt
Vobis? ſiccine liberos amatis?
Veſtra & uiſcera? ſanguinemq́; ueſtrum?

In eundem. CAR. CXLV.

Quum tu gymnaſio præſis,Grondille magiſter,
Qur Muſas rides,barbariemq́; doces?
Muſas,& linguas rides,& quicquid honeſtum eſt,
Dignus ob id uulgò uiuere dictus homo.
Viuere dictus homo dignus,Grondille, triumphas?
Vis dicam qui ſis? bellua dictus homo.

In eundem. CAR. CXLVI.

Dico,dicebam,dixi,Grondille magiſter,
Nil aliud dicam,ſet tibi ſcribo dicam.

In quendam. CAR. CXLVII.

Cùm perſonatus graderis,uel crimina celas,
Vel fugitas laudem,tu bene ſi quid agis.

In eundem. CAR. CXLVIII.

Qur uelas faciem, graderis dum nocte per urbem?
Dic,nebulo:at fari te tua larua uetat.
Si bonus es,qualisq́; cupis,laruate,uideri,
Qur famæ tenebras inijcis ipſe tuæ?

Iac. Carmolei Quæſtoris tumulus. CAR. CXLIX.

Incuſare Deos omneis,iniuſtaq́; fata
Dicere,flagitium ni foret,atq; nefas,

Carmoleum ſibi quæſtorem reſpublica raptum
Gallica, quod doleat, quodq; queratur, habet.
Quod mortale fuit corpus, requieſcit in urna,
Spiritus in cœlo, uenerat unde prius.

Amico. CAR. CL.

Sum tuus, & meus es, meus haud ſum, nec tuus ipſe es:
Et Deus eſt noſter, cuius uterq; ſumus.

Roſaria. CAR. CLI.

Eſt operæprecium exoriente roſaria ſole
Viſere, cùm uerno tempore ridet humus.

Roſa rubra. CAR. CLII.

Alba fui quondam: rubri quæ cauſſa coloris?
Me proprio tinxit ſanguine pulchra Venus.

Roſa alba. CAR. CLIII.

Lactea ſum, ſet mox flacceſco, & marcida fio:
Sic ueſtra, ô iuuenes, forma, decorq; fugit.

Flos, qui Soliſequium dicitur. CAR. CLIIII.

Quo ſe cunq; ferat, ſolem (mirabile dictu)
Flore ſequor croceo, Solſequiumq; uocor.

Ad D. MARGARETAM à Francia, Nauarræ reginam, FRANCISCI regis Gall. Germanam. CAR. CLV.

Si me de numero famulorum, diua, tuorum
Eſſe uoles, quis me doctior alter erit?
Quis me liberior? quis me felicior uno?
Aut quis olor fundet dulcius ore melos?
Dicar ego antiquos omneis æquare poëtas,
Orphea Threicium, Phœbigenamq; Linon:

Et regis ſoror,& regis celebrabere coniunx,
Margaris,hoc mundus nomine plenus erit.
Virtutes cantabo tuas,prolemq́;,fidemq́;,
Inq́; tuas laudes ingenioſus ero:
Tunc cœlum attingam digito,tunc magnus,& omni
Maior Fortuna dicar,& Inuidia:
Me modò reſpicias,iuuenemq́;,inopemq́; poëtam,
Indignis tractant quem fera fata modis.
Dedecus eſt uatem trita ſic ire lacerna,
Cuius ab æthereâ ſpiritus arce uenit.
Reſpice me tantùm,Muſis & Apolline poſthac
Nil opus,in præſens tu mihi numen eris.

E Græco τ̃ Ἀμμιανοῦ in Marcum. CAR. CLVI.

Lacte culex fluat,& citius mel cantharus edat,
Quàm facias,quum ſis ſcorpio,Marce,bonum:
Nam uelut inuiſum Saturni ſydus,iniquè
Semper agens,alios non ſinis eſſe bonos.

Illuſtriſ. equitis A.T. epitaphion.
CAR. CLVII.

Ante diem,Antoni,clari Hectoris inſtar,obiſti
FRANCISCO regi charus,& æquus eques:
Spe fraudata ſua,& domino tua patria tellus
Nunc gemit,atq́; ſuum clamat obiſſe patrem:
Spiritus æterna felix in pace quieſcit:
Inclyta Parthenope nobile corpus habet.

Ad quendam. CAR. CLVIII.

Aut placeo,aut tibi non placeo:ſic eſſe neceſſe eſt:
Vel ſum,uel non ſum gratus,ut antè,tibi.

Oro, mihi (tu nanq; potes) hunc exime ſcrupum,
Nec me ſuſpenſum, ſollicitumq; tene.

E Græco ϛαμίϛ. CAR. CLIX.

Infelix natura ego ſum: quur? neſcio: cauſam
Ignorare etiam me mea fata uolunt.
Ergo, uelim nolim, fortunam ferre neceſſe eſt,
Mors dabitur finis, ſi modò finis erit.

In Caſcam. CAR. CLX.

Nunquàm dignaris mecum colludere, Caſca:
Si non uis mecum ludere, Caſca, caca.

In ſeipſum, è Græco ϛαμίϛ. CAR. CLXI.

Non epulis capior lautis, luxuq; paratis:
Nolo ſaginari, ſet uolo corpus ali.
Quæ mihi ab immodico defendat frigore membra,
Quaq; tegar, ueſtis plus ſatis una mihi.
Sic ſeruum CHRISTI *eſſe humilem, paruoq; beatum,*
Contentumq; ſua uiuere ſorte, decet.

In Caſprum & Violetum. CAR. CLXII.

Quæ geminos fratres, & partu mater eodem
Edidit, hæc aptum nomen utriq; dedit:
Nam Caſper caprum redolet, Violetus oletum:
Apta ſuis ambo nomina rebus habent.

In Caſprum. CAR. CLXIII.

Dic mihi, ſi coſi qui lingis putria ſcorti
Inguina, quid mirum, ſi malè, Caſper, oles?

Ad fratrem Ioan. Borbonium, prætorem Muſſeianum. CAR. CLXIIII.

Si uacat, atq; placet, caſum cognoſcere noſtrum,
Quem referam paucis, audi, chariſſime frater:

Quãquàm animus meminiſſe ſtupet cõcuſſus, et horret,
Dum furit horrificis agitatus flatibus aër,
Et ſternit ſegetes, uellit radicitus ornos,
Sublimeisq́; ædes, & ſummas deijcit arces,
Et glomerat denſas immani turbine nubes,
Aequoraq́;, & fluuios uexat, ſæuoq́; boatu
Mortaleis omneis, & murmure territat orbem,
Dilacerat naues, inuoluit, & obruit undis:
Solus eram antiqua digreſſus ab urbe Vienna
Maßiliam rediens, tumido, indomitoq́; uehebar
Lætus equo, Rhodanus ſolito magis imbribus atris
Auctus inundarat, ſecum mala plurima uoluens,
Barbarior Scylla, Syrti, uaſtaq́; Charybdi:
Ipſe equitans, fluctusq́;, & uim mirabar aquarum,
E ſummaq́; rates pereunteis rupe uidebam,
Eq́; uia anguſtâ: ſubitò ecce mihi obuia capra:
Reſtat equus, reuocatq́; gradum, & ſe attollit in auras
Territus, ac tandem reſupinus labitur ipſum
Spumantem in Rhodanũ, ac me ſecum traxit in undas,
Per ſpinas, durosq́; rubos, præruptaq́; ſaxa.
At pater omnipotens, quem magna uoce cadendo,
Spemq́; fidemq́; tenens, iterumq́; iterumq́; uocaram,
Me extricauit equo: nandiq́; repentè peritum
Reddidit, atq; dedit uires, & brachia mouit:
Paulatim adnaui terræ, ſet ueſte grauatus,
Non poteram madida ſaxoſam ſcandere ripam:
Et biberam egregiè, & caſu ſtupefactus acerbo,
Atq; oblitus equi, poteram nihil edere uocis.

Præteriens illac humanus fortè uiator,
Eſto animo magno, nam te (inquit) amice, iuuabo:
Deſcendit, dextraq́; trahit, prænſatq́; ſiniſtra
Aſpera ſaxa unca: rupem ſuperamus anheli:
Semianimisq́; uiæ reddor, tremor occupat artus.
Horreo deſpiciens magnum & fatale periclum.
Attollensq́; oculos, geminasq́; ad ſydera palmas,
Ex imo ſuperis effundo pectore grates.
Quòd niſi ſeruaſſet Deus, auxiliumq́; tuliſſet,
Fluctibus in medijs nunc eſſem piſcibus eſca.
Nunc uel in ignota uentis uerſarer arena.
Intereà robuſtus equus, fortisq́;, natando
Enatat, incolumemq́; mihi ſe mitior offert.
Conſcendo, oppidulumq́; peto, cui Condria nomen:
Hoſpita me excepit, mulier pulcherrima forma,
Atq; pudicitia præclara, & fida marito:
Hæc ubi me uidit, tantos miſerata labores
Suppeditat ueſtes alias, ſolatur, & ignem
Excitat ingentem, lectum concinnat & ipſa,
Vina dapesq́; parat, ſic me pia fœmina fouit.
Hinc me hilarem ſurgens, & pulchra luce coruſca,
Excuſsit ſomno atq; thoro Tithonia coniunx.

Ad D. Luc. Stellam. CAR. CLXV.

ὦ φίλ' εὐδαίμων, ὃς πρόθεν ὁρῶν καὶ ὀπίσσω
Πάντα νοεῖς, χρυσοῦς ἄξιος ἡλικίης.

Conſultò agenda omnia. CAR. CLXVI.

Proſpice facturus quò factum tendere poſsit:
Serò piget cœpti, cùm male ceſsit opus.

Tempus. CAR. CLXVII.

Quàm properanter abit tempus, mala plurima uoluēs,
Noſq́; ſimul ſecum, cunctáq́; noſtra rapit.

In Copum medicum.

CAR. CLXVIII.

Quo medicina uetus Stygijs reuocetur ab umbris,
Solus tale poteſt edere Copus opus.

Virgilium per i, non Vergilium per e, dicendum: contrà quàm Politianus in Miſcel. præcipit. CAR. CLXIX.

Publius & Paphius mihi donauere nomiſma,
Quo nihil argento purius eſſe poteſt:
Peruetus eſt: in eo legitur, ſculptumq́; uidetur
Virgilij nomen, laurigerumq́; caput.
Virgilium non Vergilium lego: nempe, ſecunda
Hîc uocalis abeſt, ſyllaba prima, Vir eſt.
Virgilium à uirga, quur nobis non placet æquè,
Atq; à Vergilijs dicere Vergilium?
Iam mihi qui tabulas, fragmenta, & marmora, & arcus
Obijciunt, ualeant: me nihil iſta mouent.

Ad Carolum P. CAR. CLXX.

Gaudebis genio ſcriptorum, Carle, meorum,
Dum mea gaudebit Muſa fauore tuo.
Nam mihi ni ſpires, nullus ſpirabit Apollo:
Sic cygnus Zephyro non niſi flante canit.

Ad eundem. CAR. CLXXI.

Te ueneror meritò, mi Carole, perq́; libenter,
Tum quia herus meus es, tum quia talis herus.

De indigna & miſeranda clade noſtrorũ, apud Neapolim. CAR. CLXXII.

Dardanidæ iuuenes, Francorum gloria gentis,
Dum fera ſanguinei Martis in arma ruunt:
Dum generis robur ſpirant, belliq; uidentur
Fulmina, Lautreco ſub duce magnanimo:
Territus inſueta uirtutis imagine Mauors,
Tydidæ memori pectore uulnus habet:
Nanq; aliquid maius præ ſe manus illa ferebat,
Cùm mucro, aut fortem poſtulat haſta manum,
Quàm dux Aethôlum Gradiuo infligere uulnus
Auſus, cùm nulli parceret ille Deûm.
Conſerere ergo manus campo declinat aperto,
Aggrediturq; alia Mars ſuperare uia.
(O fati inuidiam) graſſans per Gallica caſtra
Ille Deus, peſtis uirus ubiq; ſerit:
Imbellem, natumq; malis docet artibus hoſtem,
Vt ſal, utq; omnes inficiantur aquæ:
Vtq; impunè cadat Francorum exercitus omnis,
Efficit, indomitum dum furit atra lues.
Sic cecidêre uiri: uix è tot millibus unum
Illæſum clades nobilis illa dedit.
Nulla prius talem uiderunt ſecula peſtem,
(Proh dolor) hæc qualis Parthenopæa fuit.
Crudeles Parcæ, aut potius Mars perfidus ille
Abſtulit herôas, Francia magna, tuos.
Nemo ſuæ fidat uirtuti, ubi fraude, doliſq;,
Non forti ueniunt bella gerenda manu.

Henrico

Henrico Lautreco Fuxeo generoſiſs. puero. CAR. CLXXIII.

Qui nunc puer tuis æqualibus omnibus,
Lautrece, pro miraculo es,
Breui ſpero fore, ut ſis non ſolùm hominibus,
Sed & Deis miraculum.

In Fortunam, è Græco Σαμίου. CAR. CLXXIIII.

Si fortuna uolet, fies de paupere diues:
Si uolet, Irus eris, qui modò Crœſus eras.

E' Græco τοῦ αὐτοῦ. CAR. CLXXV.

Omnia ſi fato fiunt, inuictaq; regnat
In omnibus neceßitas,
Quur animo in dura fortuna linquimur ægri?
Quur proſpera inſoleſcimus?
Vt bene quid facias, facit hoc deus ipſe, profectò
Cœleſtis eſt opus patris.
Vt malè quid facias, huc te miſer, inijcis ipſe,
Culpa tua infelix peris.
Vtcunq; eſt, hæc uox manet, æternumq; manebit:
NOVIT *Deus qui ſint ſui.*

Ad quemlibet amatorem. CAR. CLXXVI.

Quiſquis amas (moneo) ferro præcordia dura,
Nec nimium propera, ſet patienter ama:
Perfer nequitias, animoſq;, & uerba puellæ,
Fortius eſt etiam uerbera poſſe pati:
Si modò ſollicitos aliquis Deus audit amanteis,
Qui patitur, uoti tempore compos erit.

In fortunam.

Qur non à cunctis Fortunæ numen amatur?
Hanc adamat diues, quam miſer odit inops.

In Publium & Paphium condi ſcipulos. CAR. CLXXVII.

Qui mihi ſunt ſocij pueri duo, pulcher uterq;,
Et meritò dici doctus uterq; poteſt.
Publius & Paphius ſunt nomina. Publius artis,
Ingenij Paphius dexteritate, ualet.
Et cantant, Muſasq; colunt fœliciter ambo,
Et faciunt ſummo carmina digna Ioue.
Set, quod præcipuum eſt, ſunt caſtis moribus ambo,
Sunt pia, ſunt CHRISTO *corda dicata duo.*
Hos taleis animos, qui non uehementer amarit,
Hunc auſim lapidem dicere, non hominem.

In eoſdem. CAR. CLXXVIII.

Muſica me præcepta docent, artemq; canendi,
Ingenui pueri, Publius & Paphius:
Ambo ætate, fide, lingua, indole, moribus, ore,
Inceſſu, cultu, uoce, pudore, pares:
Atq; ab utroq; pari conſtringor, & uror amore,
Dimidioq; mei diligo utrunq; magis.
Ergo mei quum dimidium ſibi ſeruet uterq;,
Iam mihi quid reſtat? qui loquor? aut, ubi ſum?

In ſophiſtam quendam, & ineptum uerſificatorem. CAR. CLXXIX.

Hunc nodum diſſolue mihi ſpinoſe ſophiſta,
Plurima quum facias carmina, nulla facis.

εἰς τοὺς κώνωπας è Græco Πολλιανοῦ.
CAR. CLXXX.

Fertilis,ut Venerem, culices quos procreat unda,
Hos,in amore uiros exuperare decet:
Nam uolucrem culices alarum imitantur Amorem
Remigio,& multum ſanguinis ore bibunt:
Cantillantq; Deum Cômum mollemq;,uagumq;,
Et reſoluta graui membra ſopore petunt:
Lecto illabuntur,ſupra ipſas ſæpe papillas
Stant,& pertentant fœmina quicquid habet:
Nocte uident,uigiles,gens improba: ſigna uirorum
Quot culices,ergo,quis tot Amoris habet?

È Græco Σαμίου. CAR. CLXXXI.

Nunc bona pars hominum,cæci,duri,atq; gigantes,
Se credunt factis poſſe placere Deo.
Hæc gens immenſum manibus reſcindere cœlum
Tentat,& è ſumma trudere ſede Iouem.
O' genus inſanum,qui ſic uos faſcinat error?
Quis dæmon? quæ uos exagitant Furiæ?
Si uoſmet facitis iuſtos,quid oportuit ipſum
Ferre crucem CHRISTVM*? uerbera? probra? necé?*
Iuſtitiam CHRISTVM *ueſtrã eſſe agnoſcite tandem:*
Dicite,peccatum nos ſumus,atq; nihil.
Omnis homo hic nihil eſt,aliquid qui ſe putat eſſe.
Eſt aliquid, quiſquis ſe putat eſſe nihil.

De Rubella. CAR. CLXXXII.

Quærenti mihi quid trepidet mea bella Rubella,
Sic (ait) eſt omnis neſcia uirgo uiri.

Ad pueros puellasq́; colluſitanteis.

CAR. CLXXXIII.

Ite aliò luſum pueri procul, ite puellæ,
Nequitias iſtas nolumus, ite procul.
Ite poëtarum ſtudijs incommoda turba,
Ite, ô Palladijs gens inimica uiris:
Ite aliò luſum procul hinc, ſat noſtra ſuperq́;
Mens coquitur curis, æſtuat, atq; furit:
Iſti oculi, iſti urunt geſtus, oleumq́; camino
Adijciunt: quid agam? ſentio, iam pereo.

Ad Carolum T. CAR. CLXXXIIII.

Sæpe loco ſtrenæ uerſus tibi, Carole, mitto,
Num (rogo) num credis ſic tibi uerba dari?
At, quid habet, quod det, niſi uerſus, Carole, uates?
Quid uates aliud quàm dare uerba poteſt?
Verùm agè, ſi noſtri ſordent tibi, Carole, uerſus,
Latrinas, in quas conijciantur, habes.

In ſeipſum. CAR. CLXXXV.

Quæ ſunt pulchra mihi, hæc alijs uolo pulchra uideri:
Sic homo ſum genij cæcus amore mei.

In quẽdam è Græco Σκώμμ. CAR. CLXXXVI.

Quid fratrem laceras uerbis, homo perditus ipſe?
Quur in eum torques quæ facis ipſe mala?
Execrabilis eſt ea demum iniuria, quam quis
Commeritus talem, conſcius ipſe facit.

P. Robino homini multiſcio. CAR. CLXXXVII.

Si quiſquam exiſtit pingendi maximus arte,
Cui ſit Apellææ gratia rara manus:

Qui

Qui poßit uarios digitis animare colores,
Speratáq; homines fallere uoce diu:
Qui faciat claro ſpecularia lucida uitro,
Quiq; auro libros irradiare ſciat:
Si quis amicitias ſtudioſius excolit uſquam,
Diſpeream, ſi non iſte Robinus erit.

Ad Claudium Borbonium patruum.
CAR. CLXXXVIII.

Gratulor haſce tibi Iani rediiſſe Calendas,
Patrue, num uires dant tibi fata nouas?
Sexaginta annos natum, qui neſciat eſſe,
Te iuuenem dicat, te neget eſſe ſenem:
Nec mirum: inſtillat tantum tibi robur, & auget,
Pectore quem geſtas, nec minus ore, Deus.

De G. Budæo. CAR. CLXXXIX.

Ingrata in ſuperos ne ſis, ô Gallia fœlix,
O' fœlix tanto terq; quaterq; uiro:
Iam nihil eſt Italus quòd Gallo inſultet: habemus
Budæum, maius quo nihil eſſe poteſt.
Budæo Latium, Budæo Græcia debes,
Vtraq; uel quicquid Pallas honoris habet.

Ad Franciſcum Card. T. CAR. CXC.

Iulius occiduum Cæſar ſibi ſubdidit orbem,
Hoſtibus & uictis, clara trophæa tulit.
Magnus Alexander non fulmine ſegnior acri,
Robore contriuit Perſica regna ſuo.
Aphrica Scipiadæ domuerunt oppida magni:
Quid loquar Herculea monſtra ſubacta manu?

Maius

Maius opus, Franciſce, tuum eſt, Virtutis amore
Et CHRISTI, *populum paſcis, aliſq; tuum.*
Nec ſinis, ut Stygius quiſquam inſidiator, ouile
Opprimat, & rabido deuoret ore gregem.
Iſta triumphali digna eſt uictoria curru,
Quæ uenit à ſolo non niſi palma Deo.

E Græco ἀλλιώτορρ. CAR. CXCI.

Non ſecus atq; ſues, morti ſeruamur, & hora
Craſtina quid portet, dicere nemo poteſt.
Omnibus hoc notum quum ſit: uiuamus, & omnis
Adpoſito ualeat cura, dolorq; mero.

Ad Rubellam. CAR. CXCII.

Non ſic Enceladus uaſta torretur in Aetna,
Nec fratres, nec quos infimus Orcus habet.
Non ſic in fornace calent liquefacta metalla,
Vt caleo: uſq; adeò me tua forma coquit.
Sunt geminæ ardentes faculæ tua lumina: utrauis
Lux Phœbæa ſtupet, uictaq; Luna rubet.

Ad Deum opt. max. pro Iacôbo T.
CAR. CXCIII.

Omnia qui nutu potes, & regis omnia ſolus,
Et, cui ſe mundi machina debet opus:
Qui lucem tenebraſq; facis, qui fulmina torques,
Quem præter, nullos credimus eſſe Deos:
Cui parent germanæ Erebi, tria numina, Parcæ,
Exaudi, ex animo te precor: alme pater,
Da meus illuſtri ueniens Iacôbus ab ortu
Euboicos uiuat, Mygdonioſq; dies:

Scilicet hoc uno mea læta ſuperſtite Muſa,
Sæpius ingenio ſuggerit apta meo.

Vita æterna pijs expectanda.

CAR. CXCIIII.

Quiſquis flagrat amore ueritatis,
Obſeruans fidei, atq; perſeuerans
In uera pietate, nec labores
Pro CHRISTO *refugit, moleſtiasq;*
Omneis, ſi ſupereſt uiciſsitudo
Rerum, illum manet à Deo corona.

In Zoilum. CAR. CXCV.

Vt Siculus perijt tauri fabricator aheni,
Quem primum propriæ torruit artis opus:
Sic obtrectator pereat, ſic Zoilus omnis,
Auferat artificem peſtis acerba ſuum.
Perdite uipeream, uos numina, perdite linguam,
Vertite in autorem noxia tela ſuum.

Hoc luſit admodum puer.

CAR. CXCVI.

Magnanimûm heroum res geſtas, bella, triumphos,
Grandiſono reges qui uolet ore canat:
Iſta decent magnos conſummatosq; poëtas,
Qualis Virgilius, qualis Homerus erat.
Quid nobis pueris cum ſtrage, & Marte cruento,
Quos Deus, ut pacis pignora, noſter amat?
Ergo ſales uiuant, ueneres, epigrammata, amores,
Et molles elegi: triſtia bella procul.

Tetraſtichon hoc faciebat ex tempore, rogatus à quodam orationem in ſenatu habituro. CAR. CXCVII.

Hic mihi dicturo, tua gratia, CHRISTE, *tuusq́;*
Aetherea ſpiret miſſus ab arce fauor:
Ni faueas, mage mutus ero uel piſcibus ipſis:
Si faueas, dicens Tullius alter ero.

De graculo & perdice. CAR. CXCVIII.

Graculus & perdix, Aiacis & Hectoris inſtar,
Dum pugnant, uulpes ſpectat utrunq; latens.
Anceps pugna fuit, roſtris atq; unguibus atrox,
Ceu palmam neutri cedere fata uelint.
Dum colluctantur, uulpes ſalit, ac uorat ambos:
Sic inopinatò uictor uterq; fuit.

De Franciſco T. cauſiam & purpuram Card. gratulatur. CAR. CXCIX.

Nunc à me, ô præſul, breuis hæc tibi littera uenit,
Non poſſum officij non memor eſſe mei.
Et memini, & meminiſſe iuuat, quo ſemper amore
Ornaris Muſam, quoq; fauore, meam.
Nunc, ſi quando aliâs, tibi gratulor iſtud honoris,
Quod certum eſt meritis fata dediſſe tuis:
Purpureum oblatum geſtas Franciſce galerum,
Quod dignum ſacro uertice tegmen habes.
Nunc primū per te ordo patrū, quos purpura ueſtit,
Incipit expulſa nocte referre diem.
Sola animi pietas culmen te euexit ad iſtud,
Non genus, antiquum quod tibi Troia dedit.

Purpureu

Purpureus fulgor magnis te regibus æquat,
Set ſimilem pietas te facit eſſe Deo.
Sis fælix, in quo, quaſi cardine, uertitur omnis
Res Francûm, & patriæ uita ſalusq; tuæ.

In Lucianum è Græco in Latinum uerſum ab Eraſmo Rot.

CAR. CC.

Vt poſſes homo Græcus, & Latinis
Mordax, ſalſus, & elegans uideri,
Eraſmo, eloquij utriuſq; regi,
Hanc debes, bone Luciane, lucem.

In Sutorem, Eraſmi obtrectatorem.

CAR. CCI.

Scripſit in egregium monachus qui Sutor Eraſmum
Infans, ingenio barbarus, & calamo:
Neſcio quos nodos, & ſpinas torſit in hoſtem,
Et natibus, lector, tædia digna tuis:
Hæc inuicta ratus tela eſſe, & qualia quondam
Fecerat Aeneæ Lemnius arma faber.
At nihil hos fumos metuens diuinus Eraſmus,
Sutorem tonitru fulminibusq; ferit:
Nam uiuo ſermone Dei inſtructiſſimus heros,
Alter ut Alcides, omnia monſtra domat.
O Sutor, Sutor, poteras crepidarius eſſe,
Atq; in ſutrina tutior eſſe tua.

Dolet uulgi uicem, è Græco τῆ Σκυλ.

CAR. CCII.

Sæpe ſuos imitata duces plebecula ſimplex,
Qui manibus fiunt, hos putat eſſe Deos:

Imbibit errores uarios, fraudata magiſtris,
Quodq́; tenebrarum eſt, lucis id eſſe putat.
Scinditur in uarias uulgus miſerabile ſectas,
Omnia multiplici relligione fremunt.
Reſpice nos, Deus alme, precor, miſerere tuorum:
Paſtoresq́; bonos aſſere, perde malos.

Ad Fran. T. in fronte libri muſicis accentiunculis notati. CAR. CCIII.

Thracius Tigres, fluuios, & ornos
Traxit, & rupes, fidibus canoris
Fretus, & mores hominum ferinos
Leniјt Orpheus.
Hic liber taleis modulos, & omneis
Gratias, omneis ueneres canendi
Spirat, hæc doctæ tibi dant ſorores
Munera, præſul.
Te ſibi ſolum ſtatuêre regem,
Purpuratorum columen refulgens:
Et tibi lætis animis dederunt
Nomina Muſæ.

Ad Claud. Pardianum. CAR. CCIIII.

Si tua Muſa meas eſt, Claudi, paſſa lituras,
Pertulit & calami uim rabiemq́; mei:
Quid faciet, cùm liuor edax inuadet, & omni
Conſperſam opprobrio dedecorare uolet?
An feret? & feret, & uincet, liuorq́; crepabit:
Tunc (ab ſerò) uolam non habuiſſe manus.

Ad eundem. CAR. CCV.

Caſtigare tuas Muſas me ne, optime Claudi,
Cenſoremq; tui carminis eſſe, iubes?
Pareo, & atros, & multa uibice notatos
Verſus, proq; bonis, ecce remitto malos.
I, nunc, & poſthac nos ſenſu, omniq; carere
Iudicio, & frontem perfricuiſſe, nega.

In Palladium Soranum.
CAR. CCVI.

Quidam adeò fœda & malè olentia carmina fecit,
Vt grauius nullum ſtercus olere putes:
Et tamen huic clarum ſumptumq; à Pallade nomen:
Num te, ô gens, quæ fers talia monſtra, pudet?

Ad Lud. Carinum. CAR. CCVII.

Quæris quid timeam, Carine frater?
Non haſtas ego, non acuta tela,
Non uim, non rabidi pericla belli,
Non ignes, odium, minas, ruinas,
Non uentos, mare, fulmen, aſtra, monſtra,
Non peſtes, furias, famem, tyrannos,
Non per cæca uagas ſepulchra formas,
Non ſpectra horrida, noxiosue manes,
Non quicquid (breuiter) ſolet timeri
Vulgò, quodq; putant, nocere poſſe.
Formidabilius malum puella eſt
His, & triſtius, imminentiusq;:
Cui me perdere, ſi libet, licebit.

Paupertas. CAR. CCVIII.

Paupertas acuit ſenſus, animi excitat æſtum:
Omnia Paupertas ingenioſa docet.

Ad Iacob. Tuſanum præcept.
CAR. CCIX.

Iam ſum totius urbis officinas
Nequicquam, totieſq; peruagatus,
Quærendo lepidi librum Marulli:
Ecquem non adij librariorum?
Set me, neſcio quis Deus, laboris
In ſomnis monuit mei miſertus:
Tuſanum (inquit) adi, dabit quod optas.
Tuſanus decus utriuſq; linguæ:
Et cui non modò ſunt Marulliani
Luſus, uerùm etiam Catulliani, &
Muſæ quicquid habent dicaciores.
Hunc unum pete, principem ſororum
Doctarum, facilemq;, candidumq;,
Hoc nemo citius libentiusq;
Optatum tibi commodet Marullum.

De Gellia Ducherij Vultonis amica.
CAR. CCX.

Gellia, Ducherium ſi pergis amare poëtam,
Quod facis, ecquæ te uirgo beata magis?
Nanq; ille efficiet, diuino carmine, uates,
Aetas ne nomen deleat ulla tuum.

Ioan.

Ioan. Tignatio Iudici
Lugdunen.
CAR. CCXI.

Flagitia nemo unquam numeret, quæ mens facit
Corrupti auara Iudicis.
Contrà, ecquis æquum, hoc eſt tui ſimilem, & pium
Dignè cecinerit Iudicem?

In Cupidinem. CAR. CCXII.

Quum uideas arcum, tuaq; omnia tela, Cupido,
In me iam prorſus iuris habere nihil:
Quum uideas CHRISTI *præſens mihi numen adeſſe,*
Quur in me fruſtra ſpicula mittis adhuc?

Carolo Fontano. CAR. CCXIII.

Rythmos tuos uernaculos, Muſam tuam
Lingua loquentem patria,
Mirantur omnes, Carole, & meritò quidem:
Nam ſermo per te Gallicus
Illuſtrior multò nitet, & iucundior,
Fluitq; multò purior.

In uerſificatorum turbam, è Græco
Ἰσαμίσ, ad Ioan. Attichium.
CAR. CCXIIII.

Vah, quàm multa hodie paßim & ieiuna leguntur
Carmina, & hyberno frigidiora gelu.
Verſificatorum nocet improba turba poëtis:
Calcans illoto Muſica ſacra pede.
Egregium uatem nebulo depellit ab urbe,
Et uetat in magna diuitis eſſe domo.

In quempiam φονικώτατον. CAR. CCXV.

Quur ex meis ſcriptis nefandum eraſerim
Nomen tuum, impie carnifex,
Rogas? Vt expungas pariter meum ex tuis.
Quid peſte cum tali mihi?

In ſeipſum, ad Gul. Puteanum medicum. CAR. CCXVI.

Expertus toties quum ſim mihi blanda nocere
Colloquia, & nutus, compoſitosq; dolos,
Quur impoſtores monachos, turpeisq; cucullos
Admitto, inſanæ credulitatis homo?
Pelle ſub agnina uulpes, rabiemq; luporum
Qui celant, toties iis ego præda fui.
Quin nuper mihi penè meam eripuêre Rubellam:
Vſq; adeò gens eſt improba, uafra, ſalax.
At ſapiam poſthac, uel ſerò, mihiq; cauebo:
Conſilioq; utar, mi Puteane, tuo.

Deus quos amat, caſtigat. CAR. CCXVII.

Pater optimusq; maximusq;, quos amat
Caſtigat eos, ut filios.
Nec ſinit unquam ſuos ſui obliuiſcier,
Miris ſet exercet modis.

Laurentio Rabo Gratianop. Senatori. CAR. CCXVIII.

Quamuis luſtra duo, & tanta interualla locorum,
Nos uſq; ſeparauerint,
Noſter amor tamen integer eſt, ac permanet idem:
Imò in dies creſcit magis.

Hic

Hic non, Laurenti, hic non eſt uulgaris amandi
Mos noſter: Eo nil rarius.

Θρῆνος, ad Carolum Pucrium.
CAR. CCXIX.

Mœrore longo, & tabe lenta confici
Videre me tuum potes?
Potes uidere? tu potes, mi Carole: at
Siccis ocellis non potes.

Ad Nicolaum Ambroſium doctiſs. uiri Appiani generum.
CAR. CCXX.

Si quis interpres utriuſq; iuris
Clarus exiſtit, celeberq; tota
Gallia, ſolus mihi Nicolaë
Ille uideris.
Quippe qui denſos aperire legum
Calleas nodos, & in hoc ſenatu
Omnium primo, tibi uix adulto
Gloria creſcat.
Tam catè cauſſas agis, & ſcienter
Aeſtimas, cenſes, trutinas, & æquè,
Vt ſacro nobis uideare iuſti
Nomine dignus.
Optimi factus gener Appiani,
Rebus in magnis adeò modeſtè
Te geris, totos ut amore cuncti
Se tibi dedant.
Nemo te uera pietate uincit,

Artium nemo ſtudijs bonarum:
Perge, tantiſper tibi dum ſecundam
Dat Deus auram.

In Rufum. CAR. CCXXI.

Qur ita me iuuenem iuuenis iuueniliter ardes?
Fœmina non ego ſum, nec puto, Rufe, uir es.

SECVNDI NVGARVM LIBRI FINIS.

DESIDERIVS ERASMVS ROTERODAMUS, *Nicolao Borbonio Vandoperano, poëtæ laureato* S.

LITERAS *tuas, Borboni iuuenis erudi tiß. & odas, et epigrammata, quibus & Græcè & Latinè feliciter luſiſti, legi: quibus ex omnibus, quantā ceperim uoluptatē, nullo ſermone cōſequi poßim. Quāuis enim in eam uitæ ſortē iā deuenerim, ut quotidie aut præſentē, aut imminentem mortem intentari mihi intelligā, tamen uſq; adeò carminū tuorū iucundißima lectione recreatus ſum, ut propemodum me Eraſmū eſſe, hoc eſt, capularem ſenem, legendo obliuiſcerer. Caue autē tu putes, hoc auribus tuis à me datum eſſe. Dominū Chriſtū, ad cuius tribunal breui ſiſtendus ſum, ita propitiū habeam, ut ex animo loquor.*

Nihil

Nihil ingenio tuo, mi Borboni*, felicius, nihil uena tua beatius, dictione nihil elegantius. Atq; hoc meum de te iudiciũ ab omnibus probatũ iri confido, quicunq;* Borbonium*, ut* Eraſmus*, percognitum habuerint. Inuiderem ego* Galliæ *tot lumina, imò columina optimarũ artium, niſi potius gratulandum eſſe cenſerem, non Galliæ modò, uerũ etiã uniuerſæ* Reipub. *literariæ, quòd hoc ſeculo, alioqui peßimo ac turbulẽtißimo, ſtrenuos aliquos politioris literaturæ propugnatores, antè quàm ab hac uita migro, uideã exoriri. Proinde uehementer gaudeo, falſum de obitu meo rumorem tibi dediſſe occaſionem ſcribẽdi mihi epitaphion: talia enim me delectant, iandudũ hinc euolare meditantẽ. Neq; tamen efferri ſoleo animo, quoties tuis, tuiq; ſimilium (qui paucißimi ſunt) laudibus, in cœlum uehor. Abunde mihi celeber ac glorioſus uidebor, ſi poſt tot in reſtituendis literis exhauſtos labores, cum Chriſto meo tãdem aliquando requieſcam.* Vale Borboni poëta mellitißime, *& Muſas iſtas, quæ ſeſe tibi tam benignas ac familiareis indulgent, nõ tam hominum, quàm gloriæ Chriſti, ſeruire facito. Si huius calculi tormenta ſinerent, prolixiorem epiſtolam haberes. Poëtã Salmoniũ totidem uerbis mihi reſaluta.*

Friburgi Briſgoiæ, IIII. Idus April.

Anno ſalutis 1533.

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI POËTÆ LINGONENſIS Nugarum liber tertius.

Alluſio ad illud τοῦ Εὐριπίδ. in Hecuba,
Τί δῆτα θνητοὶ τἄλλα μὲν μαθή-
ματα, &c.

De eloquentia. CAR. I.

loquentiæ nis.

QVVR artes alias alij ſudore paramus
Aßiduo? de tot plus ſatis una foret.
Nempe ea, quam noſtri ſuadã dixere medullam,
Quæ, quò uult, animos imperioſa rapit,
Omniaq; adſequitur: Quæ uult, ad ſydera tollit,
Quæ uult, ad Stygios deprimit uſq; lacus.
Ars igitur talis, quur non exquiritur una?
Quur perit in reliquis tempus, & ipſe labor?

Facundia. CAR. II.

Regina, ac Domina eſt, omnibus latè imperans
Mortalibus facundia.

Deſiderij

Deſiderij τοῦ μεγάλου Eraſmi Roterodami, quem falſo rumore obijſſe audieram, epitaphion.

CAR. III.

Lis oritur. Meus eſt (Germania dicit) Eraſmus:
Gallia, ſtans contrà, clamitat eſſe ſuum.
Hanc interueniens litem mala Parca diremit:
Neutrius hic ueſtrum, ſet meus (inquit) erit.

Aliud Græcè. CAR. IIII.

Ἡ μουσῶν κεφάλαιον, οὗ τις αἰῶνας ἀεὶ ζῇ
Τοὔνομα, νῦν κεῖσ᾽ ἐνθάδ᾽ Ἔρασμε κόνις.

Idem Latinè.

Muſarum columen, cuius per ſecula uiuit
Nomen, in hac urna puluis, Eraſme, iaces.

Ad Carolum T. ut à gelidis montibus tandem in urbem redeat.

CAR. V.

Ille dies, qui te incolumem mihi, Carole, reddet,
Candidus, & felix, & celebrandus erit.
Gaudebunt Veneres, Charitesq́; nouemq́; ſorores,
Cernentes reducis principis ora ſui.
Quid gelidos igitur cunctaris linquere montes,
Saxaq́; abundanti ſemper operta niue?
Non ego te aſsiduis ceſſabo obtundere uerbis,
Donec reddideris te mihi, meq́; tibi.

Patri ſuo Ioan. Borbonio Vandoperano, opt. uiro. CAR. VI.

Viue diu genitor, cui laudem, heroica uirtus
Et patris patriæ nomen, habere dedit.

Viue

Viue diu, uenerande ſenex, ſua fila teneri,
Et doleant Parcæ iura iacere ſua.

Vir prudens, è Græco ἀνδρῶν. CAR. VII.

Spernit turpe lucrum prudens, ædesq́; ſuperbas,
Spernit inauratas marmoreasq́; trabes:
Spernit ebur, gemmas, argentum, aulæa, tapetas,
Spernit opes uaſtæ, luxuriemq́; domus:
Spernit odoratas ueſtes, auroq́; trilices,
Spernit delicias, Cypris, Amorq́; tuas:
Spernit compoſitæ damnoſa impendia menſæ,
Spernit res hodie quas rude uulgus amat:
Spernit & inuidiam, & ſceleratæ murmura linguæ,
Spernit clamoſi iurgia uana fori.
Omne malum (breuiter) prudens, ſpernitq́;, fugitq́;,
Virtutemq́; bonæ gaudia mentis habet:
Contentusq́; una hac, mortaleis ridet honores,
Inq́; humili patiens neſcit egere caſa.
Omnia fert, & ſe caſus componit ad omneis:
Quod loquitur lingua, pectore ſentit idem.

De Hanſo Vlbio, & Georgio Reper-
dio, pictoribus. CAR. VIII.

Videre qui uult Parrhaſium cum Zeuxide,
Accerſat à Britannia
Hanſum Vlbium, & Georgium Reperdium
Lugdūno ab urbe Galliæ.

In Rabellum. CAR. IX.

In mentem tibi quid, Rabelle, uenit,
Noſtros diſcipulos ut auocare

Nuſquàm à munere deſinas honeſto?
Nimirum, à ſtudio politiorum
Sacrarumq; ab amore literarum?
Malles quippe, tuis ut in ſalebris,
In nugis hominum tenebricoſis,
In tricisq;, librisq; quæſtuoſis,
Fœda in barbarie, in fimo, inq; cœno
Tam caram male perderent iuuentam:
Atqui (ſi mihi credis) ipſe, poſthac
Noſtros diſcipulos ſines ualere:
Ne, quas perſequeris furens ubiq;,
Muſæ te in rabiem inſtrant Rabelle.

Ad inuidum. CAR. X.

Non legis, & carpis: quæ nec capis inuide, carpis:
Inuide, qui carpis, fac meliora, legam.

Amor è Græco ἁλιλόρ. CAR. XI.

Ille ego, qui didici uiuentum parcere nulli,
Gaudeo delicijs delicioſus Amor.

Ad Iacobum T. uirum clariſs. CAR. XII.

Ex quo me immeritum cœpiſti, præſul, amare,
Atq; in germani fratris habere loco,
Sunt qui perdoleant Iacôbe, ferantq; moleſtè
Carminibus noſtris nomen ineſſe tuum.
At, qui nos coniunxit amor, liuore crepante,
Ceßabit nullo tempore, uerus amor.

Ad lectulum ſuum. CAR. XIII.

Lectule curarum ſolamen amice mearum,
Ingenij ſalue pax, requiesq; mei.

Sæpe

Sæpe ego te amplector, te exoſculor, atq; ſaluto
Floribus aſpergens, purpureiſq; roſis.
Si lætor tecum, lætaris, Lectule, mecum,
Tanquam lætitiæ conſcius ipſe meæ:
Si lachrymo, lachrymas: ſi rideo, Lectule, rides,
Cor domini referens effigiemq; tui:
Nec niſi uirgineos, puroſq; admittis amores,
Nullaq; delectat te, niſi caſta Venus.
Te Charites, te ſæpe nouem ſtrauere ſorores,
Te ſtrauit manibus ſæpe Minerua ſuis.
Tecum regificos contemnens, Lectule, luxus,
Dormio, uel dulcem pectine pulſo lyram.
Lectule, te ſeruet CHRISTVS, *ſet ſeruet utrunq;*
Te ſine labe mihi, me ſine labe tibi.

In ſophiſtas. CAR. XIIII.

Nugas agunt, & eſſe credunt ſeria
Noſtri ſophiſtæ argutuli.

E Græco ὡς Λουκιλίου. CAR. XV.

Mus Aſclepiadis medio in lare ſubſtitit: ô mus
Quid facis hîc? uel quid quæris? auarus ait.
Mus hilaris ridens, reſpondit, pone timorem
O homo: non ut edam, ſed uenio ut maneam.

Ad G. Ruſſellum Oleronen. pontificem, Calendarum Ianuariarum die. CAR. XVI.

Vt ſubigas carnem, mundum, et cacodæmona, Præſul:
Vt doceas, quid ſit uiuere, quidq; mori:
Vt populo oſtendas, quæ ſint cœleſtia regna,
Et quod ſit leti, quodq; ſalutis iter:

Prima

Prima dies Iani felix tibi ſæpe recurrat,
Et ſuperes Pylij ſecula longa ſenis.

Diſtichon è Græco Σαμίϰ. CAR. XVII.

Seu uictor, ſeu uictus eris, maculere neceſſe eſt,
Si ſit cum uili ſtercore pugna tibi.

Ad amicum iocus. CAR. XVIII.

Dum tu græcaris, nos pergræcamur, & alter
Gaudia habet Veneris, Palladis alter habet.
Diſparibus ſtudijs ſic ambo fallimur, ut ſis
Tu dignus ſola Pallade, nos Venere.
Hic, ego Priamides formam contemplor amicam,
Iſtic, tu tetricæ Palladis ora uides.
Pallada ſolus habe, quæ te malè torqueat, & ſis
Inter Cecropios gloria prima Deos.
Docta lacus teneat Pallas, Venus aurea lucos,
Luceat ut cœlo lux noua ſæpe ſuo.

Reſpondet pro eodem amico, in ſeipſum. CAR. XIX.

Dum pergræcaris tu, nos græcamur, & alter
Delicias Veneris, Palladis alter habet.
Sic natura dedit, Venerem ut tu, ut Pallada amarem,
Diſparibus ſtudijs, diſparibusq; animis.
Me fouet hic Pallas non tetrica, lætus Apollo,
Et Charites unà, Pieridesq; nouem.
Solus habe Venerem, quæ ſic te effœminet, ut ſis
Inter membroſos mentula prima Deos.
Docta locos lætos, & amœna roſaria Pallas,
Limoſos habitet Cypria ſpurca lacus.

Contentus CHRISTO,*ſolùm hunc uenaris amicum,*
Quæ uera eſt pietas,& relligionis imago.
Ecce,uelis,nolis,æuo clariſſimus omni,
Et fama celeber uiues,dum machina mundi
Stabit,nulla tuum delebunt ſecula nomen:
Hectoreæ gentis decus immortale manebit,
Cuius & in terris uirtus,& creſcit Olympo.

In ignauos Chriſtianos. CAR. XXIIII.

Plinius omne ſibi tempus perijſſe putabat,
Quod libris aliud non tribuiſſet agens.
Ille profanus erat:tu CHRISTI *ſeruus haberis:*
Cùm ſtudium fugitas,nullaq́; ſcripta legis:
Ludis,& indulges genio:ſet labitur ætas,
Set fugit,atq; adeò non reditura,perit.
Relligio CHRISTI *ſola eſt ſanctiſſima:ſet tu*
Quid dignum tanta relligione facis?

È Græco Σαμίε. CAR. XXV.

Antè ſua in dulcem quàm claudat lumina ſomnum,
Qui reputat lapſi temporis acta,ſapit.

In pigros. CAR. XXVI.

Heus piger,heus ſaltem tibi ſit formica pudori,
Quæ tot inexhauſtas itq́;,reditq́; uias.

In mulieres,è Græco Σαμίε. CAR. XXVII.

Aëre quot uolucres inſunt,quot littore conchæ,
Tot mala,tot fraudes mens muliebris habet.

Ad Parentium amicum. CAR. XXVIII.

Nunc tibi pro tantis grates perſoluere dignas
Officijs,fateor non opis eſſe meæ:

Set ſuperos precor, ut referant cum fœnore magno,
Cumææq; uelint ſecula uatis agas.
Interea faciam toto tibi nomen in orbe
Nobile,& in cœlum te mea Muſa feret.
Nam uelut adiecto ſolet ignis creſcere ligno,
Sic meus erga te creſcit,& ardet amor.
Dum ſtabit tellus,meus orbe Parentius omni,
Si mea quid poſſunt carmina,clarus erit.

In Fortunam. CAR. XXIX.

Obruit exitiabilius Fortuna potenteis,
Quàm quos hîc humileis ridiculosq; facit.

E' Græco Samij. CAR. XXX.

Formidabilior ceruorum rege leone eſt
Bello inſtructa acies,quàm ceruo rege,leonum.

In Albinium iuuenem Hiſpanum.
CAR. XXXI.

Albinius iuuenis moriente Hiſpanus amica,
Incumbens gladio,talia dixit amans:
Dulce fuit quondam mihi te uiuente,puella,
Viuere,nunc dulce eſt,te moriente,mori.

In Venerem uentris amicam.
CAR. XXXII.

Poſt epulas,luxumq; gulæ,fœcundaq; Bacchi
Pocula,ferueſcit uentris amica Venus.

De Strazelio & Sturmio,
amicis & doctiſs.
CAR. XXXIII.

Vis doctos memorem duos amicos?
Noſtin' Strazeliumq; Sturmiumq;?

Ad

Ad amicum ſcripſit puer.

CAR. XXXIIII.

Cùm te adeò flagranter amem, dic quæſo, quid obſtat
Quò minus hunc miſerum me redamare uelis?
Quos pro te ſubij caſus? quantosq́; labores?
Quid non ſum toties paſſus, amore tui?
Si memor es, nuper perijſſes fraga legendo,
Ni noſtra ſerpens occubuiſſet ope.
Cõflato quoties alieno candidus ære
Succurri ſtudijs, conſuluiq́; tuis?
Si tibi non faui ſemper, quicquamúe negaui,
Si mihi res præ te charior ulla fuit,
Ipſa repentè mihi tellus irata dehiſcat,
Me uiuum Stygijs obruat Orcus aquis.
Sum iuuenis tenero, pulchroq́; affabilis ore,
Fidus, & ad ueram factus amicitiam.
Vnà olim Phrygio ſi cum Ganymede fuiſſem,
Cum Ioue nunc eſſem, paſceret ille greges.
Sæpe aliquid meditor, compono, atq; illino chartis,
Nec mea fortaſſis carmina tempus edet.
Sunt comites Muſæ mecum, Charitesq́; frequentes,
Caſta Venus mecum, nec niſi caſtus Amor.
Non lites, non bella mihi, non crimina cordi,
Non uis, non fraudes, inſidiæ ue placent.
At non ſum (fateor) regali ſanguine cretus,
Hac una ſpretus langueo parte miſer:
Langueo, tu rides noſtros (crudelis) amores,
Et numeras ueterum fortia facta patrum.

Quòd ſi nobilitas, quæ ſit germana, uideres,
Non ſic deſiperes, integriorq́; fores.
Set (uideo) miſerum me temnere pergis amicum.
Nil mea te ſilicem mellea uerba mouent.
Aſt aliud (ſpero) inueniam mihi pectus amicum,
Quod uirtus, non quod ſtemmata clara dabunt:
Maieſtatis amor, maieſtas hoſtis amoris:
Hic humilis, ſimplex: illa ſuperba, duplex.

Ad B. Theocrenum. CAR. XXXV.

Ne tu (luxuriant quo doctæ rege ſorores,
Quemq́; in delicijs utraq; Pallas habet)
Nos in amicitia minimè cauſſere fideleis,
Ingratos'ue putes, immemores'ue tui:
Carmina pro ſtrena quæ Iani mitto Calendis,
(Cudimus intereà dum meliora) lege.

Ad CHRISTVM. CAR. XXXVI.

Quas tibi nunc grates tāto pro munere, CHRISTE,
Perſoluam, cuius mors mihi uita fuit?

De ſéipſo. CAR. XXXVII.

Me laterum, renumq́; diu torſere dolores:
Quòd ualeo, CHRISTO debeo, non medicis.

Ad quendā miſerè amantē. CAR. XXXVIII.

Optatam quereris te deſperare puellam,
O nimis ignauum, ridiculumq́; caput:
Tende miſer, caſſes, hos præda optata ſubibit:
Tende, feret præſens numen Amoris opem:
Tende, miſer: uiden' ut timidas agit improbus arcus?
Quæ deus iniectet ſpicula? quas'ue faces?

Adiuuat ardenteis Deus hic,ſegnesq́; repellit:
Acris amat ſtudium militis acer Amor.

In zoilum. CAR. XXXIX.

Qui uolet,extollat parijs erecta columnis
Tecta ſua,& uarijs pegmata ducta modis.
Clara ſuos iactet Roma,oſtentetq́; Coloſſos,
Et quod prærupta mole paratur opus.
Extollant alij uarijs ſimulachra figuris,
Quicquid Apellæa pinxit in arte labor.
Qui uolet illuſtret tumulos,titulisq́; uenuſtet:
Accumulet gemmas alter,& alter opes.
Tempus edax hæc cuncta teret:ſet carmina uiuent,
Aeternùm uiuent carmina: Liuor abi.

Galliæ ἐγκώμιον. CAR. XL.

Talibus ingenijs hodie mea Gallia pollet,
Qualibus haud unquam Græcia & Italia.

Ad Nicolaum Ambroſium,doctiſs.uiri, Appiani generum. CAR. XLI.

Quod mitto lyricum,iuuenis clariſſime,carmen,
Nicoleos,læto,ſi uacat,ore lege.
Tu meliore mihi plectro cantaberis olim,
Heroo meritus nomen habere pede.
Idq́; ego præſtabo,magnumq́; æquabo Maronem:
Nam mea quid non te Muſa fauente poteſt?

In obitū Samij amici,puellus ſcripſit. CAR. XLII.

Cingite funeſta Muſæ pia templa cupreſſo,
Cingite pullato tegmine triſte caput:

Non niſi lugubreis referant modò plectra Camœnas.
Defluat in ſacros ueſtra querela ſinus:
Atria ſordeſcant, bijugiq; cacumina montis,
Ad fera diſſciſsis currite fata comis.
Adſis Melpomene, lachrymis ſuffuſa cruentis,
Et tragicum querulo gutture carmen eat.
Huc propera mœſto lacerans præcordia planctu,
Rumpe fides citharæ, triſtis Apollo, tuæ.
Occubuit ueſter Samius, mortalibus ille
Et ſuperis gratus: ueſter alumnus erat.
Intima ſtelliferi ſenſu penetrabat Olympi,
Adfixus ſacris nocte, dieq; libris:
Relligione Numam, antiquum grauitate Catonem
Vicerat, & uates, & bene rhetor erat.
Ante diem immites iuuenem rapuere ſorores,
Nec ſiuere ultra currere fata colos.
Quàm malè fraudantur tantis hæc ſecula donis,
O quàm nunc meritò luget uterq; parens?
Set mea præcipuè nunc luget Lingonis ora,
Amiſſum hunc florem Lingonis ora gemit.
Lugeat hunc orbis meritò, tigresq; cruentæ,
Et madeant lachrymis marmora dura pijs.

In Ianum effœminatum.

CAR. XLIII.

Te uideo, cute curata, pexoq; capillo,
Perfuſum nardo, ueſte nitere noua,
Te uideo: atq; ſcio tota quid in urbe feratur:
Nempe, parum Ianum uel nimis eſſe uirum.

F Græca

E Græco ἀδηλου. CAR. XLIIII.

Vtere diuitijs, tanquàm moriturus, & idem
Tanquàm uicturus congere parcus opes.
Parcere diuitijs qui tempore nouit, & uti,
Ille, modum ſeruans inter utrunq;, ſapit.

De ſacroſancto nomine IESV.
CAR. XLV.

Auditur quoties uenerabile nomen IESV,
Inclinet, quicquid ſpirat in orbe, caput:
Terra genu flectat, cœlum, mare, Tartarus ingens,
Omnis & extollat lingua, canatq; Deum.

Ad R.D.Iacobum T.præſulem deſignatum.
CAR. XLVI.

Quàm lætabar heri dominumq;, piumq; patronum:
Electumq; nouum uiſere pontificem:
Nec tamen auſus ſum tantum te culmen adire,
Quæ mea ruſticitas, non mea culpa fuit.
Nõ equidem (ut noſti) poſſum hunc ſuperare pudorẽ
Ingenitum, miſero qui mihi ſæpe nocet:
Vtcunq; eſt autem, uirtuti gratulor iſti,
Cui genus egregium contigit, atq; decus.
Sed perge, inq; dies melioribus utere fatis,
Sis ut in antiqua ſplendida gemma domo:
Et miſerere tui, quem ſic Dea cæca poëtam
Illudit, uarijs exagitatq; malis.
Non mihi nunc primùm beneféceris, optime præſul:
Set qui in me fueris, fama loquetur anus.

Ad D. Iuſtum T. CAR. XLVII.

Iuſtus es, & iuſta iuſtus ratione uocaris,
Nomine iuſtitiæ conueniente tuæ.

In fronte libri epiſtol. diui Pauli,
è Græco Σαμίου. CAR. XLVIII.

Quorſum conſulitur mendax, & falſus Apollo?
Quorſum tot commenta hominum, tricæq; malorum?
Paulus Olympiaca interpres demiſſus ab arce,
Nil mortale ſonans, aperit ſanctiſſima CHRISTI
Senſa: quid euites oſtendit, quidúe ſequaris:
Theſaurosq; Dei nobis, eiusq; recludit
Delicias, flammasq; meras ſacro intonat ore:
Cui mentem pater omnipotens, animumq; miniſtrat.
Scilicet, hic nodos, ueterumq; oracula uatum
Soluit, & æthereis implet clangoribus orbem.

È Græco ἀδεσπότου. CAR. XLIX.

Hippocrates hominum medicus, Soſander equorum,
Omne genus morbos, doctus uterq;, fugat.
Mutanda ars, uel nomen erat: non quadrat, ut alter
Nomen ab alterius uendicet arte ſibi.

Aleator loquitur, è Græco Σαμίου. CAR. L.

Alea me miſerum toties repetita fefellit,
Resq; meas adeò attriuit Fortuna nouercans,
Vt me mirer adhuc ſupereſſe, & ueſcier aura
Aetherea, acceptis tot cladibus: aſpera diuûm
Numina ſic uerſant, ſic me fata impia tractant:
Vt quæram inuiſam quàm primùm abrumpere lucem.
Heu furijs incenſus agor: quæ terra dehiſcat

Ima

Ima ſatis? quod nunc adigat me fulmen ad umbras?
Altius inſedit dolor hic, quàm poſſe reuelli
Vt ſperem, nec me ille quidem poſt funera linquet,
Sed comes indiuulſus erit, tellure repoſto.
Eia agè, quid mea nunc trepidas manus? accipe ferrũ.

CHRISTVS in cruce pendens loquitur, è Græco eiuſdem. CAR. LI.

Huc me ſydereo deſcendere fecit Olympo,
Hîc me crudeli uulnere fixit Amor:
Langueo, nec noſtro quiſquam illachrymatur amori,
Quem nequeunt diræ frangere iura crucis.
Pungentem caput, & cerebrum, geſtare coronam
Cogit Amor, cogit uulnera tanta pati.
Felle ſitim noſtram, & mixto ſatiauit aceto,
Hoc pectus, læta cuſpide, rupit Amor.
De me ſolus Amor, de regum rege, triumphat:
Ille pedes clauis fixit, & ille manus.
Si cupis ergo animi mihi ſigna rependere grati,
Dilige: pro cunctis ſat mihi ſolus Amor.

Ad animam Chriſtianam è Græco eiuſdem.

CAR. LII.

Plange anima infelix, pendentemq́; aſpice Chriſtum,
Et madidis oculis in cruce cerne Deum.
Plange anima, atq; oculos in flumina magna reſolue,
Pro te, factus homo, ſuſtinet iſta Deus.
Quinq; per innocuum perpeſſus uulnera corpus,
En monſtrat dextrum, ſanguineumq́; latus.

En

En, pedibus fixis, ulniſq; expectat apertis
Oſcula, demiſſum porrigit, ecce, caput.

E Græco Καλλιμάχου. CAR. LIII.

Certior Heraclete *tuo de funere factus,*
Ingenui largis ora rigatus aquis:
Et memini, ad ſolem quoties conuenimus ambo,
Miſcentes uarijs ſeria multa iocis.
Puluis nunc, hoſpesq; iaces: æterna ſet ipſa
Formidat Stygium nil tua Muſa Iouem.

Ad Carolum T. ſcripſit puellus.
CAR. LIIII.

O gratum placidi munus Apollinis,
Troianiq; iubar ſanguinis arduum,
Ingens pontificum gloria, Carole:
Quas nunc haſce tuus luſito ſeruulus,
Noſtri primitias ingenij leueis,
(Donec quid reſona maius arundine
Pinguis Muſa canat) Palladis immemor,
Occurrente manu, carpe libentius.
Olim Phœbus opem ſi ferat annuens,
Subſcribatq; pijs diua laboribus,
Quæ Pandioneis præſidet arcibus,
Imò, CHRISTVS *opem ſi mihi non neget,*
Solus qui potis eſt, & Deus, & ſalus,
Egreſſura meo carmina uertice
Tollent te meritis ſemper honoribus,
Aeterniq; decus nominis adferent.
Spires, aura bono proſpera curſui

Præbe-

Præbebit facilem (credo) Fauonium:
Et puppis Clarijs turgida mercibus,
Neptuno remeans auſpice, portui
Succedet placido: non ſecus ac ratis
Serpentem Latio Phœbigenam uehens:
Adſis, ut pauido commoda remigi
Quæ ſubſunt geminis aſtra Laconibus.
Quòd ſi forſan aquas ſuſcitet Aphricus,
Impendensq; uagæ nauſea Tethios,
Vndis nauigium triſtibus obruat,
Labenti fer opem, naufragio bonum
Præſtans auxilium, quale tridentifer
Aeneæ tumidis per freta nauibus,
Compeſcens rabidi ſæuitiem maris:
Felicemq; rati mitte Fauonium.

In aleam, è Græco Σαμίϛ. CAR. LV.

Filia auaritiæ, nutrix eſt Alea furti,
Peſtis amicitiæ, triſte furoris opus.

È Græco Λαέρτίϛ. CAR. LVI.

Ecquis (ait ſapiens) opus unquam tale peregit,
Quale uir ille ſciens omnia, Democritus?
Diſtulit hic per treis inſtantia funera ſoles,
Ludificans calidi panis odore famem.

De S. Marcello martyre. CAR. LVII.

Clara ſalutiferi Marcellus buccina CHRISTI,
Feruidus & ſancti flaminis igne calens:
Noluit (ut multi) uitam præponere uero,
Set ſtetit extructos firmus ad uſq; rogos:

Arſit,

Arſit, & in cineres corpus mortale redactum eſt:
Iudicium mundi quod fuit, atq; furor.
Igneus aſt animus ſtellantia regna petiuit,
Gaudet ubi CHRISTO, *perfruiturq́; ſuo.*

Eiuſdem epitaph. CAR. LVIII.

Hæc ſacrum cinerem Marcelli continet urna:
Qui uoluit uera pro pietate mori.

Ad Iacobum T. Antiſtitem. CAR. LIX.

Iſta animi pietas, Iacôbe, uel una, beatum
Te facit, & dignum quem pius omnis amet.

Ad citharam ſcripſit puellus.
CAR. LX.

Salue optata mihi cithara, ò uenerabile donum,
O' requies animæ grata futura meæ.
Salue iterum atq; iterum: quis me felicior uno?
Rem melius uideo ſpe cecidiſſe mea.
Qui mihi te dono dedit, hunc uenabar amicum,
Tam clarum ingenio quàm pietate uirum.
Huic ſimul ac noſtræ ueniſſet epiſtola dextræ,
Legiſſetq́; ſtylo carmina ſcripta rudi:
Non modò te ille mihi, ſet ſe quoq; candidus ipſum
Vltrò, ſponte, uolens, ex animoq́; dedit.
Cuius ego ut rari celebrabo nomen amici,
Hoc erit in toto notius orbe nihil.
Omnis amicitiam noſtram mirabitur ætas,
Dum Rhodanus rapidis curret in æquor aquis.
Set uereor, ne Mercurius Phœbusq́; uidentes
Te talem, inuideant, ſurripiantq́; mihi.

Parcite Dij, nequeo cithara ſine uiuere chara:
Hac ſine, erit uita mors mihi grata magis:
Parcite, ſum ueſtri tenero ſtudioſus in æuo,
Et Charitum myſtes, Pieridumq; comes.
O' me fœlicem, nunc eſt mihi uiſus uterq;
Annuere: en uideo, riſit uterq;: ſat eſt.
O' cithara, indiuulſa mihi, & fidiſſima coniunx,
Nunc fruar amplexu, dulcis amica, tuo:
Viuamus, procul eſte dolor, curæ atq; labores,
Auri ſacra fames, & malè ſanus amor.
Hymnos in ſuperum laudem modulabimur unà,
Munere tu quorum conciliata mihi es.
Zoilus intereà medius liuore crepabit,
Et petet infernos garrula lingua rogos.

In ſeipſum. CAR. LXI.

Aëra uentus agit, feruet mare fluctibus, ardet
Intus inextinctis nobilis Aetna rogis.
Ah, ſimul in noſtro ſunt hæc mala corpore: fletus
Fundit aquas, mœror flamina, corq; faces.

Ad Lectorem. CAR. LXII.

Sic, ut in immenſum adſurgat, creſcatq; uolumen,
Nugari tecum, lector amice, iuuat.
Venerit (ut ſpero) nobis maturior ætas,
Poſt ludos uenient ſeria: parce precor.

Ad Deum. CAR. LXIII.

Per tenebras gradiens, facilè ac procliuiter errat:
Lux tua ſi deſit, nil ſumus, alme Deus.

E᾿ Græco Σαμίυ. CAR. LXIIII.

Aſpice de cœlo coniunctos, Iuppiter, ambos,
Si placet, hos luſus delitiasq́; uide:
Nec tamen inuideas, Ganymedem ſolus habeto,
Me ſine contentum uiuere ſorte mea.
O᾿ me fœlicem, ô me terq́; quaterq́; beatum:
Nunc ego te teneo, lux mea, te teneo:
Te teneo certè, teq́; oſculor: iſta profectô
Gaudia ſunt (fateor) maxima, uera tamen:
Somnia non ſunt hæc: ego te oſculor, oſculor inquam,
Te, mea lux: labris conſero labra tuis.
O᾿ quot ego olim adij, quot ſum quantosq́; labores
Paſſus, at hæc tandem præmia tanta fero.
Quid mea mẽs trepidas? quid adhuc nugaris ineptas?
In tuto quum ſint omnia: quidúe paues?
Ecce olim qui nos iactauit mille periclis,
In mea ſe iecit retia uictus Amor.
Implicitis igitur pergamus ad oſcula linguis,
O᾿ mea lux: quis ſum? iam, puto, fio Deus.

In Vandoperam. CAR. LXV.

Vandopera una unum quur me mea iactat alumnum?
Πᾶσ᾽ ἐμοί ἥδ᾽ ἥτις γαῖα τρέφει με πατρίς.

Antonij Palmerij Viennen. adoleſcentis eximij epitaphion. CAR. LXVI.

Palmerius iacet hic Antonius, inuida fata
Quem rapuere, decus, clara Vienna, tuum:
Eloquio, forma, ingenio, natalibus, arte
Nobilis, æternùm uiuere dignus erat.

Tum

Tum primùm in pulchro creſcebat corpore uirtus,
Cùm ſtetit exhauſta Parca ſeuera colu.
Hunc ſuperi terris uoluere oſtendere tantùm:
O' quam defunctum luxit uterq; parens:
Fleuerunt Veneres omnes, Muſæq; ſorores,
Et Rhodanum lachrymis intumuiſſe ferunt.
Tu iuuenis tumulo lætare Valentia: cœli
Lumine perfruitur ſpiritus, atq; Deo.

Ad Palmerium præſulem.

CAR. LXVII.

Vnde tibi Palmæ cognomen præſul? ab illo,
Quòd uitium uirtus uicerit omne tua.

Ad Iuſtum. CAR. LXVIII.

Egregiam dono ueſtem mihi, Iuſte, dediſti,
Iuſte, iuuentutis iuſtitiæq; decus.
Qui lacer, & quouis paxillo nudior ibam,
Naſutæq; miſer fabula plebis eram,
Nunc niteo totus, paßimq; poëta ſalutor:
Iam Fortuna tibi dico, Nouerca uale.

D. Henrico Lautreco Fuxæo puero nobiliſs. CAR. LXIX.

Puer quum ſis adhuc ætate, quur uirum
Et ore, & moribus refers?

Ad puellam. CAR. LXX.

Deſine tam uarijs me nutibus urere, uirgo,
Eiaculans in cor lampadas uſq; meum:
Nam tua ridentis uiuam dant lumina flammam:
Hinc uiuam in flammam me quoq; uertit Amor.

Humanæ uitæ deploratio, ad pueros.

CAR. LXXI.

Nunc ubi magnanimi heroës? regesq́;? ducesq́;?
Cæſar ubi et Priamus? Teucrûmq; acerrimus Hector?
Et pius Aeneas? ubi nunc facundus Vlyſſes?
Et gemini Atridæ? Rhomanæ conditor urbis
Rhomulus? & totum quamuis pacauerit orbem
Auguſtus? tantoq́; potens ubi robore Samſon?
Nunc ubi Sylla ferox? ubi nunc tam fortis Achilles?
Priamidesq́; Paris? ubi princeps ille Latini
Tullius eloquij? uatum fons uiuus Homerus?
Muſarum princeps, Rhomanæ gloria linguæ
Virgilius? Naſoq́; tener? doctusq́; Catullus?
Et quos progenuit fatis melioribus ætas?
Nunc ubi inexhauſto Craſſius ditiſsimus auro?
Nunc ubi Xerxis opes? hominumq́; exercitus ingens?
Scipiadæ? Iuliq́; gener? quos priſca triumphis
Ornarunt, ſuperisq́; æquarunt tempora diuis?
Totq́; alij egregij proceres, populiq́; ſuperbi?
Omneis præcipiti ſorpſit Mors turbida fato,
Et tulit in cineres: nec tanti roboris unquam
Extitit, horrendo cui Mors indulſerit arcu.
Quid, miſer, ergo tumes, & inani attolleris aura?
Qur te letifera hic mundus dulcedine ludit?
Non ne uides noſtræ breuia ut ſint tempora uitæ:
Et miſera in quantis iaceat tua uita periclis?
Surge agè, & immortale tibi per ſecula nomen

Quære,

Quære,puer,dum ſeſe offert occaſio:nec te
Illicijs capiat perituris blanda uoluptas.
Virtuti indulge:Virtus æterna manebit.

In quempiam,è Græco Σαμίου.

CAR. LXXII.

Magnus es,& pollens opibus, nec propria uirtus,
Nec genus in cauſſa,ſet Dea cæca fuit.

ὁ μήρου ὑποκριτής, Homeri actor
ſeu repræſentator,è Græ
co Πολιτιανοῦ.

CAR. LXXIII.

Egregios,doctosq; alios,uatesq; canoros,
Et quos rhetorices delectat amabile pratum,
Hos pacem iuuenum altricem cantare decebat,
Ociaq;,atq; forum.Soli mihi Phœbus Apollo
Bella ſonare tuba inſpirat,Martemq; cruentum.

In mendaces. CAR. LXXIIII.

Lucraris,mendax,uel cum uerißima dicis,
Nulla fides uerbis ut ſit habenda tuis.

Ad Renatum Parentium amicum.

CAR. LXXV.

Si uacat,illius lege carmen,amice Renate,
Cui nihil eſt quod non peruelit eſſe tuum.
Ille eſt Borbonius,*grandis tibi debitor æris,*
Quem uelut ingratum ſpernere iure potes:
Si modò qui ipſe animam tibi ſe debere fatetur,
Ingrati par eſt hunc retinere notam.
Ille ego ſum,qui nunc tibi gratulor iſtud honoris,
Creditaq; ingenio munera digna tuo.

Audio formandos te ſuſcepiſſe nepotes
Speſq;, & opes, domini, delitiaſq; tui:
Egregios pueros, qui præſtanti indole & ore,
Et uera referunt nobilitate genus.
Contigit hoc certè Chriſto duce, & auſpice Chriſto:
Quæ uult, ille poteſt: omnia, nempe Deus.
Solus ad officium CHRISTVS te tale uocauit,
Dignum ſignificans, artificemq; probans.
Iam teneræ mentes, te præceptore, Latinum
Sermonem, uera cum pietate, bibunt:
Et ſimiles fiunt ex omni parte parentum,
Et fiunt ſummo uaſcula digna Deo.
Fauſta tibi, & pueris, ſit conditio iſta, Renate:
Zoilus intereà palleat, atq; crepet.

Ad Antonium Oliuarium.

CAR. LXXVI.

Salue, ô tu cui felicis cognomen Oliuæ,
Cuius cor ſanctæ pacis amore calet:
Florente ingenio, & forma, & florentibus annis,
Inclyta habes generis ſtemmata, ſi quis habet.
Set tamen (ut dicam ingenuè) nec forma, nec ætas,
Te ut uenerer, ſet nec ſtemmata, cauſa fuit.
Doctrinæ ſtudium ſanctæ, & candoris imago
Synceri, & pietas: hæc tria, cauſſa fuit.
Set nũc dum lætus meditor tibi ſcribere plura,
Fortè interpellans, ecce, Carinus adeſt:
Ille (inquam) cuius toties dicentis ab ore
Pendeo, cùm dotes tollit ad aſtra tuas.

Ad Io. Salazarium Archid. Senonen. à quò nouem aureos ſola tos acceperat dono.

CAR. LXXVII.

Quòt numerant Muſas noſtri, implorantq; poëtæ,
Tot fateor ſoles te numeraſſe mihi:
Soles, legitimo nummos & pondere, & auro:
Hoc tibi, Mecœnas, ſyngrapha carmen erit.

Ad eundem, in Italiam abituriẽtem.

CAR. LXXVIII.

Gallia iam Muſas, te præſide, noſtra ſorores
Reddiderat ſtudijs, officijsq; ſuas:
At, te abeunte, abeunt illæ, teq; uſq; ſequuntur,
Dum fugis à nobis, Italiamq; petis.
Set quia te Rhomam tenet iſta cupido uidendi,
Templaq; Lauretæ relligioſa Deæ:
I felix, felixq; redi: te hic eſſe, tuoſq;
Quàm primùm reduces fata benigna uelint.

Ad Ioan. Vbelium & Io. Oppori num Baſilienſes.

CAR. LXXIX.

Etſi ignota mihi utriuſq; ueſtrum eſt
Vbeli, facies, & Opporine,
Quamuis ſim procul, & remotus iſtinc,
De ueſtra tamen eruditione:
Veſtra de pietate ſingulari,
Sic conſtat mihi, ut haud putem eſſe quenquam,
Qui uos plus amet, atq; ego, idq; ueſtro,

Veſtro,uel potius meo,uel (inquam)
Noſtro,iudice,& arbitro Carino.

Ad ciues Trecenſes. CAR. LXXX.

Publica Rhomani dum non ſua commoda curant,
Rexere imperio populos:ſet ut ardor habendi
Inuaſit,ſenſim retrò ſublapſa referri
Res cœpit,toto ut facti ſint fabula mundo
Rhomulidæ,& poſtremi hominum, ſeruiq; ſuorum.
Vos igitur,Proceres,quibus hæc reſpublica curæ,
Inter uos inimicitiæ,& ciuilia ceſſent
Diſsidia,adſint Pax,& Amor,cœleſtia dona.
Et uos,qui rerum capita,& cuſtodia plebis
Eſtis,uos moueant Rhomanæ exempla ruinæ.
Eſte imitatores CHRISTI, *ſic ueſtra futura eſt*
Publica res felix,& in altum ſurget Olympum.

Ad paruam puellam,è Græco
Samij adhuc pueri.
CAR. LXXXI.

Parua ueni,præceptor abeſt,te nemo uidebit:
Iam noſter tutò perficietur amor.
Me coquit,inq; meas penetrat tua forma medullas,
Sola potes morbum pellere,Parua,meum.
Ah Samij miſerere tui,qui languet & ardet,
Qui nihil in tota nocte quietis habet.
Te rogo,ne dubites ſecretum intrare cubile:
Parua ueni,dubitas,Parua,uenire?ueni,
Per Venerem obſecro,perq; ipſa Cupidinis arma,
Dum præceptor abeſt,Parua puella,ueni.

Puer.

Puer. CAR. LXXXII.

Flexilis,ut ramus,puer eſt,faciliſq; doceri,
Cæreus in mores degenerare malos.

Ad Chriſtum θρῆνος. CAR. LXXXIII.

Tabeſco deſyderio tua regna uidendi,
CHRISTE,*ſet hac,oro,da mihi tabe mori.*

E`Græco ξαμὶν. CAR. LXXXIIII.

Ah,quoties faciem contemplor temporis huius,
Ex oculis lachrymæ fluminis inſtar eunt.
Si nouus extornet præclara poëmata uates,
Qualia Mæonio uel ſene digna putes,
Fabula ſunt hodie, nulloq; in honore:ſet illa
Quæ mera ſunt hominum ſomnia,ſola placent.
At diuinus eget uates contemptus,& alget:
Res non eſt hodie ſordida uate magis.

Dialogus Virginis ſacræ,& adoleſcentis:ad Tho.Sertinum Flo.Virgo loquitur.

CAR. LXXXV.

Te mihi,meq; tibi,ſpecies par æquat,& ætas:
Quur animos gerimus non in amore pares?

ADOLESCENS.

Non hac ueſte places:alijs nigra ueſtis ametur:
Quæ nigra ſunt,fugio:candida ſemper amo.

VIRGO.

Hac ſub ueſte nigra,niueam tamen aſpice carnem:
Quæ nigra ſunt,fugias,candida membra petas.

ADOLESCENS.

Nupſiſti CHRISTO, *quem non offendere fas eſt:*
Hoc uelum, ſponſam te facit eſſe Dei.

VIRGO.

Deponam uelum, deponam cætera quæq;
Ingrediar, uirgo nuda, cubile tuum.

ADOLESCENS.

Vt careas uelo, tamen altera non potes eſſe:
Veſtibus ablatis, non mea culpa minor.

VIRGO.

Culpa quidem, ſed culpa leuis, ſic eſſe fatemur:
Culpa quidem fuerit, ſed uenialis erit.

ADOLESCENS.

Vxorem uiolare uiri, graue crimen habetur:
Tun' uelles ſponſam me uiolare Dei?

VIRGO.

Viciſti noſtros iſta ratione furores:
Hei mihi, quòd uerbis langueo uicta tuis.

In A. Alciatum Valētiam recens ingreſſum. CAR. LXXXVI.

O nos fœlices, ô fauſta Valentia, rectè
Si quid in hac uita fœlix fauſtumq; uocatur.
Alciatus uenit, noſtri certiſſima ſecli
Gloria, ſanctarum callens ænigmata legum:
Alciatus toto uicturus nobilis orbe,
Dum fluuij curſu uaſtum uoluentur in æquor:
Ille (inquam) Alciatus, cui tres, Hebræa, Latina,
Græcaq; ſunt linguæ in promptu, cœleſtia dona.

Heu

Heu fuge, Barbaries, tuus ille acerrimus hoſtis
Alciatus uenit: lætare Valentia, tanti
Hoſpitis aduentu, quo nil contingere maius
Vtiliusúe tibi potuit. Tu iuris amator
Exulta, iuuenisq́; ſenexq́;, & ſuſcipe numen.
Hic ille Alciatus, nodos doctißimus omneis
Soluere, ut interpres terris datus ab Ioue ſummo.
Deniq; non uenit ſolus: comitantur euntem
Ingenuus Candor, Grauitasq́; & ſuada Venuſtas,
Ipſaq́; uel ſuperis pergrata Modeſtia diuis,
Et poſita, in primis uenerabilis, ægide, Pallas,
Tres Charites, Muſæq́; nouem, facundaq́; Pithô.

E' Græco Σαμίν. CAR. LXXXVII.

Nunc uideo quàm ſit puero mutabile pectus,
Quam uariè puerum uerſet iniquus Amor.
Te, quàm dona diu dederis, puer omnis amabit,
Set dare ſi ceſſes, ceſſat amare puer.
Cùm Dionyſiolum nuper uenarer amicum,
Colluſi toties, multaq́; dona dedi.
Nunc, quia munera dat, me paupere, ditior alter,
Præteriens nebulo, uix mihi dicit, aue.

In ſeipſum, ad Oliuium Borgonium reginæ Nauarræ à theſauris.

CAR. LXXXVIII.

Sum uates ego, Lingonicæ ſum gloria gentis:
Sum iuuenis, qualis, cùm raperetur, Hylas:
Et Phrygium ſupero Ganymedem, munere formæ:
Flexanimus tenero manat ab ore lepos.

Dotibus his tantis, uideor mihi dignus amari,
Ni tot uirtutes deprimat hoc uitium.
Depoſuit furum modò noſtra crumena timorem:
Deſijt & ſolitis rauca tumere ſonis.
À zona pendebat amor, pendebat amicus:
Decoxi, infelix. iam nec amor, nec amo.

Ad D. Lud. Catilium. CAR. LXXXIX.

Doctarum, Catili, decus ſororum,
Ornatiſsime uir, tabellione
Ex hoc diſcere ne graueris, oro,
Curas ſollicitudinesq́; noſtras:
Is nanq; Iliada ipſe ſe recepit
Dicturum tibi, quos fero laborum:
Mox candoris erit tui, miſellas
Noſtras auxilio leuare Muſas:
Quæ noctes tibi ſeruient, diesq́;,
Si nos reſpicies, & indoleſcens
Tantorum miſereberis malorum.

È Græco Λουκιανοῦ. CAR. XC.

Qui bene agunt, ijs uita quidem breuis omnis: at illis
Qui malè, nox ſeclis longior una decem.

Ad Iul. Camillum. CAR. XCI.

Eurydicen cithara cæco reuocauit ab Orco
Orpheus, & tigribus carmine iunxit oues.
Ille tamen manes inter uerſatur, & umbras,
Nititur & fruſtra flectere fata, miſer:
At tu, quem cœli pepererunt numina uatem,
Vmbras, & ſuperos, ſemideosq́; trahis.

Quare

Quare, hinc emigrans, & temporis orbe peracto,
Orphea non uiſes, aſtra, Camille, petes:
Aſtra petes: hilaransq; caua teſtudine diuos,
Deſpicies, tellus quicquid, & Orcus habet.

Floreto Theologo. CAR. XCII.

Si quiſquam hac noſtra doctorum ætate uirorum
Diuinæ meruit nomen habere tubæ,
Hic Floretus eris, uir florenti inclytus ore:
Nempe, tibi eſt unus dicere uera ſcopus.

Simoni Thomæ, & Ioan. Berruërio, amicis ſingularibus.

CAR. XCIII.

Ni, Thoma, mihi, tuq; Berruëri,
Crebrò conſuleretis, atq; ueſtra
Conſuetudine, melle dulciore,
Dignum me, alloquijsq;, duceretis,
Sæpe in corpore delicato, & ægro,
Mentem non minus experirer ægram.
At Dij (credo) meam uicem dolentes,
Vos taleis animos mihi dederunt,
Inſigneis medicos, eosq; amicos.

In zoilum. CAR. XCIIII.

Sat ſcio, rumpetur medius, ſimul atq; uidebit
In uulgus nugas zoilus ire meas.
Rumpetur medius, cùm nil, quod rodat, habebit,
Et tamen in nugas ingenioſus erit.
Dicet me leuibus confundere ſeria nugis,
At mage delectant ſeria mixta iocis.

Re-

Reprændet forſan, quòd miſceo ſacra profanis,
Inflammant animum ſacra, profana iuuant.
Me nimium dicet ſalis inſperſiſſe libello,
At decet in nugis nonnihil eſſe ſalis.
Culpabit teneros uerſus, mollemq; Camœnam:
Tale fuit, iuuenis quod Plato fecit opus.
Si dicar nimium facilis, gaudebo: fluenteis
Et facileis uerſus eſſe, decere puto.
Dicar & obſcurus, reclamat dictio tota,
Venaq;, quam talem gratulor eſſe mihi:
Liberius dicar corruptos carpere mores,
Hoc utinam fieri iam nihil eſſet opus.
Me uarium dicet: pueris commune, fatemur,
Hoc uitium eſt: omni tempore nemo ſapit.
Fortè breuis dicar, talis fuit ipſe Catullus,
Callimachus talis, talis & Auſonius.
Contrà, ſi culper tanquam prolixior æquo,
Egregius talis Naſo poëta fuit.
Ridiculus dicar ſubfrigida fundere uerba,
At titulum, Nugas, ipſe libellus habet.

Quoquò te (breuiter) uertas, me, zoile, ſpero
Tutari Nugas undiq; poſſe meas:
Et quæ tu ructas noctes maledicta dieſq;,
Hæc, miſer, in uentos, pulueris inſtar, eunt:
Ipſe malum tibi moliris, teipſumq; peruris,
Viſcera ſic flagrans deuorat Aetna ſua:
Teq; tuum, ſi non aliud, ſub Tartara telum
Mittet, & hoc telum, Zoile, lingua tua eſt.

Rumperis inuidia medius, neq; proficis hilum,
Dum Nugis creſcit gloria, lausq;, meis:
Quicquid agas, uiuent noſtræ per ſecula Nugæ,
Tuq; breui in Stygias pallidus ibis aquas.
Illic te laruæ, & manes, umbræq; nocentum,
Et furiæ, & quicquid luridus Orcus habet,
Diſcerpent: linguamq; in fruſtula mille ſecabunt:
Tunc linguam (ab ſerò) non habuiſſe uoles.

In Pythagoram, è Græco Λαερτίου.
CAR. XCV.

Heu, quid, Pythagora, ueneraris uile legumen,
Fama eſt in proprijs quem periiſſe fabis?
Dum metuens calcare fabas miſer aufugis, hoſtis
Ecce Agragantinus te necat in triuio.

Ad puellum diſcipulum ſuum. CAR. XCVI.
Ὦ παῖ τοῦτο ποίει ὃ πονεῖς, καλὰς μάθε τέχνας,
Σοὶ καὶ ἑοῖ καὶ σῷ πατρὶ χαριζόμενος.

Ad D. Mariam uirginem Deiparam.
CAR. XCVII.

O Dei nutrix, eademq; mater:
O uiri coniunx, eademq; Virgo:
Quæ uelut cœli decus, alta ſupra
Sydera fulges:
Tot ſacerdotes tibi, tot poëtæ,
Tot chori, ſacros modulantur hymnos:
Nec tamen quiſquam reperitur, inter
Millia centum,
Qui tuas laudes memorare dignè

Quiuerit:

Quiuerit:non ſi foret alter Orpheus.
Ergo quid poßit mea,uel quid auſit
Hiſcere Muſa?

Si meum carmen tibi,Diua,ſordet,
Ruſticum,durum,puerile carmen:
At preces audi, tibi quas ab imo
Pectore fundo.
Filius ſummi tuus ad parentis
Dexteram CHRISTVS *ſedet, & gubernat*
Machinam mundi:tibi quid petenti
Ille negarit?

E' Græco τοῦ Σαμίου. CAR. XCVIII.

Qui nunc me uideo eſſe pædagôgum,
In prædiuite ſum domo moratus,
Contriuiq; bonos (miſer) tot annos,
Guſtando mala,gratiasq; agendo,
Sperando,ingenueq; ſeruiendo.
Tantorum mihi præmium laborum,
Sunt,ſerò ſapere,atq; pœnitere,
Tabesq;,& ſenium:ergo nunc ab aula
Ad caulam uenio:quid eſt agendum?
Solæ perfugium fidele,& unum,
Si quas calleo,litteræ ſuperſunt:
Nec iam me pudet eſſe pædagôgum.

In noctẽ natalis domini Chriſti,ad Achilleũ De combũ Valentinen. CAR. XCIX.

Nubila diffugiant,clarum micet undiq; cœlum,
Emittant radios ſydera pulchra ſuos:

Hanc

Hanc decet egregio præcellere lumine noctem,
Quæ CHRISTVM,*uerum lumen in orbe dedit:*
In qua factus homo eſt, de Virgine natus, IESVS,
Seruator mundi, filius ille Dei.
Natus homo eſt, homines omnes ut ſeruet IESVS,
Qui ſol iuſtitiæ dicitur, atq; Deus.
Obſtupuit natum, tulerat quem uentre pudico,
Ante pedes, mater Virgo, iacere ſuos:
Hæc breuibus pannis perſtringens mollia membra,
Admonuit teneris ubera caſta labris.
Protinus Angelici ſonuere per aëra cantus:
Et paſtorali tibia pulſa manu.
Ipſe bonus coniunx fœno præſepia munit,
Scilicet, illa Deo culcitra prima fuit.
Cum boue procubuit (dictu mirabile) aſellus,
Spirans, & calido ſedulus ore fouens.
O nox, ô totum ſplende formoſa per orbem,
Tuq; ſequens atra ſis ſine nube dies.
Qui puer eſt natus nobis, is crimina mundi
Tollit, ſpes hominum, pax, uia, uita, ſalus.

Ad CHRISTVM.

CAR. C.

In cruce te quoties nudum contemplor, IESV,
Perfoſſum palmas, & latus, atq; pedes,
Deſpero, miſer, & clamo me fulmine dignum,
Dignum Tartareos mille ſubire rogos:
Nam tibi ſum tanti bone cauſſa doloris, IESV,
Plenus flagitijs, impietate grauis:

Diſpliceo

Diſpliceo (breuiter) totus mihi, uiuere tædet,
Set tua uox animum recreat illa meum:
Huc omnes ad me (uos qui peccaſtis) adeſte,
Vulneribus curo uulnera ueſtra meis.
Quis tam ferreus eſt, quem uox non molliat iſta?
Quis, præ lætitia, temperet à lachrymis?
Inuitas ex æquo omneis, nulloſq; repellis,
Promittiſq; patris regna beata tui.
Maxima promittis, ſet quæ præſtabis abundè,
Nec quenquam falles: omnia nanq; potes.
O nos felices per te, ſeruator IESV,
Nam tua mors nobis uita, ſaluſq; fuit.

Ad zoilum. CAR. CI.

Ζωΐλε τίπτε λέγεις χαλεπαντά μοι τ' ἄκαιρα πάντα;
Σοὶ γὰρ ξυνδοκέω, ὅττι κ' ἐγὼ τὰ λέγω.

In Pſittacum & puerum nomine Pium.
CAR. CII.

Pſittacus humanas edoctus reddere uoces,
Egregium forma deperijt puerum.
Nomen erat puero Pius: hunc uocitabat in horas,
Milleq; carpebat baſia, mille dabat.
Deniq; auem ſic ex animo & flagranter amantem,
Non potuit fidus non redamare puer.
Cantillare unà, atq; unà garrire ſolebant:
Set ſoluit ſubitus gaudia tanta dolor.
Morte Pius rapitur: noctes clamare, dieſq;
Inſtat auis, ſolum uultq;, uocatq; Pium:

At

At mox tabeſcens obmutuit, omne peroſus
Officium dominæ, blanditiasq́; ſuæ:
Vina fugit, dulcemq́; admotam reſpuit eſcam,
Iamq́; nihil radij uerbera dura timet.
Labitur exanguis, domina lachrymante puella:
Hoc unum moriens, nunc Pius (inquit) ubi eſt?

In Laurentium Vallam, ſcripſit puellus.

CAR. CIII.

Romani eloquij certiſſima gloria Laurens,
Cùm uoluit ſummum claudere Valla diem,
Protinus adcurrunt Charites, ploransq́; Minerua,
Et Venus, & Pithô, Pieridumq́; chorus:
Clauſerunt oculos chari morientis alumni,
Clamantes, Latij gloria, Valla, uale.

Ad Antonium Caſtronouanum Tarbellorum pontificem.

CAR. CIIII.

Ventorum ſedes, & nomina certa requiris,
Præſul, quos inter prælia dura fremunt:
Quorum cuncta uagos metuunt elementa furores:
Quorum ui interdum concita terra tremit.
Eſt Oriens triplex: hinc flat Vulturnus, & Eurus,
Tertius eſt Aquilo: treis Orientis habes.
Occaſus triplex, Zephyrus fluit inde ſaluber,
Caurus, Lybs: huius treis regionis habes.
Septimus eſt, cui dat Septentrio nomen, & illi
Humidus oppoſito ſpirat ab orbe Notus.

Vulturno hyberno ſlanti contrarius eſt Lybs:
In Zephyros Euri ſæua procella ruit:
Aeſtiuis Aquilo Caurum ſtridoribus arcet.
Propria tot fratrum nomina, præſul, habes.
Sunt alij, qui præter eos quos diximus octo,
Nomina qua ſpirant à regione trahunt.
Proximus Argeſti trahit ad ſe Cæcia nubes,
Cercius armatos ſternit, & ora replet.
Sunt Prodromi celeres, & Atabulus, eſt & Iapyx:
Set mihi præcipuos commemoraſſe, ſat eſt.
Si minus hæc ratio de uentis noſtra probatur,
O' præſul, ne clam me, precor, eſſe uelis.
Autores habeo, ſet quos & poſſe refelli,
Vtq; homines, labi, quos potuiſſe, ſciam.

In malignos lectores. CAR. CV.

Pyramides regum, ſtatuæ, pictiq; triumphi,
Talia, uel modico tempore, caſſa ruunt.
Carmina quæ feci uates, æterna manebunt,
Dum fluuij current, in pelagusq; cadent.
Exegi monimenta mihi uiuacia quouis
Aere magis, quæ nec tempora longa terent:
Non moriar totus: Libitinam pars bona noſtri
Effugiet: uiuam docta per ora uirûm.
Hæc (ſcio) fert animo omnis lector candidus æquo:
Set malus inuidia rumpitur, atq; crepat.

In Pumicē, homūcionē glorioſulū. CAR. CVI.

Vis magnus, Pumex, iuriſconſultus haberi,
At leges neſcis, & cubitalis homo es.

Vis doctus, uis egregiè facundus haberi,
At tibi de labris arida uerba fluunt.
Vis ſimplex idem, uis, Pumex, caſtus haberi,
At pueri norunt ſcorta, iocoſq; tuos.
Vis alijs dare conſilium, & maturus haberi,
At nihil è ſicco Pumice manat aquæ.
Vis breuiter dicam? non dicam: quid uetat? ingens
Opprobrium uitæ dicere nolo tuæ.

Ad Carolum T. CAR. CVII.

Optime pontificum Priami de ſanguine, Carle,
O decus, ô ſtudijs anchora ſacra meis:
Mittere ſi nequeo gemmas, auriq; talenta,
Si non do meritis munera digna tuis:
Haſce ego nunc Nugas, hunc (ut queo) mitto libellum
Qui ſi non malus eſt, munera magna capis.
Non habeo argentum pauper, non ſuppetit aurum,
Sunt mihi diuitiæ carmina ſola meæ.
Quæ ſint cunq; tamen quæ do, ne ſperne: frequenter
Frondibus ornatur uilibus ara Deûm.

De ſeipſo. CAR. CVIII.

Quid cupis? aut quò tendis iners? quò uota feruntur?
Num cupis auratos, marmoreoſq; lares?
Hæc poſcant alij. uis culti iugera campi?
Delicias regum? pontificumq; dapes?
Talia ſi cuperem, curas cuperem, atq; labores:
Tuta quies, & opes, non ſimul eſſe queunt:
Irus inops eſſem, quamuis immenſa tenerem
Imperia, aut gazas, Crœſe ſuperbe, tuas.

Nudus in hunc ueni mundum, nudusq; recedam:
Quur igitur mentem ſollicitabo meam?
Sic hilaris uiuo, ſic lætam duco iuuentam:
Rideo uel quicquid diues auarus habet.
Nil ergo omnino exoptas? hoc ſcilicet unum,
Mens ſit ut in ſano corpore ſana mihi.

In Cupidinem dormientem.

CAR. CIX.

Si dormis, quur iſte tuus non dormit & arcus,
Sæue puer? nobis nulla futura quies?

Ad Carolum T.

CAR. CX.

Virgilius quondam ſi quid cupiebat habere,
Vtile quod ſtudijs cerneret eſſe ſuis,
Semper id Auguſto uates poſcebat ab uno:
Atq; ab eo nil non obtinuiſſe ferunt:
Sic hominum ſemper, ditiſſime Carole, ſolum
Inuoco te, zona deficiente mea.
Frigora me terrent hyemis uicina futuræ:
Tu noſti, uentos quàm malè ferre queam:
Per Muſas, obſecro, tuum miſerare poëtam,
Per qui noſtra ſua crimina morte tulit.
Dedecus eſt uatem tritis ſic ire lacernis,
Cuius ab æthereа ſpiritus arce uenit.
Quæ teneros artus foueat, frigusq; repulſet,
Emptaq; non magno, ſat mihi ueſtis erit.
Mundicies inter luxum, ſordesq; probatur:
Nec nitidus nimium, nec lacer eſſe uelim.

Ad

Ad eundem. CAR. CXI.

Pica tibi nuper quam dono miſit amicus,
Carole,næ meritò perplacet illa tibi:
Nam primum nitidis albet pulcherrima plumis,
Nulla magis nix eſt candida,nullus olor:
Deniq; ſic hominum uoces imitatur,ut omnes,
Ni uideant,uolucrem protinus eſſe negent.
Bellè & facundè dominum uocat,atq; ſalutat,
Auditurq́; frequens,Carole uiue diu.
Alba igitur tota eſt,facundaq́;,totaq́; bellè
Reſpondet domini dotibus illa ſui.

Ad Franciſcum Galeatum. CAR. CXII.

Si quiſquam iuuenum linguam percallet utranq;,
Pulcher,& antiqua nobilitate potens:
Si ſibi quiſquam animos deuincit amabilis omneis,
In terris homines,in ſuperisq́; Deos,
Solus hic es,ſolus dotes complecteris iſtas:
O decus,ô ſecli flos,Galeate,tui.

Ex Franciſco Petrarcha. CAR. CXIII.

Non pacem inuenio, at bello me nemo fatigat:
Et ſpero, & timeo,glacie circundatus uror:
In terra iaceo,at uolitans feror æthera ſupra:
Mens mea nil ſtringit,totumq́; amplectitur orbem:
Qui me in carcere habet,mihi nec clauditue,aperitue:
Nec uult eſſe ſuum, cuius me uincula nectunt:
Nec me occidit Amor,ſet nec me compede ſoluit,
Nec uiuum ſupereſſe ſinit, nec quærere pacem:
Abſq; oculis clarè uideo,clamo ſine lingua:

Et pacem fugito, precibus mihi & illa roganda eſt.
Deniq; qui me odi, alterius conſumor amore:
Rideo ſuſpirans, me paſco doloribus ipſum:
Mors & uita mihi grata eſt, placet utraq; iuxtà:
Sic ego ſum pro te, pro te ſum talis amica.

Ad Cupidinem. CAR. CXIIII.

Triſtis hyems abijt: iam fumoſa urbe relicta,
Nos inuitat opes uiſere terra ſuas.
Arboribus rediere comæ, cœloq; ſalubri
Corpora lætantur, ridet & omnis ager.
Quàm uarij flores, quàm dulce roſaria ſpirant,
Quàm læto pinguis gramine uernat humus:
Nidificant uolucres, atq; aëra cantibus implent:
Omne coit (breuiter) luxuriatq; genus.
Solus ego infœlix uerni ſum temporis expers:
Vna mihi tanti cauſſa puella mali.
Parce, puer, nam ſponte ſequor tua ſigna, Cupido,
Parce: uiden' ſupplex ut tibi tendo manus?

Ad Io. Oliuarium Andium Pontificẽ ædificantem. CAR. CXV.

O te fœlicem, taleis qui conſtruis ædes,
Vt Muſis requies nulla ſit apta magis.
Impulſore Deo (quo nil non auſpice rectum eſt)
Non dubium quin tam nobile ſurgat opus.
O mihi concedant unà iſtic uiuere tecum,
Et ſtudijs adſint numina magna meis:
Non Linus, aut Orpheus, nõ me Maro carmine uincet:
Sed dicar ſecli gloria prima mei:

Et

Et faciam Muſas CHRISTO *ſeruire, feramq́;*
Laudibus in cœlum, teq́;, tuamq́; domum.

De Amore ad Ioan. Tuanum Pariſieñ.

CAR. CXVI.

Quiſquis amat, diſcat duros perferre labores:
Segnes & tepidos non amat acer Amor.
Quem labor, & cura, & uia longa abſterret amantē,
Ignaui ſubeat turpiter ille notam:
Et nunquam optato infelix potiatur amore,
Et moueat multùm, promoueatq́; nihil.
Strenuus oppoſitos audet tranſcendere montes,
Horrida nec Boreæ frigora curat amans:
Nec rapidi tardant, undis ſpumantibus, amnes,
Cùm fluit ex altis nix reſoluta iugis.
Ardebat iuuenis, cùm ſæua per æquora nabat,
Quem fouit gremio Seſta puella ſuo.
Num piger Aeacides, Briſeide uiſus amata eſt?
Num minus in Turno robur amante fuit?
Ferre famem, tolerare ſitim, contemnere ſomnos,
Dura pati diſcat plurima, quiſquis amat.

Vnumquenq; ſuã ferre crucem oportet.

CAR. CXVII.

Diſce crucem, quicunq; cupis cœleſtia regna,
Qui cupis in CHRISTO *uiuere, diſce crucem:*
Ventos, pauperiem, morbos, opprobria, peſtes,
Vim, ſolem, frigus, flagra, tributa, famem,
Impoſturam omnem, & leges à fraude profectas,
Atq; homines magni ſæpe flagella Dei:

Omnia fer patiens, Chriſtiq́; uocantis amore,
Qui nil non noſtri paſſus amore fuit.
Hoc facere ut poſsis, uenerabile nomen IESV
Sæpe uoca: præſens hic tibi ſemper erit.
Crede mihi, hæc hominem dignum conſtantia cœlo
Efficit: hæc eſt crux cuiq; ferenda pio:
Hæc CHRISTI *crux eſt: hanc qui contempſerit, is ſe*
Mille malas ſperet commeruiſſe cruces.

Ad Coronæum. CAR. CXVIII.

Treis quis habet linguas, Græcã, Hebræã, atq; Latinã,
Quid ſequitur? linguas treis habet: ergo triceps.
Huic igitur metuenda manus, qua ianitor Orci
Cerberus, abſtractus ferrea uincla tulit:
Nanq; ita colligere, obtrectatrix turba, ſophiſtæ,
Et mordere leues optima quæq; ſolent.
Ergo Coronæus me dicens eſſe trilinguem,
Num ludos uulgi me cupit eſſe? cupit.

In eundem. CAR. CXIX.

Ipſe Coronæus doctum me prædicat eſſe,
Quanti me faciet, credula mater anus?

Ad Carolum P. CAR. CXX.

Aetati inuideant nihil priori,
En noſtri nimium dies beati:
Nam quicquid Clarius Deus, *Rhodosq́;,*
Eurotas, Helicon, ſpecusq́; Cyrrhæ,
Parnaſus, liquidi uireta fontis,
Pimpleæ pariter puellæ, Athenæ
Sacratæ retinent, patet diebus

Noſtris:

Noſtris: munificus, probuſq; magnis
Sanguis Carolus Hectoris, peritos
Ornat muneribus. canamus ergo:
Aetati inuideant nihil priori:
En noſtri nimium dies beati.

Duorum fratrum Epitaphion.

CAR. CXXI.

Hæc una urna duos fratres habet, una duobus
Natalis fuerat, quæ fuit hora necis.

E' Græco Σαμίυ. CAR. CXXII.

Stulte, quid exultas, & inani attolleris aura?
Gaudes? gaudendi quæ rogo cauſſa tibi?
In febri requies arridet talis, at illa
Improba, per certas itq;, reditq; uices.
Non tot erant uaſto ſubeunda pericula ponto,
In terra quot te, uir miſerande, manent:
Vel morbus, tua uel præcedet funera ferrum,
Vtrumuis mortis uincit amariciem:
Quin eadem tumidum fruſtra uitata per æquor,
Securum in ſtratis inſidioſa petet.
Stare decet uigiles homines, ſemperq; paratos:
Certa dies nobis nulla, nec hora datur.

Ad Puellam. CAR. CXXIII.

Accipe multiplici contextam flore corollam,
Quam feci his digitis, dulcis amica, meis:
Accipe, uerum iſtud, ſibi quid uelit, accipe donum:
Vt pereunt flores, ſic tua forma perit.

E' Græco τοῦ Σαμίου. CAR. CXXIIII.

Quur, homo, te letum formidine terret inani?
Quod nemo effugiet, quur id inepte paues?
Si CHRISTVM *ex animo credis tot uulnera paſſum,*
Tot flagra, tot colaphos, probra, necemq́; crucis,
(Hæc etenim Chriſtus tulit ipſe, ut uiuere poſſes:
Vt tua mens ueteri libera lege foret)
O' homo, ſi ex animo credis ſolum eſſe ſalutem
Spemq́; tuam CHRISTVM, *iuſtitiamq́; tuam:*
Quur fugis optandam lucem? certamq́; quietem?
Quam qui promiſit, omnia ſolus habet?
Quur adeò mundi huius opes miraris, & umbras?
Teq́; tui demens exoculauit amor?
Hæc mors nil aliud quàm ueræ ianua uitæ,
Interitus carnis, finis amanda mali.
Felices animæ, membra & felicia, gaudent
Coniungi capiti, principioq́; ſuo.
Quur igitur nunc te piget iſto corpore ſolui,
Aeternùm ut uiuas? hem, quid inepte, paues?

Ad Chriſtianos. CAR. CXXV.

Quos cœleſtis amor, quos optima numina tangunt,
Syncera CHRISTVM *ſemper adite prece:*
Credite, ſi quid opis petitis, nihil ille negabit:
Credite, eo in ſolo uita beata ſita eſt:
Et per eum, ad patrem acceſſum nos ſemper habemus,
Nobiſcum & pacis ſpiritus arra manet.

In ædes Marſiliani tyranni prædiuitis.

CAR. CXXVI.

Regia ſum fixis hodie miratus ocellis
Ornamenta domus, Marſiliane, tuæ.
Flectere quo tandem potuiſti carmine fata?
Qua (rogo) Dædaleas nactus es arte manus?
Vnde tibi princeps picturæ Cous Apelles?
Vnde tibi ſculpor nobilis ille Myron?
Vnde tibi plaſtes Lyſippus? & inclytus ille
Praxiteles? uatum maximus unde Maro?
Diſticha ſunt operi ſua cuiq; inſcriptio rerum,
Quæ Maro uel poſuit, uel poſuiſſe uelit.
Tota domus (breuiter) miro ſplendore ſuperbit:
Materiam ſuperans undiq; fulget opus.
Hæ ſunt diuitiæ, ui, ferro, crimine, partæ:
Hæc ſpolijs, hæc eſt ſanguine plena domus.

Ad D. IESVM Chriſtum. CAR. CXXVII.

Prædite uero
Lumine CHRISTE,
Sydera nutu
Cuncta gubernans,
Mitis ab alto
Culmine cœli,
Aſpice nota
Noſtra tuorum.
Crimina pelle:
Confer honeſtam
Ducere uitam:

Da tua amemus,
Ac ueneremur
Iuſſa fideles:
Alta beati
Gaudia cœlus
Viſere præſta:
Duc, ubi ſancto
Nectaris uſu
Veſcitur omnis
Turba piorum.
Sic tibi puro
Carmine laudes,
CHRISTE, *canemus.*

Ex Heſiodo.

Τὴν μέν τοι κακότητα καὶ ἰλαδὸν ἐστιν ἑλέσθαι
ῥηϊδίως, ὀλίγη μὲν ὁδὸς, μάλα δ' ἐγγύθι ναίει.
Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν
Ἀθάνατοι, μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος ἐπ' αὐτήν.

Nos ex tempore ſic uertimus.

CAR. CXXVIII.

Nanciſci uitium cumulatim, & ſumere promptũ eſt,
Quò breue ducit iter: nihil eſt uicinius illo.
Virtuti, contrà, ſudorem numina diuûm
Oppoſuere, uiamq; aſpram, longamq; dederunt.

Idem aliter. CAR. CXXIX.

Cuius perfacile eſt uitiorum acquirere lernam:
Eſt breue iter, nihil eſſe poteſt uicinius illis.
Virtuti oppoſitum ſudorem fata dedere:

Longaq;

Longáq́;,difficiliſq́; uia eſt,quæ ducit ad illam.

Iocatur in ſeipſum,liuorem prouocans. CAR. CXXX.

Amphion Dircæus adeſt,hic numina Phœbi,
Hic ſaliunt omnes Bellerophontis aquæ:
Cedant Naſones teneri,doctiq́; Catulli,
Poſtibus adfigat uictus Apollo chelyn.
Triſtia Mœonio non cantat prælia uerſu
Borbonius,ſet quæ ſunt mage digna legi:
Scommata docta,ſales doctos,epigrammata, amores,
Quæ luſit mira ſedulus arte puer.
Ergo agè,lingua omnis,liuore crepante,per orbem
Effluat in laudes, Vandoperane,tuas.

In Ioannem Berr.Pariſieñ. CAR. CXXXI.

Perithoum eſt Theſeus,Pylademq́; ſecutus Oreſtes,
Inter eos tantus feruor amoris erat.
Tu ſequeris doctos & amas,doctiſsimus ipſe,
Vt cum doctrina certet honeſtus amor:
Sic ueteres illos fido ſuperabis amore,
Doctrinaq́;:ſimul doctus,amicus eris.

Ad Lodoicum Carinum Heluetium. CAR. CXXXII.

Ingeniorum hodie Germania dicitur altrix,
Atq; eadem ſedes artibus eſſe bonis:
Eſto, non illi tamen aurea Gallia cedit,
Relligione,opibus,dexteritate,uiris.
Deniq; mirandum ſi quicquam protulit ora
Germana, in gremio Gallia noſtra tenet.

Te Lodoice tenet: quid fles Germania? nobis
Se dedit: huncce tibi ſit genuiſſe ſatis.

De melle Indico, quod in arũdinum
foliis colligitur, è Græco Σαμίν.

CAR. CXXXIII.

In folijs eſt ros, & dulcis arundinis humor:
Talia mella ferens India ſpernit apes.

In Diogenem Cynicum, partim ex Græco Λαέρτίυ, partim ex Auſonio.

CAR. CXXXIIII.

Dic, canis, hoc cuius complectitur oſſa ſepulchrum?
Oſſa canis: rurſus quis canis hic uir erat?
Diogenes: altis qui dolia prætulit aulis:
Cui caua pro cyatho ſat fuit ipſa manus.
Num ſubijt manes? non ferret Cerberus. ecquò
Ergo ijt? æternam nunc habet aſtra domum.

Ad Deum opt. max. Ode
Aſclepiadæa.

CAR. CXXXV.

Rerum magne pater, ter Deus unicus,
Aeterno moderans imperio, ſuis
Quicquid tota capit machina finibus,
Exaudi, Deus optime.
Ad te perfugimus carmine ſupplici,
Et uotum numeros offerimus pares:
Aſpernare minus uota precantium, &
Depromptas animo preces.
Peccati nimio pondere lædimur,
Iactamur tumido præcipites freto:

His

His nos exonera ſordibus impios,
Dulcem mitte Fauonium.

Durus ſemifero Petrus ab æquore,
Et Paulus fidei buccina perſonans,
Surgunt incolumes: fœnora deſerit
Matthæus dominum ſequens.

Peccatrix mulier ſoluitur improbis
Septem dæmonijs: in cruce proprium
Agnoſcit dominum, munere ſpiritus
Præſentis, moriens latro.

Et nobis placidæ munera gratiæ
Elargire, pater, nec ſine perditam
Damnari ſobolem, ne Stygios lacus
Humanum ſubeat genus,

Quod mors illa tui commoda filij,
Illatumq; noua ſupplicium cruce,
Proſtrato rabidi limine Tartari,
Vmbris abſtulit horridis.
CHRISTI pœna tui ne ſit inutilis,
Ne fluxus maneat ſanguinis irritus:
Set nos aſtriferum ſanctus ad æthera
Recto tramite dirigat.

E' Græco ἄδηλον. CAR. CXXXVI.

Latro ſub antiquo quidam requieſcere muro
Cœperat: in ſomnis numen adeſſe uidet.
Hic (ait) hic dormis? moneo, ecce, repentè ſoporem
(Si ſapis) abrumpas, aufugiasq; celer.

Paruit

Paruit ille Deo: cùm uixdum euaſerat, ingens
Concutitur paries funditus, atq; ruit.
Manè memor ſacris onerabat numina donis,
Latroni ſuperos uelle fauere ratus.
At numen rediens per ſomnum, nocte ſequenti,
Dicitur his uerbis increpuiſſe uirum.
Non hac morte mori te prouida fata uolebant,
Set crux latronem te manet alta, miſer.

In Cæcilianam, ſcripſit admodum puer. CAR. CXXXVII.

Non ſinis ut linguas diſcat, librosq; reuoluat
Filius, ô demens Cæciliana, tuus.
Non exire domo pateris, non uiſere campos,
Amplexu retinens, in gremioq; fouens.
Nec ſinis æqualeis intus colludere nato,
Et miſces lachrymis oſcula mille tuis.
Vix illum pateris, te non præſente, cacantem,
Nudaq; cum nudo, Cæciliana, cubas.
Defuncti ut patris ueſtigia ſancta ſequatur
Non ſinis, ignauum degeneremq; facis.
Vidi ego Tantaleo puerum de fonte bibentem,
Nuper erat noſtri gloria prima chori:
Cœperat & mecum uerſu contendere, nosq;
Præceptor noſter dixerat eſſe pares.
Non potes auelli (quiſquis reclamet) ab illo,
Matris inauditum ridiculumq; genus:
Sic faciens, non es mater, ſet dura nouerca:
Sic perdis natum, Cæciliana, tuum.

Simia

Simia deformeis fœtus miratur, at ipſa
Sæpe ſub amplexu pignora chara necat.

Ad lectorem. CAR. CXXXVIII.

Nõ tot opes Babylon, nec Rhoma, nec ipſa Corinthos,
Non tot opes Stygij poßidet arca Iouis:
Quot meus hic gemmas, quot commoda cõtinet unus,
Qui tamen exiguo uenditur ære, liber.
Hiccine totus hias lector? nec ludicra ſentis?
Credule, cui faciunt hæc mea uerba fidem.
Num gerit hic titulum Nugarum in fronte libellus?
Nugas ut nugas accipe, non ut opes.

In Lepticum. CAR. CXXXIX.

Fortè tuum librum ſum nactus, Leptice: legi,
Et iucunda mihi lectio tota fuit:
Carmina ſunt illic uel ſummo digna Marone,
Qualia uel Naſo compoſuiſſe uelit.
Non potui, riſum, pulmone agitante, tenere,
Nec riſum comites continuere mei.
Riſimus egregiè, & uarias agnouimus alas,
Se quibus exornat Lepticus, atq; uolat.
Mox (ut ſæpe ſolet tranſire ad ſeria riſus)
Feſtinat pennas carpere quiſque ſuas:
A capite ad calcem dirumpitur omne uolumen,
Viſcera ſunt miſero dilaniata libro:
Nulla libri ſupereſt facies, & pagina nulla,
Relliquias atri fulminis eſſe putes.
Nulla tibi, infelix, facta eſt iniuria, flere
Deſine: dignus eras his grauiora pati.

Nomine Lepticus es, re Clepticus: unica cunctis
Addita ſignificat littera qualis homo es.

E Græco Σαμίς. CAR. CXL.

Lux mea, dum ſoli ſumus, & colludimus unà,
Et mea dum labris adprimo labra tuis:
Oſcula dum coëunt, & murmura grata ſequuntur,
Inſtat ubi uictrix, incaluitq; Venus:
Ecce animus mihi præter ſpem, ac nil tale timenti,
Aufugit è labris in tua labra meis:
Nempe, tui captus dulcedine amoris, & oris,
Oblitusq; mei, nec memor ipſe ſui:
Exanimis iacui: timuiſti, hinc reddere pergis
Oſcula, & hinc animus labra per ipſa redit.
Quod niſi feciſſes, aliquo miſerante Deorum,
Res mira, & ualdè prodigioſa foret:
Nanq; tua, ô mea lux, habitarem pectora uiuus,
Nempe tibi uiuus, mortuus ipſe mihi.

In liuorem. CAR. CXLI.

Quum mea Cerbereo lædatur murmure fama,
Impetat & uerſus inuida lingua meos:
Quum nimium dicar petulans, mordaxq; poëta,
Et dicar iuuenes, & lacerare ſenes:
Qur celeber maneo, paßimq; poëta ſalutor?
Inq; leueis abeunt uerba canina Notos?

De Chriſtianis, ex apologo Tertull. ſcripſit puellus. CAR. CXLII.

Semiſſes homines, prius uocati
Fœdo nomine, & impio, fuerunt

Sar-

Sarmentaria ſecta, CHRISTIANI.
Sæuæ tanta lues iniquitatis,
Tanta Rhoma fuit malignitate,
Vt proſternere membra pullulantis
Diuinæ fidei, labore multo
Sudarit: rapidis iniqua flammis
Illos ira dedit, crucis tremendæ
Multos ſupplicio, furens procella
Plures obruit æquoris profundi.
At nil profuit improbis fideleis
Adfeciſſe malis: caput ſuperbum
Conſtatura fides, probata, firma,
Tollit, ſubleuat, erigit, triumphat.

Ad Franc. Pucrium. CAR. CXLIII.

Subdita Muſa tibi eſt: Muſæ ſum ſubditus ipſe,
Meq; eadem famulo, teq; ſuperbit hero.
Nil igitur mirum, ſi me, Franciſce, relicto,
Te colit, & quicquid iuſſeris, illa facit.

Prouerbium ex uulgi fece decerptum.
CAR. CXLIIII.

Ὄφις οὐ φαγῶν ὄφιν, οὐ γενήσεται δράκων. Id eſt,
Serpens èdat ſerpentem, aliâs draco haud erit.

Ch. Longolij eloquentiſs. uiri, tumulus.
CAR. CXLV.

Nuper, apud manes, crudeli funere raptum
Longolium Cicero uidit, & obſtupuit:
Quis nouus hic error? noſtri altera uenit imago?
Vtra (ait) umbra mea eſt? aut, uter eſt Cicero?

Nomine Lepticus es, re Clepticus: unica cunctis
Addita ſignificat littera qualis homo es.

E Græco Σαμίς. CAR. CXL.

Lux mea, dum ſoli ſumus, & colludimus unà,
Et mea dum labris adprimo labra tuis:
Oſcula dum coëunt, & murmura grata ſequuntur,
Inſtat ubi uictrix, incaluitq; Venus:
Ecce animus mihi præter ſpem, ac nil tale timenti,
Aufugit è labris in tua labra meis:
Nempe, tui captus dulcedine amoris, & oris,
Oblitusq; mei, nec memor ipſe ſui:
Exanimis iacui: timuiſti, hinc reddere pergis
Oſcula, & hinc animus labra per ipſa redit.
Quod niſi feciſſes, aliquo miſerante Deorum,
Res mira, & ualdè prodigioſa foret:
Nanq; tua, ô mea lux, habitarem pectora uiuus,
Nempe tibi uiuus, mortuus ipſe mihi.

In liuorem. CAR. CXLI.

Quum mea Cerbereo lædatur murmure fama,
Impetat & uerſus inuida lingua meos:
Quum nimium dicar petulans, mordaxq; poëta,
Et dicar iuuenes, & lacerare ſenes:
Qur celeber maneo, paßimq; poëta ſalutor?
Inq; leueis abeunt uerba canina Notos?

De Chriſtianis, ex apologo Tertull. ſcripſit puellus. CAR. CXLII.

Semiſſes homines, prius uocati
Fœdo nomine, & impio, fuerunt

Sar-

Sarmentaria ſecta, CHRISTIANI.
Sæuæ tanta lues iniquitatis,
Tanta Rhoma fuit malignitate,
Vt proſternere membra pullulantis
Diuinæ fidei, labore multo
Sudarit: rapidis iniqua flammis
Illos ira dedit, crucis tremendæ
Multos ſupplicio, furens procella
Plures obruit æquoris profundi.
At nil profuit improbis fideleis
Adfeciſſe malis: caput ſuperbum
Conſtatura fides, probata, firma,
Tollit, ſubleuat, erigit, triumphat.

Ad Franc. Pucrium. CAR. CXLIII.

Subdita Muſa tibi eſt: Muſæ ſum ſubditus ipſe,
Meq́; eadem famulo, teq́; ſuperbit hero.
Nil igitur mirum, ſi me, Franciſce, relicto,
Te colit, & quicquid iuſſeris, illa facit.

Prouerbium ex uulgi fece decerptum.
CAR. CXLIIII.

Ὄφις οὐ φαγῶν ὄφιν, οὐ γενήσεται δράκων. Id eſt,
Serpens èdat ſerpentem, aliâs draco haud erit.

Ch. Longolij eloquentiſs. uiri, tumulus.
CAR. CXLV.

Nuper, apud manes, crudeli funere raptum
Longolium Cicero uidit, & obſtupuit:
Quis nouus hic error? noſtri altera uenit imago?
Vtra (ait) umbra mea eſt? aut, uter eſt Cicero?

Aliud. CAR. CXLVI.

Longolium inſano Ciceronis amore flagrantem,
Mercurius nobis abſtulit ante diem:
Scilicet, ille ſibi ne linguæ auferret honores:
Heu, diuos etiam, Liuor acerbe, petis?

Ad Franc. Gall. CAR. CXLVII.

Inclyte adoleſcens, tibi quòd mea Muſa ſit auſa
Obſtrepere, & limam ſtulta ſubire tuam,
Noli admirari: bonitas tua perpulit illam,
Quàm facilis, quàm ſis candidus, illa uidet:
Nec te patronum uocitare ueretur inepta,
Atq; tibi ſi non diſplicet, hoc ſat habet.

De ſeipſo, & Rubella puella, ad Chriſtophorum Richerium Thorygnium amicum ſing.

CAR. CXLVIII.

Liquerat in croceo Tithonum Aurora cubili,
Et criſtata diem ſignificarat auis:
Viſebam frondes, & amœna roſaria ſolus,
Graminibus terra luxuriante nouis:
Multimodis uolucrum reſonabat cantibus aër,
Et Zephyro multus ſlante canebat olor.
Sola mihi occurrit ſoli pulcherrima uirgo,
Non mihi mortalis, ſet Dea uiſa fuit.
Obſtupui, attonitusq; diu ueſtigia preſsi:
Illa quoq; obſtupuit, continuitq; gradum.
Extemplò exarſi, ſenſiq; per oſſa calorem,
Noſtra graui telo pectora fixit Amor.

Olli

Olli ueſtis erat de pura candida tela,
Aurea præuiridi fronde reuincta coma.
Omne genus uiolas gremio geſtabat, at illæ
Ante pedes dominæ procubuēre ſuæ.
Accedo blandus, ſubridentemq́; ſaluto,
Mellea reſpondens uocula, dixit Aue:
Vtq́; iuuem ſeſe uiolis rogat illa legendis,
Intrepidè, ſet non abſq; rubore tamen.
Impetrat facilè, at noſtrum miſerata laborem
Ridet, & incœptum Cypria turbat opus.
O quot ibi amplexus, ô quot chara oſcula cepi,
O mihi quàm præceps tranſijt illa dies:
Optabam uotis cœlo ſine fine maneret
Phœbus, & immotos ſtare iuberet equos.
Non poteram à roſeis diuellere labra labellis,
Non poteram dulceis deſeruiſſe iocos.
Pòſt, ubi ſe crebra cognouit uoce uocari,
Dulcis amice (inquit) me mea quærit anus:
Si uenit huc, perij: quare hinc diſcedere cogor:
Sum tua perpetuò, tu meus eſſe uelis.
Sic effata, domum lachrymans & flebilis ibat:
Proſequor, & nomen poſtulo factus amans.
Tum conuerſa, petis quod amantem condecet (inquit)
Fontibus à ſacris dicta Rubella fui.
Hic ego labra labris iungens, hunc pignus amoris
Annellum noſtri, pulchra Rubella, cape:
Si mea quid poßunt promittere carmina, uiues,
Felix temporibus nata puella meis.

Obſeruabat anus,latitansq; uocare puellam
Deſierat: cùm me ſenſit abeſſe,uenit.
Inuolat in pulchros crines,& uerberat ora,
Ora,quibus potuit Iuppiter ipſe capi.
Adcurro: illa ſtetit contrà,mortemq; minatur,
Lumina ſcintillant: eſſe putes furiam.
Atq; ubi tentaui ſuccurrere fidus amator,
Stringunt ſacrilegæ guttura noſtra manus:
Et ni chara citò acceßiſſet amica Rubella,
Nunc ego cum Stygijs manibus umbra forem.
Non impunè tuli, ſunt fœdata unguibus ora,
Liuida ſunt toto corpore membra meo.
Sæpe emitur magno breuis,& nocitura uoluptas:
Heu magno conſtat, qui nocet emptus amor.

In inuidos,è Græco. CAR. CXLIX.

Carnificis manibus dantur, Diophantus & Hermon,
Qui ſimul,& coràm, fixit utrunq; cruci.
Aſt Hermon,quòd crux ſocio ſublimior eſſet,
Inuidia ſubitò tabuit,& crepuit.

In libellum ſuum. CAR. CL.

In nucula clauſam Iliadem miraris Homeri,
Græcia,uel Nugis dicta beata tuis:
Deſine nugari,& tumefactas reprime criſtas:
Ecce tuis Nugis res noua maior adeſt:
Hic tot habet Nugas, hic tot ſcatet undiq; Nugis,
Geſtiat ut titulo nugiger eſſe liber.

TERTII LIBRI NVGARVM FINIS.

NICOLAVS BORBONIVS FRANCISCO PVcrio à Beneſtæa, iuuени eruditione ſingulari, pariq; modeſtia prædito S.

EX TVIS, & Caroli germani tui literis, tantum cepi uoluptatis, quantum fructus, hoc eſt, plurimum. Is enim eſt dictionis ueſtræ genius, ut non modò hilariorem, ſet etiam meliorem lectorem dimittant. Quod pulcherrimum naturæ, uel Dei potius, donum in uobis duobus admirari ſoleo, ſi quibus in alijs eruditorum huius temporis. Præterea in epiſtolis ueſtris diligentem neſcio quam neglegentiam inuenio, quæ multo plus delectat animum meum, quàm moroſa quorundam atq; religioſa diligentia: qui quod inuita (ut aiunt) Minerua, naturaq; reclamante, adſequi non ualēt, id arte fucoq; imitātur. Ego uerò in ea ſemper fui ſentētia, ut crederem, nihil æquè decere epiſtolam, atq; illa ſermonis perſpicuitas, quam Græci ἐνάργειαν uocant. Quod eò pertinere uolo, ut intelligas, quàm bene tecum mihi conueniat de ſtylo noſtrorum τῶν νεωτερικῶν, deq; illorum inſigni ſuperſtitione, quos tu, non ineptè, Ciceronis umbras ac Simias appellare ſoles. Set de his aliâs. Carmen noſtrū, aut, ſi ma uis, iudicium de poëtis Latinis, quod uidere ſcribis te percupere, ſic habet.

De poetis latinis Borbonij iudicium.

Naſoni quod debet Amor, mollíq; Tibullo,
Hoc uni debet Mars tibi, magne Maro.
Tuq;, leui ſocco, punctum fers omne, Terenti:
Cum ſatyra exornat te tua, Flacce, chelys.
Ipſa tibi multum debet natura, Lucreti:
Syllaba non debet nulla, Catulle, tibi.
Nemini adhuc quicquam debere epigramma latino,
Grammaticus quidam nomine Rhallus, ait.

Nugæ debent Borbonio.

At mihi (ſi cuiquam) debere fatebere Nugas,
Quiſquis eris, patiens qui mea ſcripta leges.

Proinde Nugarum ueterum ſimul, ac nouarum quicquid ad manū erat, in unum uolumen iuſſu tuo, & tanquam in faſcē redegi, primo cuiq; curſori regio ad te daturus. Niſi ex tot moleſtijs, totq; euigilatis noctibus eſſem omnium qui uiuunt ξυμαλικώτατος, hoc eſt, grauedinoſiſſimus, iſtuc cupidiſſimè aduolaſſem, tecūq; ſyluam illam meam nomini tuo nuncupandam communicaſſem, quam magnis conuitijs efflagitas. Ei nomen ſatyron indidi: cuius initium tale eſt.

Carmina luſi olim totum iam ſparſa per orbem,
Nugarum titulo: Nugis ſunt omnia plena:

Nugæ Borbonij.

Atq; adeò in noſtris ſi qua inſunt ſeria libris,
Nugarum illa magis cenſebis nomine digna,
Dignaq; rugoſos uetularum radere culos.
Nec tamen id uitio uerti mihi debet, opinor,
Si puer, & iuuenis, famæ creſcentis amore,
Prodire auſus ſum, atq; iocis ad tempus abuti, &c.

In hoc autem exordio, et alibi ſæpe, quur Nugarū mentionem

tionẽ faciã, dicã tibi cùm unà erimus. Deniq;, cùm illa ſeria (ſi qua libris meis admixta ſunt) uel nugis ipſis ineptiora tuo iudicio fore ſignifico, fœdoq́; loco digniora: uerſus ac locos omneis excipi uolo, in quibus de Deo ac ſeruatore noſtro CHRISTO, *deq́; religionis noſtræ cultu piè aliquid tractaſſe uideri poßim. Nam preces, hymnos, odas, & id genus alia in honorem Dei, cuiuſmodi me feciſſe multa gratulor, facturumq́; ſpero, quis niſi furioſus, maloq́; genio percitus, nugas dixerit? Tota ſylua iocoſa eſt, ac plena facetiarũ: continetq́; uerſus mille & quingentos. eam ſimul atq; famulus meus deſcripſerit, ad te mittã. Crepabis riſu (ſcio) inter legendũ. Sed quãdo erit, ut noſtro more, hoc eſt, adfatim, unà rideamus? Cùm Deo uidebitur. Equidem exiſtimo multò minus offendi Deum ſalſo et honeſto riſu, quàm iſtorum* Δεισιδαιμόνων *triſti ſupercilio. Ne te uerbis nimium morer, crede mihi, Franciſce iuuenis ornatißime, quum omnis (ſecundum Deũ) ſpes mea in te & Carolo fratre tuo ſita ſit, nullũ facio de uobis cogitãdi finem. Quare, ſi me amatis, et ſaluũ uultis, quod profectò facitis, date operam, ut uos ipſos quoq; mihi ſaluos cõſeruetis. Vale, imò ualete, duo lumina mea. Vandoperæ, qui uicus mihi natale ſolum eſt, in Lingonib. Anno domini Chriſti* M. D. XXXVIII.

NICOLAI BOR BONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis Nugarum liber quartus.

Ad Franciſcum Pucrium. CAR. I.

DICO *uale curis, Pucri, & ſpero omnia læta,*
Si modò promiſsi tu memor eſſe uelis.
Muſarum domino, & patrono, & honeſta petenti
Quid tibi communis noſtra negabit hera?
Noſtra hera, qua melior ſub cœlo fœmina non eſt:
Quaq; refert melius fœmina nulla Deam.

In uerſificatorē maledicū & impiū. CAR. II.

Non Muſæ, ſet te Furiæ fecere poëtam:
Qui probris homines afficis, atq; Deos.
Et tua ais bellè fluere omnia carmina, & aptè:
At non illa fluunt, ſet furioſa ruunt.

De G. Budæo. CAR. III.

Hæc eo anno ſcribebantur, quo Franciſcus Rex noſter ab Hiſpania rediit, nempe Anno Chriſti domini M. D. XXV.

Vt pater omnipotens hominum obbruteſcere mentes
Vidit, & in mores degenerare feros:

Pallada turbato diſcedere iuſsit ab orbe,
Corrigeret populi dum malefacta ſui.
Mox orbem omne genus, facto uelut agmine, morbi
Inuadunt, paſsim corpora peſte cadunt.
Regibus interea diſcordibus, omnia bello
Miſcentur, fuſo terra cruore rubet:
Non ſecus ac ſegetem cùm flamma furentibus Auſtris
Incidit, ac totos depopulatur agros.
Hinc monſtrum, peiusq́; malũ irrepſiſſe fatendum eſt,
Barbariem, quæ nunc dat moritura manus:
Nam calamo arrepto, tam ſæuam contudit hydram
BVDAEVS: *quo nil clarius orbis habet.*
Excitat hic homines lingua facundus utraq́;,
Euocat à uitijs, erudit, atq́; polit:
Verus ut interpres diuûm præſtantior Orpheo:
Saxa licet cantu traxerit ille ſuo.
Ecce bonæ redeunt artes, redeunte Minerua,
Placato redeunt omnia læta Deo:
Redditus Heſperijs nobis Franciſcus *ab oris,*
Rex noſter, doctis doctus & ipſe, fauet.
Quid reſtat, placidi niſi dona agnoſcere cœli?
Inq́; data reliquos uiuere pace dies?

In Venerem & Cupidinem.

CAR. IIII.

Aligeri accepto crudeli uulnere nati,
Sic ait ingenti uicta dolore Venus:
Si facis hoc, quid erit puer hoſtibus impie noſtris?
Tot monachis quid erit, uirginibusq́; ſacris?

Qui

Qui ſeruaturos ſe iurauere pudorem
Perpetuum, nec te, nec tua tela timent?
Contrà Amor: O mater, ne ſæui, uruntur & illi:
Et ſenſere meas oſſa per ima faces:
Vruntur grauius, quàm quos cõnubia iungunt:
Set furtim coëunt, & ſua furta tegunt.

Lod. Dintauilli nobiliſs. adoleſcentis epitaph. CAR. V.

Qui Dintauillæ flos gentis, Amice, fuiſti,
Iunior & nobis: hic, Lodoice, iaces.
At nos te ſequimur, fontemq́; ſitimus eundem
CHRISTVM, *quem pleno nunc bibis ore ſatur.*

Ad Carolum Caluum Iulioduneñ. Io. Bellai Card. à ſecretis, uirum candidiſsimum. Virtus laudatur.

CAR. VI.

Nemo opibus felix: nam rerum copia tandem,
Quamuis adſiduo parta labore, perit.
Perduntur ſenio uires, & gratia formæ
Effluit, & morbi membra dolore premunt:
Vix bene momento manet illecebroſa uoluptas,
Et fugiens ſtabilem neſcit habere gradum.
Inclyta ſet Virtus animum perfectius ornat,
Perſtat, & auferri mente repoſta nequit.
Virtus eſt ſenij ignara, & poſt fata ſuperſtes
Durat, & ad cœlum præuia pandit iter:
Nempe, Dei donum, Virtus felicitat una:
Poſt cineres Virtus uiuere ſola facit.

E Græco τοῦ Σαμίου. CAR. VII.

Pulchra tibi Venus eſt uxor,natuſq; Cupido,
Mulciber eſt nomen:claudus es,atq; faber.
Si poſſes Martem æternis conſtringere uinclis,
Triſtibus à bellis omnia tuta forent.
Set tibi Mars non eſt tentandus:fortior ille eſt:
Illum non potis es uincere,nempe deum.
Aggredere uxorem potius,natumq́; proteruum,
Vrit uterq; homines,urit uterq; Deos.
Qui uidet utrumuis,mox cæco flagrat amore,
Ni cor ſit ferro durius,aut chalybe.
Quòd niſi ſolerter flammas reſtinxeris iſtas,
Hoc mundi præſtans igne liqueſcet opus:
Ardebunt fluuij,tellusq́;,& pontus,& æther:
Omnia conſumptis omnibus,ignis erunt.

In ſeipſum & Cæliam. CAR. VIII.

Te quoties animi cauſſa,mea Cælia, uiſo,
Cælia cœleſti nomine digna tuo:
Obuia procedens hilari me ſuſcipis ore,
Oſcula das dulci dulcia melle magis:
Mox mea diuino demulces pectora cantu,
Et tangis docta fila canora manu.
Hîc mihi Threicium uatem ſuperare uideris,
Quem mouiſſe feras,robora,ſaxa,ferunt.
Intereà famulæ comites,puerìq; comati,
Adponunt ceraſos,cruſtula,mora,nuces,
Punica mala,& quæ citrea & granata uocantur,
Vitreaq́; antiquo pocula plena mero:

Hinc

Hinc ubi ſat bibitum,ridentes itur in hortos:
Luditur in uiridi,gramineoq́; loco.
Tum mihi non uideor mortalis,ſet Deus eſſe,
In gremio fuſus,Cælia diua,tuo.
Diſperéam,ſi tunc quàm te,mea Cælia,mallem
Pactôlos,Tmôlos,auriferosq́; Tagos.
Ludimus,& nobis noceat ne Sirius ardor,
Implicitos denſis frondibus,umbra tegit.
Inuideat nobis hæc gaudia Iuppiter,ipſe
Inuidiam,uincens omnia,uincet Amor.

De Eraſmo Roterod. CAR. IX.

Dircæum referens cygnum,Linon,Orphea, Phœbũ,
Quem non uoce tua,dulcis Eraſme,capis?
Allicis,& flectis,rapis,& fera pectora mulces:
Nil mortale,melos quod modularis,habet.
Deterres homines duros à Marte cruento,
Duritiem morum,barbariemq́; domas:
Humanis ornas ſtudijs,formasq́; iuuentam,
Hortaris tremulos ad meliora ſenes:
Præſtigias aboles ueterum,cultumq́; Deorum,
Et ſternis ueræ relligionis iter:
Et retegens hominum,fraudesq́;,dolosq́; malorum,
Ad præcepta Dei nos ueneranda uocas:
Virtutem ac pacem inſtillas,cœleſtia dona,
Vnde ſalus,quæ ſit uita beata,doces.
Tam ferus eſt nemo,quem non tua dictio frangat,
Nam fluit à labris ſuada medulla tuis.

Scripta

Scripta tua oſtendũt, quàm ſit uir amandus Eraſmus,
Nempe trahis quercus, flumina, ſaxa, feras.
Tanta pater ſummus qui per te monſtra ſubegit,
Ingenio nunquam deſit, Eraſme, *tuo.*

De ſomnio ſuo, ad Carolum Pucrium adoleſcentem candidiſs. CAR. X.

Fortè fatigatum ſtudio me nuper habebat,
Qui nouat ingenium, feſſaq; membra, ſopor.
Ecce meas uarijs mulcentes cantibus aures
Apparent Phœbus, Pieridesq; nouem.
Illic (inquam) unà Phœbus, Muſæq; canebant:
O mihi nox miſero quàm breuis illa fuit.
Priſca recenſebat geſta atq; recentia Clio,
Euterpes calamis nobile carmen erat:
Terpſichore fidibus mulcebat corda ſonoris,
Laſciuosq; dabat blanda Thalia iocos:
Monſtrabat terras Eratò, mare, flumina, regna:
Melpomene tragicum mœſta canebat opus:
Suada Polymneias manabat ab ore rotundo,
Vrania cœli ſignificabat iter.
Calliope heroum pugnas, & facta tonabat,
Calliope, ſacri gloria prima chori.
Pulſabat Phœbus Cyllenia pectine dona,
Spectandus longa, compoſitaq; coma.
Hic mihi ſum uiſus ſaltantia ſaxa uidere,
Et fluuios curſum continuiſſe ſuum:
Inflecti quercus, ſæuasq; adcurrere tigres:
Ibat apro uulpes, & comes agna lupo.

At

At me non procul hinc latitantem, & cuncta notantẽ,
Aſpicit ante alias pulchra Thalia Deas:
Acceſsit, roſeiſq; dedit mihi baſia labris,
Et fronti impoſuit laurea ſerta meæ:
Mox fugit, & tenueis abijt chorus omnis in auras,
Impleuitq; ſequens aëra mirus odor.
A ſomno, uideo falſa hæc ſimulachra fuiſſe,
Quàm miſer, & quàm ſim pauper, ut antè fui.
Set ualeant Muſæ, ualeatq; comatus Apollo:
CHRISTVS adeſt, animi ſpes, requieſq; mei:
Hic ſolus, curaſq; meas, longoſq; labores,
Finiet, & uitæ tædia longa meæ.

E Græco ἀδεσπότου ἢ Παλλαδᾶ. CAR. XI.

Mularum uitam uiuit miſer Artemidôrus:
Inſumit, numerans milia multa, nihil.
Sæpe ferunt dorſo magna auri pondera mulæ,
Quæ miſerè uiuunt, fœnaq; ſemper edunt.

In quendam ψευδομόναχον, ad Matthæũ Vauxellum Lugdun.

CAR. XII.

Nuper, ut ingenio ſtudiorum mole grauato,
Conſulerem, quando reſq;, locuſq;, dabant:
Viſebam ſacras, illuni nocte, puellas,
Quas mihi non turpis conciliarat amor:
Nam mecum puero illæ hybernis noctibus eſſe
Gaudebant, caſtos & memorare iocos:
Noſter diuinis de rebus ſermo fluebat,
De CHRISTO, precibus, relligione, fide.

At monachus quidam, non tali nomine dignus,
Infeſtat nunc me, uirgineamq́; domum:
Diues, & egregiè linguax, & fallere doctus,
Et bene curata, compoſitaq́; cute.
Is mihi, ſi redeam, colaphos, & flagra minatur,
Deprendi metuens, ſeq́;, ſuumq́; ſcelus:
Quin Euangelion CHRISTI *negat eſſe legendum*
Virginibus: monachus ſic meus ille ſapit:
Et nunc cum teneris cantat, luditq́; puellis:
Cætera non dicam: Muſa pudica mea eſt.

Ad Maſsilianum amicum. CAR. XIII.

Quum uirtute tuum referas, atq; ore, parentem,
Dulce decus Muſæ, Maßiliane, meæ:
Gratulor hoc nobis, nihil amplius eſſe quod optem:
Perge modò: nam ſic itur ad aſtra, puer.

Amor cæcutiens, ad Ioan. Ræneriū, è Græco Samij.

CAR. XIIII.

Non adeò formoſus erat quem paſtor Alexin
Ardebat, ſet erat tam uiolentus amor:
Hippolytum multi ſuperabant munere formæ,
Set fuit immiti percita Phædra face.
Quur Veneri anteferunt Iunonē, & Pallada, multi?
Cæcus erat iudex, & rudis, ille Paris.
Paſtor, & agreſtis Ganymedes, paruus, & infans,
Stat tamen à cyatho, delitijsq́; Ioui:
Tartareo quondam placuit Proſerpina regi:
Illa tamen formæ uix mediocris erat.

Paſiphaë horrendum mugitu,& lumine,Taurum
Arſit,& hunc (demens fœmina) paſſa uirum eſt.
Quid moror exemplis? nemo non errat amantum,
Qui ſoleat pulchrum ducere,quicquid amat.
Simia deformeis fœtus miratur,amatq;,
Ac ſibi perſuadet pulchrius eſſe nihil:
Nimirum,eſt quod nos puer admonet ignifer ille,
Qui uelata gerit lumina,pictus amor.

E Græco τοῦ αὐτοῦ, mater ad filium.

CAR. XV.

Da mihi baſiolum,puer auree,quale petenti
Depoſita Veneri dat face, lætus Amor.

In inuidum è Græco πολιτιανοῦ.

CAR. XVI.

Te quoties uiſo, χαῖρε ô,mihi dicis,amice:
At uerbum hoc noui quid ſibi dulce uelit:
Nam tu me nec amas,nec uis ſaluum inuidus eſſe:
χαῖρε habet hoc ſiquidem ſignificata duo:
Saluere ut χαίρειν dicatur,idemq; perire:
Χαῖρε igitur dico prorſus,amice,tibi.

Εἰς τὴν ῥώμην è Græco Σαμίκ. CAR. XVII.

Quæq; ſuos fructus regio mortalibus adfert:
Tot proprias dotes,quot loca,mundus habet.
Felix Indus ebur,mollis dat thura Sabæus,
Vellera Ser,præbet nobile Belna merum:
Diues Arabs guttam,& caſiam,Chaldæus amômum,
Aſſyrius gemmas,ferreus arma Chalybs:

Sar-

Sardinia argentum,pecuaria Gallus,& aurum
Lydus,frumentum dant Libes,Argos equos:
Fœcundas Epirus equas,oleum Lacedæmon,
Mel Attis,ficus Maſsilienſis ager:
Heſperij naues,oſtrum Tyros,æra Corinthos,
Venales uenias Rhoma,pioſq; dolos.

In Podagram, fermè è Græco
ἀδεσπότου. CAR. XVIII.

Cõtemptrix inopum,domitrixq; Podagra potentum,
Viuere prælautis ingenioſa modis:
Tu pedibus nitens aliorum incedis,& armis
Cincta:tibi curæ eſt & precioſus odor:
Belnenſi gaudes Baccho, & frondente corona:
In lare non fieri pauperis iſta queunt:
Quare & diuitibus teipſam,& tibi iungis eorum
Delitias:inopum limina dura fugis.

In quempiam B.pro V. conſonante
proferentem. CAR. XIX.

Quidam ſuauis homo,cùm nos hortatur amicos
Viuere,non dicit Viuite,ſet,Bibite.

In natalem domini Chriſti,ad C.
Hemardium Card.
CAR. XX.

Sol hodie mundo cunctis præclarior aſtris
Exoritur CHRISTVS,*diuina luce coruſcans:*
Ecce Palæſtini quem præcinuere Prophetæ,
Filius ille Dei,caſto de uirginis aluo
Factus homo egreditur:procul ô uos ite profani,

Ite procul famoſa iuuant quos numina ſtupris,
Qui ſceleratorum colitis ſimulachra Deorum,
Qui regem & dominum, cœlo, terraq́; potentem
Creditis eſſe Iouem, atq; immittere fulmina terris.
Verus adeſt dominus cœli, terræq́;, mariſq́;,
Subdita cui paret tam uaſti machina mundi:
Hic hominem induere, & moribundũ ſumere corpus
Verſariq́; homines inter, Deus, atq; malorum
Flagra pati, inuidiamq́; ſuæ, & ludibria gentis,
Horrendamq́; crucem, uoluit: noſtramq́; necauit
Morte ſua mortem, ſummo hoſtia grata parenti.
Surgite mortales, uos, qui dormitis: & almum
Hunc animis ueſtris ſinite illuceſcere ſolem.

Ad Daneſium uirum doctiſs. CAR. XXI.

Redditus quando mihi ſum, Daneſi, &
In ſtatum uitæ redij prioris,
Omnibus poſthac ſtatui ſolutus
Viuere curis.
Vſq; iactatus uarijs periclis
Seculi, tanquam Pelagi procellis,
Nunc bonis tandem ſuperis, in ipſo
Nauigo portu.
Illa ſcis quo me Dea cæca telo
Vrſit incautum iuuenem tot annos:
Set, Deo tandem miſerante, per te
Viuere cœpi.
Nunc tibi dignas ſuperiſq́; grates
Haud opis noſtræ fuerit referre:

Aſt

Aſt agam uerbis, & habebo, donec
Vita manebit.

De Gilb. Ducherio, & Ant. Auguſto amicis. CAR. XXII.

Viuamus: genialis hic dies eſt,
Clamat Ducherius: ſet hunc libenter
Auguſtus meus audiens, ut (inquit)
Viuamus, genialiter bibamus.

Ant. Auguſto Aruerno. CAR. XXIII.

Vt tibi ſatſfacerem, ſtudui, te iudice: quòd ſi
Non potui, at uolui: ſit uoluiſſe ſatis.

Ad Daneſium. CAR. XXIIII.

Artifices norunt libros qui cudere formis,
Quos hodie, ingenijs Gallia diues, habet,
Si numerare uelim, numerare uidebor arenam,
Stellarumq; poli quicquid in orbe micat.
Inter tot tamen inſigneis, eſt unus & alter,
Quo nihil eſt quod amem, ſuſpiciamúe magis:
Set mihi de facie miſero eſt ignotus uterq;,
Ardeo qui iungi pectus utriq; meum.
Per muſas obſecro, faue mihi, docte Daneſi,
Meq; uelis tantis conciliare uiris:
Vnum te meritò tanti facit alter & alter,
Nil planè ut ſperem poſſe negare tibi.
Ipſe tibi Stephanus meritò debere fatetur
Omnia, pro oraclo te ſocer eius habet.
Quod peto, uel uerbo poteris præſtare, Daneſi,
Mox referam grates: nec referam, ſet agam.

Ad Iulianũ H. doctiſs. iuuenem.

CAR. XXV.

Inſigni impietate Cæſar olim,
Infandum caput, ille Iulianus,
Infamarat & inquinarat iſtud
Nomen, bellua non homo, omniumq́;
Dignum fecerat execratione:
At tu relligione, caſtitate,
Candore, ingenio, eruditione,
Lingua, & moribus, & fide, & lepôre
Ornatus iuuenis, Deoq́; plenus,
Præclarumq́; nouem decus ſororum,
Iſtud nomen, amabile, & uerendum,
Aeternumq́; tibi ipſe reddidiſti:
O' nunc nobile, Iuliane, nomen.

D. Henrico Lautreco inclyto puero. CAR. XXVI.

Si dexteram Deus tuam ſeruauerit,
Quis Galliæ hoſtis mucronem expectet tuum?

Steph. Piloſtio. CAR. XXVII.

Deſine me dictis toties urgere, Piloſti,
Et uelle à Domina me reuocare mea.
Is ſum, cui teneros Cytherea afflauit amores,
Sarcina prægnantis cùm genetricis eram:
Quid faceres? At tempus erit quo ſaucius ipſe
Aligeri flammas experiere Dei:
Et iuuenis licet, & multa ſis inclytus arte,
Sis grauis orator, ſisq́; poëta licet,

Non tamen effugies inuicti numen Amoris,
Mitior, & ueniam tu mihi (ſpero) dabis.

Ad Baptiſtam Salazarium.

CAR. XXVIII.

Quid tibi uis? qui me immodicis tot laudibus ornans,
Atq; onerans, Nugas tollis ad aſtra meas?
Crede mihi, melior me ſis nugator oportet,
Cùm cudis Nugas ipſe, legisq́; meas.

Io. Gallo condiſcipulo.

CAR. XXIX.

Dulcia quæ nobis Deus ocia fecit, agamus,
Mi Galle: & curas pectore pelle graueis:
Viuamus, quò ſe magis ac magis impius urat
Liuor, & huic rodat uiſcera noſter amor.

Ad Simonem Gryneum.

CAR. XXX.

Dum meditor, ſtudioq́; omni contendo, uocatis
Muſis, Gryneo carmina digna dare:
Vna atq; altera lux abijt: nam ſemina arenæ
Mando, & inutilibus littora bobus aro.
Hoc indignatus, totum intermitto laborem,
Quòd nequeam uoti compos abire mei.
Tum mihi Calliope: fruſtra contendis ad illud,
Cui meus ipſe chorus non queat eſſe ſatis.
Gryneum ingenij, & linguarum munere, clarum,
Dotibus implerunt Pallas, Apollo, ſuis:
Maius opus Virtus feciſſe uidetur in illo,
Talibus ornatum uendicat una ſibi.

De Lodouico Carino Heluetio, & Michaële Vaſcoſano eius hoſpite.

CAR. XXXI.

O' laus Heluetiæ, Carine, gentis:
Quo nunc Gallia noſtra ſic ſuperbit,
Vt quondam Hercule: lingua cuius aures
Præſtrinxit populi, aurea catena.
O' felix ego, cui uidere nuper
Talem contigit & uirum oſculari.
Felix ille etiam, nimiſq; felix
Vaſcoſanus, amicus ille noſter,
Cuius nunc agis in domo, Carine:
O' lux Heluetiæ, Carine, gentis.

Ad Libellum ſuum.

CAR. XXXII.

Quid properas miſer in lucem prodire, libelle?
Sic perit indicio muſculus ipſe ſuo:
In uulgum ſic ire nefas: deſiſte uideri
Velle: piget patrio credere conſilio?
Te caſtigandum doctis prius auribus offer
Tuſani, Muſæ quo ſibi rege placent:
Nil humanius eſt, ut qui cum ludere poſsis:
Vt multis placeas, huic placuiſſe ſat eſt.
Non tibi plus Muſæ uel Phœbi oracula proſint,
Iudicium tanti quàm ſubijſſe uiri:
Conſule Tuſanum, mox toto nobilis orbe
Fies: ſeq; dolens liuor iniquus edet.

Iacobi Carmolei Quæſtoris epitaphion. CAR. XXXIII.

Naſcitur omnis homo natura filius iræ,
Peccatiq; hæres, exilijq; reus:
Nam concepto homini culpa eſt genitricis in aluo,
Mox etiam natum pœna, dolorq; manent.
Finis Mors: ſic ſunt hominis uana omnia, præter
Quàm cui diuino pectus amore calet.
Qui moritur CHRISTO, *uiuit: qui uiuit in illo,*
Non moritur: nõ eſt Mors, ubi CHRISTVS *adeſt.*
Carmoleos hic talis erat, quem Gallia luget
Quæſtorem, & tanto mœret ut orba uiro.

Ad Muſam. CAR. XXXIIII.

Muſa quur ſic me puerum fatigas,
Tandiu lactans, remoransq; Nugis?
Obſecro ceſſa: ſine mens parumper
Feſſa quieſcat.
Dum libros Græcos lego, dum Latinos,
Dum ſacros uates auidè reuoluo:
Tanta non poſſunt humeri ſubire
Pondera noſtri.
Ditior mecum grauiorq; forſan
Inde mox priſcis opibus redibis:
Nempe, cùm Graio feriam ſonanteis
Pectine chordas.
Tunc nihil uentos metuam minaces,
Tutus à cunctis (duce te) procellis:

Nil datis uaſtum dubitabo uelis
Ire per æquor.

Ad Rubellam. CAR. XXXV.

Quamuis dura mihi, quamuis ſis ferrea uirgo,
Σε τρίψει ποτ᾽ Ἔρως πανδαμάτωρ ὁ θεός.

Ad Lud. Viuē, uirū eruditiſs. CAR. XXXVI.

Ingenium, corpus, mores, facundia, candor,
Et ſtylus, inuicto quo uelut enſe, uales:
Hæc precioſa ut ſint, tamen iſto nomine Viues,
Nil tibi te dignum fata dedere magis.

Ad Gul. Budæum. CAR. XXXVII.

O quo clara hodie uiro ſuperbit,
O Budæe, Lutetia, atq; alumno:
Facundiſsime uir, decus bonarum &
Interpres, columenq; literarum:
Quid dicam miſer? aut tibi quid iſtis
Dignum dotibus adferam? tuisq;
In doctos inopes, & immerentem
Erga me meritis? ſilere præſtat,
Quàm ut culpa ingenij, tot, atq; tantas
Laudes, deterere arguamur iſtas.
O quo clara Lutetia, atq; alumno,
O quo Gallia iure gloriatur.

Ad puerum plorantem. CAR. XXXVIII.

Τί κλαίεις; φίλε παῖ χ᾽ οὕτως ἀπολεῖς καλὸν εἶδος;
Καὶ σαυτὸν λυπεῖς; καί σε γέροντα ποιεῖς;

Catulli imitatio. CAR. XXXIX.

Gaudete ô Veneres, Cupidinesq;,

Et

Et quantum eſt hominum politiorum:
Niſus Victor adeſt meæ Rubellæ,
Niſus delitiæ meæ Rubellæ,
Quem plus diligit hæc ſuis ocellis.
Niſus, qui inter aues uenuſtioreis
Tantò nobiliorq́;, pulchriorq́;,
Quantò noſtra alias Rubella nymphas
Et uultu anteit, & nigris ocellis:
Niſus, qui dominam uiciſſim ita ardet,
Vt, quantum eſt hominum, nihil uel unus
Vnam hanc præter, amet: mihi (inquam) amatam
Tantum diligit, ipſam ego hanc Rubellam
Quantum ſolus amo. Set unde Niſus
Victor? De teneræ manu Rubellæ:
Hanc circumſiliens, modò huc, modò illuc,
Ad prædam celer, ora per uirorum,
Me ſpectante, abijt: mihi uoluptas
O ingens mea, cuius ardor iſte eſt:
Primum molliculi caput columbi
Suauem eſcam ſibi negligit, Dione
(Credo) hac iuſſerat abſtinere præda:
Et quamcunq; puer trahit cohortem
Colludentium amiciter uolucrum,
Ab Niſi unguiculis potenter uncis
Intactam eſſe iubet: mane quietus
O laſciuule paſſer, ô puello
Charus grex auium ualens Amori:
Non hoſtiliter hic petit rapinam

De uobis,Dea uos tuetur ipſa:
Cui cordi nimis eſt Camœna dulcis,
Cantuſq́;,& domito ſalax pudore
Veſter ludus hic,ô manete tuti:
Non hoſtiliter hic petit rapinam
De uobis:Dea uos tuetur ipſa:
Nec ſola hæc:mea quin magis Rubella
Cui parent Veneres,Cupidineſq́;,
Sic Niſum edocuit:uidetis hoſtem ut
Scyllam inuadit atrox,feriſq́; inuncat
Abreptam pedibus? citiſq́; pennis
Sublimis liquida uolans ab æthra,
Hanc ſoli dominæ refert Rubellæ
Prædam uictor?Iô,Iô canamus.

Ad Terentiolum ſuum ἐν τῇ τῆς ἐπισολῆς ἐπιγραφῇ. CAR. XL.

Quàm leuiter ſcripta es,tam nunc feliciter ito,
Parua Terentiolo littera miſſa meo:
Et iuuenem ſaluere iube,doctoſq́; ſodaleis,
Quos habet à ſtudijs,delitijſq́; ſuis.
Si quæret quid agam,caſtis colludere Muſis,
Meq́; mea lætum uiuere ſorte,refer.

Ad Claud.Robertetum. CAR. XLI.

Dum tua Muſa meæ tendit ſua brachia,Claudi,
Res uenit haud ullis cognita temporibus.
Dumq́; illæ inter ſe uario ſermone fruuntur,
Doctrinæ exoritur pugna,& amicitiæ.

Vtraq́;

Vtraq; utriq; dedit uinci tum uincere:uicit
Nam tua,doctrina:ſet mea,amicitia.

Ad citharam, quam ad P. Corne-
lium ſuum remittit,
αὐτοσχεδίως. CAR. XLII.

Da mihi baſiolum,cithara hinc abitura,pudicum,
Cum Muſis ultrà non potes eſſe meis.
Iamq; uale,i felix, dominumq; reuiſe priorem,
τὴν κεφαλὴν θνηβῖς τ᾽ ἀθανάτοισι φίλῳ.

Ad lectorem nauſeantem. CAR. XLIII.

Paulò tibi uideor uerboſior:euge,ſis
Bono animo:poſthac ero ſuccinctior:Vale.

Ad Ludouicum Carinum.
CAR. XLIIII.

Non ſat habes nos ingenio ſuperare,Carine,
Linguisq;,& Muſæ dexteritate tuæ:
Set nunc officijs,& eis me uincere tentas
Muneribus,quæ uel principe digna putem.
Eſto,uiciſti,uiciſti talibus:at non
Abs te ut ſyncero uincar amore,feram.

Ad Ioannem Salazarium Archid.
Senonen. CAR. XLV.

En tibi Macrini mitto noua carmina,præſul,
Carmina quæ mira fertilitate fluunt:
Et quæ ſi Flacco numeroſo lecta fuiſſent,
Dixiſſet,Salue frater,& alter ego.
His modulis animum ſtudiorum pondere feſſum,
Hac ueluti cithara,te recreare potes.

interea

Interea hoc cape, dignum aliquid dum molior iſtis
Dotibus, ingenio, nomine, ſtirpe, domo.
Nec te pœniteat mihi commiſiſſe nepotem:
Talis erit, qualem (ſpero) uidere cupis.
Ore uerecundo eſt, & præditus indole rara,
In iuuene hoc uirtus mensq; ſenilis ineſt.
Tu modò perge mihi ſic te indulgere patronum,
Vt fiat meritis par mea Muſa tuis:
Nam mihi ſi Zephyrus tanquàm ſpiraris olori,
Prima Salazariæ gloria gentis eris.

D. Loyſæ matris regis, epitaphion.

CAR. XLVI.

Heus tu, hoc ſummiſſa carmen lege uoce, uiator:
Hic regis mater, Dia Loyſa, cubat:
Hanc ſtrepitu turbare caue: dormire putandum eſt,
Nempe Deam: & talem non potuiſſe mori.

PETRI ROSETI POETAE laureati in Ferrariam Nicolai Borbonij Diſtichon.

Aurum habeant alij, argentumq;, & rara metalla:
Borbonius ferrum cuderit ipſe, probo.

NICOLAI BORBONII VANdoperani Ferraria: *quam ſcripſit annum agens* XIIII. *ad illuſtriß. heroa Georgium à Quarlecoio Ricæi Toparchū.*

CARMEN. XLVII.

Nox hyemalis erat, denſis obſcura tenebris,
Aëre commoto, pluuioſaq; flantibus Auſtris.

Cum

Cùm deffeſſa ſopor mea membra profundus haberet:
Ecce mihi in ſomnis offert ſe Mulciber, atro
Terribilis uultu, uelut è fornace reuertens,
Perfuſus ſudore artus, ferrugine crinem,
Puluerea facie, atq; oculis flammantibus horrens:
Treis ſecum famulos, immania corpora, habebat,
Nudos membra, atq; unoculos, uulgóq; Cyclopas
Quondam appellatos: Steropes à fulgure, Brontes
A' tonitru, nomen ſortitur ab igne Pyragmon.
His comitatus erat, cùm me ſomno uſq; grauatum
Talibus increpuit: Puer (inquit) inique, patriſq;
Immemor & patriæ, quur tempus ſegniter iſtud
Conteris? et pulchrum ſine fructu prodigis æuum?
Et patris intereà retices nomenq;, decuſq;,
Ingeniumq; tui, fabros qui in pace gubernat,
Accingitq; ſuos ad opus, moderatur, alitq;
Prouidus, & gaudet ſua reddere præmia cuiq;:
Infelix, patrij quur non reminiſceris agri?
Vnde tibi hæc nemorum tam dira obliuio? quæ te
Aequaleiſq; ſimul toties, mixtaſq; puellas
Ludenteis habuere? omnis cum frondibus arbos
Luxuriat, uarijſq; adrident floribus agri?
Num fontem, & riuos per amœna uireta fluenteis,
Queis ſine tota tui patris Ferraria friget,
Num loca es oblitus, queis diuûm lumina gaudent?
Quæq; homines mage mirãtur, quàm Theſſala Tẽpe?
Quàm ſuum & Elyſium manes? clementia cœli
Illic tanta, & fertilitas, & copia rerum,

Siccine

Siccine contemnis patriam, patrioſq; penates,
Infelix puer? hæc Muſis digniſsima ſedes
Incelebris ſemper, ſemperq; ignota iacebit?
Audi agedum, quæ pauca tibi curanda relinquo:
Si ſapis, hæc memori mea pectore dicta reconde.
Eſt ſcribenda tibi Ferraria carmine, cunctis
Quò ferri ignaris ars innoteſcat habendi:
Ferri, inter tam multa metalla boniq;, maliq;,
Fructum & perniciem, uitam exitiumq; ferentis:
Quippe rudis tellus incultaq; ſcinditur illo,
Aptaq; fit ſegetes homini præbere quotannis:
Plantæq;, & uites, omni ſqualore reſecto,
Annua cum folijs iuueneſcunt dona ferentes:
Ferro ædes tolluntur, & aſpera ſaxa ſecantur:
Humanos omneis ferrum conducit ad uſus.
Illo etiam ad cædes hominum, & funebria bella,
Vindictamq;, & iter mortis præſentius atræ,
Vtimur, excuſſo tormentis, atq; lacertis,
Pennatoq; etiam: nullum non robore ferri
Patratur facinus, uis, ſtuprum, furta, rapinæ.
Nec tamen in culpa eſt ferrum, ſet cæca libido,
Impietasq; hominum inſignis, qui ſponte ruentes
In ſcelus omne, nouos aſtus, arteſq; nocendi
Inducunt, furijs genijſq; hortantibus atris.
Quòd ſi fortè neges nobis parere ſuperbus,
Noſti quid patrijs mea poſsit in ædibus ira,
Expertus ſatis es noſtrum dudum ipſe furorem
(Si memor es) tua cùm flamma bacchante, cremaui
Carmina,

Carmina, flagraruntq́; domus pia tecta paternæ
Funditus: atq; ubi nunc Ferraria, creſceret herba,
Ni pius ætherei uetuiſſet rector Olympi,
Deuictus lachrymisq́; tuis, & amore parentis.
Audiſtin' quæ te iandudum ſcire uolebam?
Dixit, & in denſas noctis ſe condidit umbras
Cum famulis. Animo fuerant quæ dicta uoluto,
Attonitus tanto monitu, & parere iubenti
Conſtitui, idq́; hodie: neq; enim rem longius iſtam
Differri patiar: non quòd tua, Mulciber, arma
Vel tonitrum metuam, tempeſtatesq́; ſonoras:
At quia ſopitum iuuat hoc recreare parumper
Ingenium, & me tollere humo, atq; adſueſcere Muſis,
Et puerilem animum inflammare, & ludere uerſu:
Accingor. Tu ſumme faue pater optime rerum,
Qui ſolus potis es nutu, imperioq́; fauere,
Nempe Deus: puero uires, mentemq́; miniſtra.
Vandoperæ locus eſt, cuius Ferraria nomen,
Incumbens Barſæ fluuio, ſeptusq́; uiretis,
Haud procul à turri, quam quondam Vandala pubes
Struxit, ut hiſtoriæ & ueterum monimenta loquuntur:
Hinc & Vandoperæ facta adpellatio terræ,
Lingonicos inter fines non laude carentis:
Hic noſtra eſt (inquam) Ferraria: præſidet illi
Borbonius genitor, pia quem mihi numina ſeruent:
Is primùm perquirit eos, qui cædere ligna,
Et ſudare diu, & norunt uibrare ſecurim:
Conducti in ſyluam ueniunt: hic fiſſile robur

Diuiditur cuneis, acer, ornus, fraxinus, ilex,
Et picea, & fagus ueterum altrix: ingemit Echo
Per ſyluam, ſtruibus latè loca plena tumeſcunt.
Qui uerò catus eſt lignator, quercubus omnis
Abſtinet, & larice indomita, buxóq; rebelli:
Quandoquidem his carbo ſemper fit inutilis, & qui
Accenſus crepitat, lauri inſtar, & exilit ardens,
Mox moritur, frigeſcit opus, faber æſtuat ira.
Poſtquàm magna ſatis lignorum copia uiſa eſt,
Eſt gens ſylueſtris, tenuisq;, & paupere cultu,
Sorte ſua contenta tamen, patiensq; laborum:
Hi quadam quaſi cenſura, ac ratione, recenſent
Lignatoris opus, ſeriatimq; omnia luſtrant,
Et numero accipiunt, ne uel fallantur in ipſo
Reddendo carbone patri, ne uel pater illis
Plus pendat, quàm ſint meriti: dein quiſq; patentum
Veſtigat ſedem, prorſumq; humore carentem.
Nam bene non coquitur carbo tellure in aquoſa.
Set fugit in cineres: quò fit ſibi ſumma locorum
Eligat ut prudens, ſua ſicco deniq; credat
Ligna ſolo: qui deinde pyram lateq; patentem
Congeriem ſtruit, & patula radice rotundam,
Culmine pyramidi ſimilem: mox fronde uirenti
Faginea, quernaq; tegit, cineresq; nigranteis
Et pingues ſpargit, nec tum obruta ligna pateſcunt.
Atq; ubi tempus adeſt, quo uult immittere flammam,
Rima latet ſubter certa atq; anguſta, ſubeſtq;
Hac iter in medium ſtruis, atq; hac mittitur ignis.

Mox

Mox iterum rima hæc folijs,terraq; tenaci,
Vndiq; ſtypatur:uento uia nulla,nec auræ
Linquitur,ipſe intus fruſtra permurmurat ignis
Aëra diſquirens,magnoq; fragore minatur.
Hinc ſimul erumpunt tanta caligine fumi,
Tam graue ſpirantes,quàm qui de faucibus Orci
Aut illi,quos(ut fama eſt) perterritus olim
Miſit in Alcidem Cacus, Vulcania proles,
Raptor Auentino iamiam moriturus in antro.
Huic operi ſeptem ſoles,totidemq; neceſſe eſt
Impendat noctes uigilans,imbresq; futuros
Præcaueat,flatusq; Auſtri,cœliq; figuram
Obſeruet,Pliadasq;:nihil pigra plauſtra Bootis
Hunc fallunt,nihil hunc fallit nimboſus Orion:
Inſtabilem Lunæ faciem percallet ad unguem.
Interea coquitur carbo,ipſe ſubinde quieſcit
Carbonarius:hunc coniunx,ubi Martius ales
Præcinuit lucem,uiſit,ſoletur ut ægrum:
Alliaq;,& cæpas adfert,oleumq;,ſalemq;
Atq; cadum uilli plenum,pinguemq; ſuillam.
Hæc etiam noctes aliquot pleruncq; marito
Cum feſſo uigilat,nec pernoctare grauatur
Vnà,pulmentumq; coquens,renouansq; cubile,
Euerrensq; caſam (hanc humilem ſibi ſtrauerat ante)
Hanc habitat lætus, læta cum coniuge,& illic
Cœnitat: à cœna fabellas audit,& utrem
Inflat,prærudibusq; modos integrat agreſteis
Articulis:ſtupefactarum tum denſa ferarum

Agmina conueniunt, hominemq; audire canentem
Syluestrem Muſam (dictu mirabile) gaudent:
Capreoli, ceruiq; leues, damæq; fugaces,
Raptoresq; lupi, uillisq; horrentibus urſi,
Et uulpes, curuisq; timendi dentibus apri,
Arrectis omnes mirabundæ auribus aſtant,
Concordesq; feræ, & cantu fera pectora mulcent.
Vt quondam leniſſe tigres Rhodopeius Orpheus,
Amphionúe ſono blandæ teſtudinis olim
Dicitur, & lapides duxiſſe in mœnia duros.
Quin etiam nigris cùm pallet nubibus aër,
Cùm tenebris media obſcuris in nocte perhorret
Telluris facies, tunc exaudire luporum
Cæcorum rabiem ſolet, & diros ululatus.
Deniq; ramatim uolitant lugubre canẽtes
Fœdæ & lucifugæ uolucres, ſtriduntq; per umbram:
Ille nihil motus, comprenſa lampade, diuos
Inuocat, & ſanctũ CHRISTI *ſuper omnia nomen,*
Aggrediturq; feras: fugiunt, perq; inuia luſtra
Attonitæ ſua tecta petunt, notasq; cauernas.
Quid memorem foſſas & retia, ſe quibus ille,
Cùm libet, exercet? ceruus ſe hîc implicat, illic
Incidit in foßam uulpes malè uafra, lupusq;
Pernicies ouium, æternus paſtoribus hoſtis.
Quid modulos auium dicam, quos tempore uerno
Audire eſt operæprecium? Philomela ſerenam
Flet noctem, quosq; implumeis manus aſpera nido
Abſtraxit, queritur fœtus, & flebile carmen

Integrat, & mœſtis implet nemus omne querelis.
O felix uulgus nimium, ſua ſi bona norit,
Aerumnasq; graues animo tolerauerit æquo.
O uulgus fucis longè felicius illis,
Qui nos compilant, & quos immanis habendi
Eſt amor argenti, quos mundi gloria uexat,
Qui ſibi perſuadent nil non impunè licere,
Qui ſpernunt inopes, qui CHRISTI *numina ridēt:*
O gens, ô cunctis Erebi digniſſima pœnis:
Quid noſtro hoc ſeclo, quid tempore ſpurcius iſto?
Nempe gregem ſumma debent qui paſcere cura,
Doctrinaq; decet quos prælucere popello,
Ii uerum ignorant, uiolant, gaudentq; rapinis:
Egregiè imponunt nobis, animalia uentris,
Et portenta hominum: qui fœdo maſcula miſcent
Corpora concubitu, & uetitis complexibus ardent:
Quis dormire Orcum dubitet, qui talia monſtra
Non uoret? ô homines, ô ſors, ô tempora noſtra,
O ſeclum, infelix ſeclum, ô lachrymabilis ætas
Ferrea, uel ferro peior, quia durior ipſo.
Quò rapior demens? quò me furor impulit? ad rem
Vt redeam: ſeptem interiectis carbo diebus
Percoctus trahitur, fumusq;, ignisq; reſidunt:
Tum pyra detegitur raſtris, mutata uideres
Ligna, ut quæ fuerant paulò prius humida & alba,
Arida & atra patent, nec ſunt tamen igne minuta,
Tanta manent, ſolumq; nouum ſortita colorem,
Ingeniumq; nouum: ſupereſt auriga repentè

Adcurrat(nam carboni nocet imber)equisq́;
Adiunctis plauſtro,uectet ſub tecta fabrorum.
De carbone ſatis:nunc de foſſoribus ordo
Poſtulat ut dicam:ſet quæ puer ipſe notaui.
Ii ſunt qui cura multa,multoq́; labore
Materiem ferri effodiunt,& uiſcera terræ
Ictibus inuadunt crebris,uenasq́; requirunt
Abſtruſas,tornoq́; trahunt,& fune ſub auras.
Quod ſi fortè roges,quî poßim ſcire uidendo
Materiem,quæ terra habeat,ferriq́; fodinam
Contineat:norunt pueri,nouere bubulci,
Indicat ipſa ſoli facies ſubrufa, nec uſquam
Tam regio infelix,ferrum quæ non ferat,ulla eſt.
At quæ materies ſolita eſt excellere,diſce.
Pondere quæ grauis eſt,fuluumq́; imitata colorem
Emicat,hæc certa eſt,hæc rarò fuſa fefellit:
Hinc tibi fertilitas ferri promittitur ingens.
Quæ uerò leuis eſt pallensq́;,abſumitur igni
Perſimilis limo,& fornaci congerit atram
Colluuiem,miſſa fruſtra de follibus aura.
Deniq; materies omnis de more lauanda eſt,
Et quæ craſſa nimis,quæq́; indigeſta uidetur,
Subijcitur prunis,coquitur, contuſa minutim
Abluitur lymphis apto currentibus alueo:
Hinc ad fornacis radicem & limina fertur.
Quadrata eſt ingens Barſæ prope fluminis undam
Infabricata quidem moles,quam nomine dicunt
Fornacem,ſtructa eſt ſaxis uulgaribus:intus
Sunt

Sunt ſilices duri, quibus eſt mirabile robur,
Viſq; reſiſtendi flabris, igniq; uoraci:
Hic gemini folles à tergo immania ſpirant
Terga boum, uibrante rota, quam uerſat aquarum
Impetus adſiduè: motantur, ſlantq; uiciſsim,
Et flant, & reflant, alternis motibus, æqui.
Adcubat hic fuſor, ſic illum nomine dicunt,
Excipit hic ſolers maſſam, quod fuſile ferrum
Dicitur, atq; regit uentos, lituiſq; prehenſis
Ferreis emungit ſquamas, et perdomat ignes:
Seligit impurum puro, noctesq;, diesq;
Peruigilans, homo durus, et omnia ferre paratus:
Hunc uix ſeſquihoram toto dormire bimeſtri
Continuum eſſe nefas perhibent, quo tempore fornax
Viſceribus manet integris, folleſq; ſuperſunt
Fortes, qui feſsis ſuccurrant fratribus, et qui
Fornacem renouent, atq; ignis ut acrior inſtet.
Hic riuis fluitat ferrum, ſæuoq; boatu
Stricturas uomit, et piceo cum turbine flammas,
Ingenteiſq; globos, quos lambere ſydera credas.
Haud aliter, quàm ſulphureis ardoribus Aetna,
Cùm feſſum latus incaſsùm, ſub pondere tanto
Nititur Enceladus motare, atq; impos anhelat:
Fit tonitru, exuperant flammæ, circunfremit æquor.
Carbonem intereà, qui materiemq; miniſtret
Fornaci, ſimul ac uaſto decreuit hiatu,
Fuſori comes eſt: is in ipſo culmine cuſtos
Vir ſtabulat uigilax, uultuq;, habituq; Charonti

Perſimilis, qui cum artifices, qui plurima fingunt
Vaſa luto primùm tornatim: deniq; formis
Infundunt ferrum: quin & (mirabile uiſu)
Bombardas conflant (ita enim monſtra illa uocantur.
Dæmonis inuentum Stygij, furor, iraq; diuûm,
Mulciber his primos dum Teuthonas inſtruit armis)
Atq; pilas, quibus & muri quatiuntur, & urbes
Aequantur, turresq; ſolo: robuſta teruntur
Corpora: flammiferi nimirum fulminis inſtar
Hæc tormenta uolant, referuntq; tonitrua bombo.
Exim maſſa recens quæ de fornace petita eſt,
Germanum ferrum nondum ſolet illa uocari:
Eſt igitur qui mox recoquat, uaſtaq; ſecundò
Fornace emendet, faciatq; plicatile ferrum
Congeſtum in globulos: ſuccedunt protinus acres
Ipſum qui extenuent, poliantq;: his ferreus ille
Malleus eſt ingens, quem maxima tollit aquæ uis.
Calfaciunt iterum impigri, uerſantq; per ignes
Forcipibus duris ferrum, candensq; paratis
Immergunt lymphis: Chalybes imitantur, apud quos
Bilbilis eſt amnis, qui ferrum temperat, & qui
Ductilius reddit, fabricandisq; enſibus aptum.
Perdomitum flammis rapiunt, portantq; ſub ictus
Terrificos, quibus & regio ſtrepit omnis, & æther,
Et montes circum, & latè nemora alta reſultant.
Mirificè hic maſſam extendi, duciq; uideres
In tenueis, longasq; trabes, ceram eſſe putares.
Egregiè uerò contuſum, & ritè politum,

Officium

Officium patris eſt æqua perpendere lance,
Exacta hebdomade: adcurrunt lignator, & unà
Carbonarius, & foſſor, fuſorq́;, fabriq́;
Conueniunt hilares omnes, ut certa laborum
Præmia percipiant: contenti à patre recedunt.
Is, ne quem imprudens fraudet mercedis honore,
Scripta habet in libro rationum cuncta ſuorum
Nomina, ſe falli non uult, nec fallere quenquam:
Sic habet in promptu quod quiſq; labore meretur.
Vt digitos, unguesq́; ſuos: glomerantur in unum
Mox illi ære graues, exhauſtaq́; membra labore
Solantur dapibus, ludo, uinoq́; caleſcunt.
Præbibit hic ſocio rodenti turpiter oſſa,
Ille iacet ſomno preſſus, uinoq́; ſepultus,
Mixta uomens miſero ac eructans allia Baccho:
Implentur clamore ædes, confuſa profectò
Colluuio, ſimul hîc omnes uario ore loquuntur:
Hîc cernas Lapithas, pateras curſare, manusq́;,
Subuerti menſas, effundi ſæpe cruorem:
Sic poſt uina ſolet ſæuire ignobile uulgus:
Ac ita fit tandem, ut quot uel ſudoribus illi
Nocturnis peperere ſibi, peperere diurnis,
Hauriat una dies, & multa ſequatur egeſtas.
Quid mirum? procerum uitam, moresq́; ſequuntur:
Sopitis etenim ſic grex paſtoribus errat.
Ne tamen hic peccem, ſopitos dicere nolim
Eſſe iſtos uentres: nam quid uigilantius illis
Redditu in augendo, defendendisq́; ſuarum

Rerum impoſturis? inculcandisq́; popello
Deliramentis hominum, tricisq́;, dolisq́;?
O' me imprudentem nimium, quur talia dico?
Inconſultus homo & temerè molitur, & audet
Omnia: prudentem facti non pœnitet unquam:
Ah miſerum puerum, atq; infauſto ſydere natum
Borbonium, ô miſerum puerum: quid uera profaris?
Quur non diſsimulas? quur tam tibi libera lingua eſt?
Quur non conniues? quur non blandiris ubiq;?
Quur non das operam lucrando, ſtulte, fauori
Iſtorum procerum? quur non te reſpicis ipſum?
Quur non Hippocrati, quur non das legibus amens
Humanis operam, ut poſsis euadere diues?
Viuere ſecurus, precioſa ueſte nitere?
O' me infelicem puerum, quem nulla cupido
Vexat opum, quem nullus amor ſceleratus habendi
Sollicitat: ſatis eſt Virtus, ſatis unica Virtus:
Vna ſatis Virtus, & mens ſibi conſcia recti.
Præterit ut uentus mundi illectantis imago,
Tranſuerſosq́; agit, & ſpecie deludit inani.
Hactenus eſt perſtricta breui Ferraria tractu.
Multa ego de ferro prudens miranda reliqui,
Plurima ſubticui, quæ prouectum ipſa poëtam
Poſcere ſunt mihi uiſa, & ſeſquipedale uolumen.
Quod luſi, pueris luſi: meliora ſuperſunt
Quæ premimus, nec (ſpero) bonis ingrata futura.
Intereà ſcioliq́;, ſuſurronesq́; nefandi,
Qui, quum nil præſtare queant, aliena repræhendunt,
Arcadicæ

Arcadicæ pecudes, & pondus inutile terræ,
Rumpantur, patremq́; ſuum te, Zoile, uiſant.
Vos igitur pueri, per ſummum obſecro Tonantem
(Qui natum in terras cœlo demiſit ab alto,
Vt nos mortifera primorum labe parentum
Ablueret fœdos, & libertate bearet:
Vtq́; ſuo noſtras animas, à faucibus Orci,
Sanguine ſeruaret moriens, cœloq́; locaret,
Et faceret reges, fidei per nobile donum)
Vos (inquam) ô pueri, ueniam date, parcite ueſtro
Borbonio, paruumq́; boni & puerile poëma
Conſulite: Hæc fuerint noſtræ præludia Muſæ.

FERRARIAS FINIS.

Poëta ad uirtutem exhortatur omneis.

CAR. XLVIII.

Secula ſi uincas, uel quot Gangeticus ales
Apollini uiuit ſacer:
At ſemel abrumpet uitam ſoror è tribus una.
Calcanda mortis eſt uia.
O homo, fac ut ſis etiam poſt fata ſuperſtes,
Inter beatos ſpiritus.
Hoc tibi præſtabit, teq́; euehet æthera ſupra,
Aeterna Virtus permanens.
Virtus eſt ſtudium ueræ pietatis, & ardens
Amor, quod dat bonum Deus.

Illud

Illud Homeri præclarum diſtichon ex lib. Iliad. nono, ſic obiter uertimus. CAR. XLIX.

Quiſquis lingua aliud loquitur, quàm pectore ſentit,
Non minus hunc odi, quàm nigri limen Auerni.

Homerus ſic.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσιν,
Ὅσ χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρέσιν, ἄλλο δ' εἴπῃ.

Idē aliter alicubi ſic uertimus. CAR. L.

Non minus eſt odio dignus, quàm ianua ditis,
Qui loquitur, ſet non pectore ſentit idem.

Idem. CAR. LI.

Ore aliter quiſquis loquitur, quàm pectore ſentit,
Hunc odi tanquam limina, Pluto, tua.

Contra uulgi opinionem περὶ χρόνου, ideſt, de tempore, ſic luſimus Latinè. CAR. LII.

Arguimus falſò, quòd conterat omnia Tempus:
Fine carens quum ſit, quum ſit & ipſe deus.
Debemur morti nos, & noſtra omnia: nam nos,
Noſtraq; conterimus: ſet Deus ille manet.

Græcè ſic utcunq;. CAR. LIII.

Ὡς ὄλεθρον πάντων ἀδίκως βροτοὶ αἰτιόωμεν
Τὸν δ' ἀτελεύτητον, καὶ θεὸν ὄντα, χρόνον.
Ἡμεῖς γὰρ θανάτῳ τηρούμεθα, χ' ἥμα, καὶ ἡμᾶς,
Ἡμεῖς τι φθείρομεν, καὶ θεός ἐστιν ἀεί.

Ad præceptores, ſeu puerorum formatores diſtichon. CAR. LIIII.

Si puerum quocunq; uelit, ſinis ire, peribit:
Si deſit frænum, non retinebis equum.

Aliud.

Aliud. CAR. LV.

Quiſquis amas puerum, & ſaluum cupis eſſe, coërcet
Non niſi fit fræno mitior acer equus.

Idem Græcè. CAR. LVI.

Εἴ σὺ φιλεῖς, σῶόν τι θέλεις τὸν παῖδα, κόλαζε.
Οὐ γὰρ πωλοδαμνεῖς, εἰ στόμιον μὴ ἔχεις.

Ad pueros. CAR. LVII.

Oro omneis pueros, hunc qui legêre libellum,
Aequi boniq; ut conſulant.
Vt pro rege preces fundant, pro ſanguine regis,
Pro patria, pro Gallia,
Pro cunctis, pro me, ut ſtudijs feliciter inſtem
Prodeſſe liberalibus.
Ex fide, & ex puro ueniunt quæ pectore, multùm
Apud Deum ualent preces.

Ad Gallum. CAR. LVIII.

Tanti, Galle, facis tuum Macrinum,
Quanti te meritò ſuum Macrinus.

Ad hunc libellum. CAR. LIX.

Si non creſcere deſinis, libelle,
Ingratus pueris, & inſuauis
Fies pro lepido liber libello.

Salmonio Macrino poëtæ. CAR. LX.

Ignotus maneat, lateatq; obſcurus, oportet,
Cuius non meminit Muſa, Macrine, tua:
Contrà, immortalem eſſe puto, uereq; beatum,
Dicere dignata eſt quem tua cunq; chelys.

Ad eundem. CAR. LXI.

Quum me duobus immortalem uerſibus,
Macrine, poßis reddere,
Hoc benefici, quod duco longè maximum,
Amori ut erga te meo
Indulgeas, te oro, obſecroq́; per tuam
*Dulciſsimam Gelonidem, & *
Per liberos chariſsimos, perq; iſtius
Sacrum melos teſtudinis.
Si feceris, referre ſi non ſum potis,
At certè habebo gratiam.

Ioannis Borbonij patris, & Ioannis filij Vandoperanorum, optimorũ ſenum, epitaphiũ, autore Nicolao Borbonio eiuſdem filij filio. CAR. LXII.

Hac duo Ioannes, ſub humo, poſt fata, quieſcunt
Unà BORBONII*: filius, atq; pater.*
Ornauit meritis, fama, pietate, ſuos, &
Seculum uterq; ſuum, Vandoperamq́; ſuam.
Nemo fleat taleis: quur? quæ cupiere per omnem
Vitam, cum CHRISTO *regna tenere, tenent.*

OBIIT PATER ANNVM AGENS LXXXIII. ANNO SALVTIS M. D. XXVI. OBIIT FILIVS ANNIS XV. PATRE MINOR, ANNO DOMINI M. D. XXXV.

Ad Claudium Borboniũ patruum. CAR. LXIII.

Amiſi patrem infelix: tu patrue, Claudi,
Iam mihi non patrui, ſet uice patris eris.

Mariæ

Mariæ Gallariæ matri opt. epitaphion, mœrens poſui.

CAR. LXIIII.

Viator ſta. Sacer eſt quem puluerem uides.
Hîc fœmina eſt humata, fœmina omnium
Quas Lingonum unquam Vandopera ferax ager
Tulit, cultiſſima, & religioſiſſima, &
Quæ dicta mater egentium uulgò fuit,
Honeſto nata loco, Maria Gallaria.
Borbonio coniunx patri Ioanni hæc fuit
Meo, graui & ſeuero, & inclyto uiro:
Sex filios moriens, duasq́; filias,
Reliquit. ô nos talibus parentibus
Olim beatos nimium: ô nunc miſerrimos,
Queis Parca atrox, & immitis, utrunq; abſtulit,
Adhuc rerum imperitis adoleſceniulis.
Sed ambo apud manes quieſcant molliter,
Colluſitentq́;, tuti ab Orco lurido,
Prolemq́; uotis adiuuent ſuam pijs.

Publij Vergilij Maronis epitaphium Græcè. CAR. LXV.

Σπάργανα Βιργιλίου Μαντὼ, καὶ μνῆμα προφαίνει
Παρθενόπη, μουσῶν ἐννέα δ' ὁ ἱερατίας.

Latinè. CAR. LXVI.

Mantua Virgilij cunas oſtentat, & oſſa
Parthenope: at Muſis præſidet ille nouem.

Ad Rabelæſum. CAR. LXVII.

Iam raro Lateranus, & Mainus,
Occurrunt mihi, Sanzelaziusq́;:

Nempe

Nempe, urgentibus, aulicisq; rebus
(Vt ſunt tempora) ſeriò occupati:
At tu, mi Rabelæſe, *quando abire*
Certum eſt, quò mea me uocat uoluntas,
Quò fatum potius uocat, trahitq;,
Illis nomine dic meo ſalutem.

Ad unumquemq; Chriſtianum Ode.

CAR. LXVIII.

Quiſquis es, quicquid pateris malorum,
Spem tibi firmam retine, Deoq;
Crede te totum, placidumq; numen
Illud adora.

Paſſus eſt CHRISTVS *dominus, cathenas,*
Flagra, uim, ſannas, probra, ſputa, mortem:
Paßus eſt, ut nos miſeros ab imo
Solueret Orco.

Perfer hæc, & tu, dominumq; ſeruus,
Imperatorem reuerere miles:
Poſſet illius periiſſe nemo
Signa ſequentum.

Fac, ut in CHRISTVM *rapiare, totus*
Ardeas, CHRISTO *recreere totus,*
Falſa contemnens pereuntis huius
Gaudia ſecli.

Patris ad dextram ſedet & patronus
Noſter eſt CHRISTVS. *Quid ei petenti*
Filio, ſummi bonitas parentis
Abnuat unquam?

Nil paue poſthac, licet uſquequaque
Ingruat mortis metuendus horror:
Nam ſuum uerè bonus ille paſtor
Seruat ouile.

Ad Ioan. Pelliſſonem. CAR. LXIX.

Pelliſſo, ſi me amas, facis quod te decet:
Si non amas, ſaltem immerentem ne oderis.

Exhortatio ad modeſtiam, è
Græco & Auſonio.
CAR. LXX.

Fictilibus uaſis Agathocles creditus uti,
Sicaniæ figulo rex genitore fuit.
Pauperiem iungens opibus, pretioſa uolebat
Vaſa abaci Samio mixta uidere luto.
Hoc ita quur faceret, rogitanti, cernere, dixit,
Gaudeo, quæ generis ſunt monimenta mei:
O homo, fortunam reuerenter habere memento,
Quiſquis abis diues, qui modò pauper eras.

Hoſpes quiſpiam, & Agathocles rex
colloquuntur. CAR. LXXI.

Quur ita συ πλασεῖς λαπτὴν φιλίαις *Agathocles?* **Hoſpes.**
Σικελὸς ὢν βασιλεύς;
ὦ ξεῖν, *quur uideor tibi* μαίνεσθαι, τάγε *miſcens* **Agathocles.**
Aurea fictilibus?
Nempe, quòd eſſe nefas tanti uideatur ἐν αὐλῇ **Hoſpes.**
Regis ineſſe lutum.
Ἀλλ' ἐγὼ *honorificum duco meminiſſe* μεταυτῷ **Agathocles.**
πατρὸς ἐμοῦ *figuli.*

S Ξεῖνε

Hoſpes. τοῦν μάλα φρονίμως. Docet hoc te λεῖμμα uereri
Ὦ κόπλετε τύχην.

In ſeipſum. CAR. LXXII.

Plurima præcipito qui carmina, plurima pecco,
Sat ſcio: ſet non id, quod ſcio, ſcire uolo.

In ſenem quendam. CAR. LXXIII.

De coitu gaudes miracula dicere: uerùm
Dicere te pudor eſt iſta, recocte ſenex.

In Hugonem, è bello redeuntem.
CAR. LXXIIII.

Sæpe lapis motus non fit muſcoſus, ut aiunt:
At barbam è bello rettulit Hugo domum.

In eundem. CAR. LXXV.

Olim qui calidus iuuenta, & audax,
Tam multos numerabat Hugo numos:
En poſt fortia facta, poſt triumphos,
Nunc annos numerat, pediculosq́;.

De ſeipſo in quendam carminum
ſuppilatorem. CAR. LXXVI.

Hoc carmen miſſum eſt ad reginam Nauarræ, ſtatim
poſt reditum noſtrum a Britannia.

Compoſui uerſus, quos nunc ſibi uindicat alter:
Sic profert ſegetes, non ſibi, pinguis ager.
Sic excelſa ſtruit, non ſibi, tecta faber.
Sic nidum uolucris, non ſibi, uerna facit.
Sic medicas herbas, non ſibi, terra parit.
Sic mola gyrando, non ſibi, farra terit.
Sic nauis uarias, non ſibi, uectat opes.
Sic paſtor ſeruat, non ſibi, nocte greges.

Sit

Sic numos cumulat,non ſibi,diues egens.
Sic iuuenis demens,non ſibi,uiuit amans.
Sic bos,ſic fortis,non ſibi,ſudat equus.
Sic diuerſa parat,non ſibi,iura coquus.
Sic candela ardens,non ſibi,lumen habet.
Sic lac uberibus,non ſibi,mater habet.
Sic lanam mitis,non ſibi,portat ouis.
Sic mel nectareum,non ſibi,ſtipat apis.
Sic retinet leporem,non ſibi,dente canis.
Sic gramen lætum,non ſibi,prata ferunt.
Sic lecti pedites,non ſibi,bella gerunt.
Sic auri mulus,non ſibi,portat onus.
Sic horti bonitas,non ſibi,præbet holus.
Sic ſcribit uerſus, non ſibi, noſtra manus.

In eundem. CAR. LXXVII.

Peregrè agebam Lugduni à Britannia
Reuerſus nuper:& officinam Gryphij
Typographi inclyti ingreſſus, hominem rogo
Statim,nouorum ecquid librorum excuderet:
Libellum tum profert,titulo epigrammatôn:
Lego,percurro auidiſſimè:quid pluribus
Verbis opus? deprændo nugis ex meis
Surrepta carmina innumera,& ſententias
Aliò tortas,& argumenta pleraq;
Adſuta ineptijs nebulonis illius.
Nunc nomini parco,olim nominabitur,
Si pergit:& ſuis pictum coloribus
Videbit ſe,improbum os,lauernio impudens.

In eundem. CAR. LXXVIII.

O' cornicula Horatiana, me'ne
Sic cæcum eſſe animi putas, ut iſtud
Laudandi genus adprobem tuum? ut tu
Per me auſis mihi factitare fucum?

In eundem. CAR. LXXIX.

Vt lauder abs te, utcunq; feram: ſet non feram
Si iſthuc meo ſumptu facis.

In huius ſeculi ſapienteis. CAR. LXXX.

Οὐ σοφός ἐστι σοφὸς σωφρόνως, ὅστις λέγει οὕτως·
Εἰ μισεῖς, μισῶ, εἰ φιλέεις, φιλέω.
Ὅττι κατὰ χριστὸν ψυχῶν σωτῆρα τὸν ἡμῶν,
Δεῖ πάντας φιλέειν, πᾶσί τε εὐλογέειν.

Ad D. Thomam Cramoëllum, in calce epiſtolæ. CAR. LXXXI.

Obſtrepuiſſe uiro ſummis de rebus agenti
Auſus ego, effrontis nomine, iure uocer.
Da ueniam Cramoëlle tamen: ſic ſæpe poëtas
Adfectus noſti præcipitare ſuos.
Quin & amor CHRISTI, *quo te flagrare uidemus,*
Audacem poſito me facit eſſe metu.

Britanniæ laus. CAR. LXXXII.

Multos habet claros uiros Britannia,
Habuitq; ſemper, litteris & moribus
Humanioribus: Nunc ecce Crammaros
Cramoëlloſq;, atq; alios herôas habet ſuos.
Set debui regem, optimum illum principem
Laudare primum, Henricum octauum nomine:
Quem ni canam, feramq; in cœlum laudibus,

Hominum

Hominum omnium dicar meritò ingratiſſimus.

Ad D.Ioan. Dudlæum, & D.Henr. Cneuetum Britannos, nobileis uiros. CAR. LXXXIII.

Vos duo, uos, ut ſi qui alij, me ſemper amaſtis:
Quare ego uos redamo: ni faciam, peream.

In ſeipſum Θρῆνος. CAR. LXXXIIII.

Vixi, tempore quo fui remotus
A curis procul omnibus, poëtam.
Tunc Nugas ego, ſatq; multa luſi,
Quæ non prorſus olent malum poëtam.
At nunc fluctibus obrutus malorum, &
Defuncto patre, ſi quid, ut ſolebam,
Scribendo aggredior, meus mihi ipſi
Friget continuò labor, meumq;
Carmen fœtet, oletq; pædagôgum.

In uerſificatorem furacem. CAR. LXXXV.

En adſum, ego ille, quem tibi perſuaſeras
Periſſe naufragum, in mari Britannico.
Venio ecce plumas abs te repetitum meas.
Mane: tibi iam tergiuerſandi locus
Nullus relictus eſt: mane inquam, quò fugis
Fruſtra? ô miſer, miſer, uiden modeſtiam
Meam, qui nondum (ut es meritus) te nominio?
Reſipiſce, dum licet, & redde mihi quod meum eſt.

Ad D.Ant. Oliuarium. CAR. LXXXVI.

Te ſi non oculis ferrem, ſi non tuus eſſem,
Immanior Getis forem.

Ad Iacob. Alnetum poëtam, qui me Trecis agentem nuper ad cœnam inuitarat. CAR. LXXXVII.

Ad cœnam ueniam tuam rogatus:
Verùm hac conditione, ut elegantem
Iſtam nomine Candidam, puellam
Claram carminibus tuis, uidere,
Et coràm liceat deoſculari:
Aut, ſi indigna putas labella noſtra,
Illi quæ roſeo adplicentur ori,
Vt ſaltem cyathum manu ex eburna
Permittas capiam: quod impetrare
Abs te ſi nequeo: caue, & furorem
Expecta Veneris, facesq; Amoris.
Nam præſens mihi numen eſt utrunq;,
Ne ſis neſcius, & fauere gaudet.

De urbe Londino & Thameſi fluuio. CAR. LXXXVIII.

Londinum et Thameſis, ſunt hæc celeberrima Graijs
Duo, & Latinis nomina.
Quis tam barbarus eſt, Londinum ut neſciat urbem,
Regni decus Britannici?
Quis Thameſim ignoret, cuius confunditur undis
Oloriferis diues mare?

Poëta quaſi digito oſtẽdit Vandoperæ patriæ ſuæ ſitum. CAR. LXXXIX.

Quiſquis ab urbe Trecis, rectà uult Lingones ire,
Vandopera nullum certius extat iter.

Vandope-

Vandoperam ingreſſus,natum illic eſſe memento
Borbonium:& uati fauſta precatus,abi.

Fides Chriſtiana. CAR. XC.

Si quis roget,quid CHRISTIANA *ſit fides,*
Reſpondeo: Arbor eſt bona.

Ad mendicū quendam. CAR. XCI.

Quum dentem citius, quàm numum extorſeris à me,
Mendicatum aliò tutius ire potes.
Præ me tu fœlix dici potes arte petendi:
Iſta ſinet nunquàm te perijſſe fame.
At uates hodie pius exulat,eſurit,alget:
Nec numos nouit, ſed numerare pedes.

Ad Tuſanum præceptorem. CAR. XCII.

Me ſaluum eſſe cupis,Tuſane,optasq́; uidere:
At te ego ſi ſaluum uidero,ſaluus ero.

De Salmonio Macrino poëta. CAR. XCIII.

Vis Muſas, Veneresq́;,Gratiasq́;
Omneis dicere?ſic potes:Macrinus.

In Carolum Cæſarem,Gallias inua dentem. CAR. XCIIII.

Falleris,ô Cæſar, ſi ſic,ut Iulius olim
Cæſar ſubegit Gallias,
Te quoq; poſſe putas:qui nomen, & illius omneis
Tibi arrogas imagines.
Falleris.Ille etiam ſi uiueret,haud ita Gallos
Audacter, ut tu, inuaderet.
Quare,ſi me audis,maiori,Carole,cede:
Teipſumq́; ſerua,& copias.

Ad eundem. CAR. XCV.

Non'ne uides, Cæſar, triſti fulgente cometa
Portendi caſtris omina dira tuis?
Non'ne uides Gallorum acies, Regemq́; tremendum
Franciſcum, inuicta non procul eſſe manu?
Crede Deo: ſic fata uolunt urgentia: ſet dum
Cedere cunctaris, ne capiare, caue.

Ad Galliam. CAR. XCVI.

Te quamuis hodie circum undiq; Barbarus hoſtis
Impetat, & bello, Gallia, tota fremas,
Ne tamen intereà adflictos contemne poëtas,
Qui te nutricis, te uice matris habent.

Ad H. Sabellum. CAR. XCVII.

Quos mihi Londini tua conciliauit amicos
Fides, Sabelle, & gratia:
Efficiam, ut chartis mandata fidelibus olim
Aeterna uiuant nomina.
Quos mihi relligio, quos uirtus aurea iunxit
In Gallia, in Britannia:
Quos alibi: cantabo omneis, & quenque ſuarum
Ornabo honore dotium.

In Car. Cæſarem.

CAR. XCVIII.

Quæ monoſyllaba ſunt, ne ſperne uocabula, Cæſar:
Rex, Mars, Mors, tria ſunt hæc metuenda tibi.

In ſeipſum. CAR. XCIX.

Amittit uires, qui ſemper tenditur arcus:
Laſſatur nimio pondere fortis equus.

Aſt

Aſt ego, quò fortuna magis me ſæua fatigat,
Fortior, & melior fio, uolente Deo.

E Græco τοῦ Λουκιλλίου, οὐκ ἔστιν θυγατρὸς μεῖζον βάρος, &c. quod & Elegiaco carmine reddidiſſem, ſi id cõmodè fieri potuiſſet. CAR.

Non eſt onus matura grauius filia.
Tu qui putas leue, oro, ô diues, audias.
Tibi hernia eſt: mihi filia eſt: tibi hanc habe:
Pro filiaq; una, mihi da centum hernias.

In medicum quempiam. CAR. CI.

Quiſpiam heri medicus, pedibus quem contigit ægrũ,
Ecce hodie in campis ambulat Elyſ:js.

In Hugonem glorioſum militem. CAR. CII.

Qum ſis uir nihili, uis nobilis, Hugo, uocari:
O Hugo, nugo: nobilis es nebulo.

Vini Belgici, hoc eſt, Belnenſis, laus.
CAR. CIII.

Νῦν σε καλῶς πάντες καλέουσι πολύτροφον οἶνον,
Πανταχοῦ ὄντα τὸν, ὦ Βελγικὲ Βάκχε, κλυτόν.

Idem Latinè, utcunq;. CAR. CIIII.

Ecce omnes hodie, ô nullis non cognite terris,
Te bene multiuolum, Belgice Bacche, uocant.

Ad Gul. Budæum, Galliæ lumen, in calce epiſtolæ. CAR. CV.

Ἄγριος ἀνθρωπίσκος ἐὼν ὀχλέω σε τόσον
Βουδαῖ' ἄνδρα κλυτὸν, καὶ πάνυ ἡμίθεον.
Συγχώρει μοι τοῦτο, ὦ ἥρως, ἡ γὰρ ἀνάγκη,
Λεπτίνον οὕτω τὸν φλυαρεῖν με κελεύει.

Idem ferè Latinè. CAR. CVI.

En, Budæe, tibi, ruralis homuncio, tanto
Obſtrepo, tam claro, ſemideoq; uiro.
Da ueniam, obſecro: fortunæ cedere cogor:
Hoc me nugari tempore fata uolunt.

ILLVD PHOCYLIDIS.

καιρῷ λατρεύειν, μὴτ' ἀντιπνέειν ἀνέμοισιν.

Huc de induſtria adduxi, atque ſic obiter uerti, ut fidem facerē pueris ſtudioſis, λατρεύειν χρόνῳ, ſeu καιρῷ, recte dici: quēadmodum Latine dicimus, ſeruire, aſſentiri, cedere tempori, uel fortunæ, ſeruire theatro, &c.

CARMEN. CVII.

Temporibus cede, & uentis ne flantibus obſta.

In domum clariſs. uiri D. Ioan. Dintauillæ, quæ uulgò etiam πολὺ ζῆ appellatur. CAR. CVIII.

Quæ domus eſt hodie rectè appellata πολὺ ζῆ,
Nempe, in quam nil Mors pallida iuris habet.

In quendam Batauum nomine Simonem proditorem. CAR. CIX.

Iſto litterula mutata in nomine, fies
Nobis, ô Simon, nomine, req; Sinon.
Tunc erit in terris nemo te clarior alter:
Nec te Muſa ſinet Virgiliana mori.

In ſeipſum. CAR. CX.

Sum procul à patria: nemo eſt, qui curet egentem:
Duro tamen patientia.
Sæuit hyems: mihi nulla licet ſit cala, caleſco
Agitatione corporis.

Ad Lanc. Carolæum. CAR. CXI.

Quòd tandiu tibi literarum dem nihil,
Doles? dolere deſine, iam ſcribo: Vale.

In Laurum amicum.

CAR. CXII.

Laurus noſter amat pios poëtas:
Quid mirum? facit ipſe digna Phœbo
Laurus carmina, laureatus ipſe,
Laurus, laureus, aureus poëta.

De Nugis ſuis. CAR. CXIII.

Ingenioſorum in chartis monimenta uirorum
Antè legebantur, non niſi ſcripta manu.
Vnde tot illorum periêre uolumina nobis,
Quæ rediment nunquàm totius orbis opes.
At nunc, quum libri formis cudantur ahenis,
Quis dubitet Nugas uiuere poſſe meas?

Ad Iacobum Alnetum poëtam, in calce epiſtolæ. CAR. CXIIII.

Vides, Alnete, Muſa ut noſtra garriat,
Vt obſtrepat tibi loquax?
Set te orat, ut ſuum, & obſecrat ſupplex patrem,
Per Candidæ ſacros tuæ
Ocellos, per Venerem, Venerisq; filium,
Audaciæ ut parcas ſuæ,
Et ut ſibi ueniam impetres à cæteris
Tuis confabulonibus
Tuis, meisq;: nam quid inter nos duos
Commune nobis non fiet?

Vale,

Vale, & Pithoum amicum, eiusq́; coniugem
Meo ſaluta nomine.

Græci Theognidis hæc ferè eſt ſententia. CAR. CXV.

Nunc huic, nunc illi fortunam Iuppiter aptat:
Qui felix hodie eſt, cras miſer eſſe poteſt.

In miſerias humanas. CAR. CXVI.

Οὐδέν τι ἔστ' ὑγιὲς τῶν ἐν βίῳ, οὐδὲ βέβαιον,
ἄλλος μὲν πλουτεῖ, οὐδὲν ἄλλος ἔχει.

Θρῆνος. CAR. CXVII.

Ad miſerias ut iam nihil accedat meas,
Miſerum facit me dentis unius dolor.

Græci epigrammatis τοῦ Δημητρίου imitatio. CAR. CXVIII.

Πλούσιός εἰμι γέρων, πλοῦτον νέος οὐδὲν ἔχων,
ἀμφοτέροις οὕτω πάντοτε δυσυχέω.
Οὐδὲν, ὅτι χρῆσθαι δυναίμην, ἦ, νῦν δὲ παρεόντι
δεῖλος ἐγὼ χρῆσθαι χρήμασιν οὐ δύναμαι.

Latinè. CAR. CXIX.

Rebus abundo ſenex, iuuenis qui pauper egebam:
Hac, illac ego ſum conditione miſer.
Nunc nequeo infelix, rebus præſentibus uti:
Aptus ad utendum, cùm nihil eſſet, eram.

Idem ferè. CAR. CXX.

Degebam iuuenis pediculoſus:
Nunc tabeſco ſenex pecunioſus.
Vti cùm poteram, miſer carebam:
Vti cùm nequeo, ecce, nunc abundo.

Εἰς γυναῖκας. CAR. CXXI.

Caſta procos multos leto dedit uxor Vlyßis:
Ob laſciuam Helenen diruta Troia fuit.
Ergo, quum bona ſit, iuxtà ac mala fœmina, damno:
Dij me utroq; uelint poſſe carere malo.

Ad Ioan. Perrellum ἐν ἰμοχέριον.

CAR. CXXII.

Te, Perrelle, olim uatem communis amabat
Patria, nunc uatem ſuſpicit, & medicum.

Lectori. CAR. CXXIII.

Si tibi longior hic liber eſt, lege, candide lector,
Dimidium: breuius ſic tibi fiet iter.
Quòd ſi dimidium fuerit quoq; longius æquo:
Dimidium longi perlege dimidij.

NVGARVM QV ·RTI LI-
BRI FINIS.

NICOLAI BOR-BONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis Nugarum liber quintus.

CANDIDO LECTORI NICOLAVS BORBONIVS VANDOPERANVS S. D.

QVO ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem
—Teſta diu.

Hac pulcherrima Flacci autoris quâlibet profani uoce, ueluti claßico, excitus, auſus ſum ego olim adhuc penè adoleſcentulus, ac fortaßis (ut ſic dicam) ἀνδρόπαις, de puerorum moribus carmen ſcribere. Id temporis, præceptor noſter, licèt homo elegantioris Muſæ rudis, cùm uideret me ſupra omneis condiſcipulos meos proficere, puerorum aliquot æqualium meorum curam mihi demandauit: uidelicet, uti eos ſucciſiuis horis dũ in claſſe doceo, docerẽ & meipſum. Sic enim uir ille optimus, & meliore ſeculo dignus mihi conſulebat, ut qui hoc ingeniolo meo unicè delectaretur. Ego igitur flagrans deſyderio ornãdæ, quam ſuſceperam, ſpartæ, quod aiunt, applaudente ipſo ſubinde præceptore, & currenti calcar addente, non ſum ueritus aliquando uirilẽ perſonã induere, atq; adeò tanquam perfectus gymnaſiarches, gregi meo

meo quædam præſcribere, quæ tum ſtudioſiſsimo cuiq; συμμαχικῷ meo neutiquam pœnitenda uidebãtur. Cùm autem ſenſim luxuriante materia, ſtyloq; pruriẽte, ſcribendo incaluiſſem, uix tandem ſenſi ſtolidus, quàm uaſtum in pelagus memet conieciſſem. Ad me uerò reuerſus, manum de tabula tollere malui, quàm periculoſo argumento diutius immorari. Iuſto nanq; uolumine, uiriliq; iudicio, & cura non mediocri opus eſſe uidebam: Et alioqui eiuſdem poëtæ Horatij præceptum in mentem ueniebat:

Quicquid præcipies, inquit, eſto breuis, ut &c.

Quas ob res ego ueluti deterritus difficultate operis, cùm ſummatim multa perſtrinxiſſem, quæ ad teneræ ætatis eruditionẽ potiſsimũ attinere uiſa ſunt, finẽ feci. Sciebã enim iã tũ, me & puerũ eſſe adhuc, et multis uibicibus egere. Tametſi parũ, aut nihil me mouit illud uetus diſtichon, quod ex poëta neſcio quo Ariſtoteles (laudat: Ariſtoteles.

Οὐ χρὴ πόθ' ὅστις ἀρτίφρων πέφυκ' ἀνὴρ,
Παῖδας περισσῶς ἐκδιδάσκεσθαι σοφούς.

Nòs ſic Latinè uertimus ex tẽpore, &, ut ſolemus, liberiuſculè:

Sapienteis ante tempus pueros reddere
Caueat magiſter, qui ſapit: nam non decet.

Magis, ac magis in dies inflãmabant me uerba Domini CHRISTI: quæ hæc ſunt ex Euangelio Marci capite x. & Lucæ cap. XVIII. Sinite pueros uenire ad me: &c. Hoc igitur carmen meum nuper qualecũq; eſt, cùm fortè mihi in manũ incidiſſet, cæteras chartas (ut

Verba Chriſti domini, de pueris.

(ut fit) reuoluenti, & confuſas ſchedas recognoſcenti, reguſtaui obiter, & cùm arriſiſſet, in lucem emittere ſtatui, pauculis uerſibus additis, qui (ut ſpero) nemini piè docto diſplicebunt. Addidiſſem autem plura, & ex ludicro puerili iuſtum uolumē concinnaſſem, ſi per hanc ualetudinem in dies adflictiorem licuiſſet: ut de huius ſeculi turbinibus taceam, qui iandudum omneis ſtudiorum noſtrorū rationes ſic turbarūt, ut uix apud nos ſimus. Si res ex animi ſententia ſucceßiſſet, & cœptum opuſculum abſoluere, ut animo deſtinaram, uacauiſſet, ſtatueram illud dicare D. Claudio à Rohano, *inclyto, & ſummæ ſpei puero: non quòd egere putarē illum præceptiunculis meis: eſt enim (quod norunt omnes) puer heroicis cùm corporis, tum animi dotibus adfatim præditus, ut ſi quis alius, &, ut poëtæ uerbis utar,*

Claudius à Rohano.

Ante annos animumq́; gerens, curamq́; uirilem:

ſet ut gratioſißimi illius nominis auſpicio adducti pueri, carmen meum plauſibilius exciperent. Vide autem impudentiā meam: ſperabā me poſſe una fidelia (quod dicitur) duos dealbare parietes: hoc eſt, eadem opera gratiam aliquam inire ab illius ipſius D. *Claudij germano natu maiore, heroē nunquàm ſatis laudato, qui anno ſuperiore (ut audio)* D. *Iſabetham, illuſtrißimi Nauarrorum regis ſororem, duxit uxorem. Non interfui ego nuptijs, nimirum tum fortè in* Britannia *peregrè agens: ubi audita tam celebris coniugij fama epithalamium ſcripſi, quòd in lucem aliquando proditurum*

D. Iſabetha regis Nauarræ ſoror.

Epithalamiū.

rum

rum ſpero. De hac Rohana clariſſima Britonũ familia plura nunc dicere ſuperſedeo, ne tantas laudes culpa ingenij deteram. Tantùm ex epithalamio noſtro decerptum diſtichon ſubiungam:

Clara, antiqua, potens, dum mundum exuſſerit ignis,
Perſtat ab Hectorea ſtirpe, Rohana domus.

Ad rem redeo. Si nõ uſquequaq; falſum eſt, quorundã amicorum, eorumq; οὐκ ἀμούσων iudicium, non modò dignum eſt hoc poëmation noſtrum, quod typis æreis, aut ſtanneis excudatur: uerùm etiam quod aureis literulis, uel potius (ſi fieri poſſet) igneis characteribus, omni puerili pectuſculo inſculpatur. Neq; hic Suffenus ſum: dico ingenuè quod res habet. Set proh Deûm atq; hominum fidem: quales hodie uidemus pueros quorundam Chriſtianorum filios? quales, opinor, nemo unquã uidit apud profanas, ac barbaras nationes, quæ Deum nõ nouerũt. Puſio unus tredecim annos natus, plus fraudis, plus doli mali callet, quàm patrũ noſtrorum memoria decẽ robuſtiſſimi iuuenes. Itẽ puella una hodie ſaltatricula, uixdum lacte depulſa, laſciuior, moroſior, aſtutior: & (ne quid aliud dicam) naſutior eſt, quàm olim uirgo iam matura uiro, iam plenis nubilis annis. Quid cauſæ eſt? Neſcio. Deus ſcit. Pueri ante tempus adoleſcunt: adulti uoluptatibus effœminatè diffluunt: mox uix uiri, præmatura, atq; intempeſtiua ſenectute marceſcũt. Tales ſunt hodie pleriq; omnes, quibus (ut pater meus dicere ſolebat) ſi nares paululũ perſtrinxeris, lac pro ſanguine expreſſeris. Ridiculus

eſſem, & hanc querelam meam meritò ineptam dici paterer; niſi paßim ſtulta, ne dicam impia, parentum erga filios indulgentia fieri uiderem, ut adoleſcentibus nihil æquè placeat, atque Homerica illa cantilena:

Parentum erga filios indulgentia.

Αἰεὶ δ' ἡμῖν δαίς τε φίλη, κίθαρίς τε, χοροί τε,
Εἵματά τ' ἐξημοιβὰ, λοετρά τε θερμὰ, καὶ εὐναί.

Huc nos olim alludebamus hunc in modum:
Sunt uariæ ueſtes, prælautaq; fercula cordi,
Et chorus, & cantus, balnea, uina, Venus.

Vt finem faciam: gratias ago Deo, patri domini IESV CHRISTI, omnium bonorum fonti, quòd eam mihi mentem hactenus ſemper inſpirauit, ut prodeſſe omnibus, nocere nemini ſtuderem: eiq; uni acceptum fero, quicquid ipſius fauore fratribus meis adferre commodi poſſum. Si quid autem in hoc enchiridio, aut uſquam alibi (ut homo ſum) uel ceßaſſe, uel peccaſſe uiſus fuero, id totum imbecillitati, ignorãtiæ, fragilitati meæ haud grauatim imputandum eſſe cenſeo. In ſumma autem, uolo pueros cùm omneis, tũ uerò præcipuè, quos in curam meã recepi, alacreis eſſe, et impigrè prima pietatis, ac literarũ ſemina excipere: atq; hæc omnia tamen mediocriter: ne ſint qui celebrem illum uulgò uerſiculum in nos ualere putent:

Odi puellos præcoci ſapientia.

Quin potius de nobis dicere cogantur omnes, etiã inimici crucis CHRISTI, oſtendentes nos digito,

καὶ πατρὸς οὐρανίου τάδ' εἰσὶ παιδία.

Quem

Quem uerſiculum noſtrum, quoniam non ita ualde malum eſſe putauimus, ſic reddidimus,

Haud dubiè hi ſunt patris cœleſtis filij.

Bene uale, amice lector, & me pijs uotis, precibusq́; apud dominum IESVM mutuò adiuua. Trecis, Cal. Septembr. M. D. XXXVI.

EIVSDEM BORBONII

carmen Sapphicum.

Vt ſacer CHRISTO puer, abſolutum
In uirum creſcat, nitidumq́; fiat
Vaſculum, quo uel decorata cœli
Geſtiat aula:
Litteras diſcat, pariterq́; ſanctos
Imbibat mores, timeatq; numen:
Sic erit purum, pueroq́; dignum
Pectus IESV.
Sic renaſcetur, dominiq́; uiuum
Surget in templum: nec erunt in illo
Carneæ ſordes, quibus hoc iuuentus
Tempore fœtet.

N. Borbonij pueri, ad pueros

Δίστιχον.

Παῖς κ' ἐγὼ, ὦ παῖδες, ξυμπαίζω ἐπὶ χρόνον ὑμῖν,
Τοῦτο δὲ σπουδαῖον παῖγμα μάλ' ἐστὶν ἐμόν.

Idem Latinè.

Vobiſcum puer, ò pueri, colludo parumper:
At meus hic ualde ſeria ludus habet.

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI LINgonenſis poëtæ, ad pueros carmen de Moribus, cui titulus Παιδαγωγεῖον.

CAR. I.

G*ESTIO præceptis formare ſalubribus omneis,*
Præcipuè pueros: CHRISTE, *benignus ades.*
O' pueri, gens chara mihi, mea maxima cura,
Quæ ſit conſilij, diſcite, ſumma mei.
Huc intenti animis præſentibus ora tenete:
Pauca loquar, ſet quæ uos meminiſſe iuuet.
Surgitè mane citi, precibusq́; ex corde profectis,
Rectà illum, qui nos finxit, adite patrem.
Orate, ut puros macula uos ſeruet ab omni,
Atq; ſua faciat uaſcula digna domo.
Os aquula, & dentes, oculiq́; manusq́; lauentur,
Cæſarie compta: cultaq́; ueſtis eat.
Sic tamen, ut ueſtro in cultu modus adſit: ab omni
Mollitie, & luxu uos procul eſſe uolo.
Otia uitantes cùm certa uocauerit hora,
Haud mora, adorandæ tecta ſubite ſcholæ.

Gym-

Gymnaſium ingreſſus,ſi quis me ex more ſalutet,
Idq́; uerecundo factitet ore,probo.
Et condiſcipulos ſaluere iubere,putamus
Eſſe pium:nam ſic conciliatur amor,
Sanctus amor,multos qui corpus iungit in unum,
Cuius pars CHRISTVS *corporis,imò caput.*
Nolite in cœtu ſedes ambire ſupremas:
Elatos animos deijcit ira Dei.
At qui ſubmittunt ſeſe,his ſe ſpiritus almus
Vltro offert,hos non morte perire ſinit.
Quare,qui inter uos ſibi maximus eſſe uidetur,
Sit minimus,gaudens inferiore loco.
Charta,atramentum,ſtylus,& liber,arma uocantur,
Queis ego diſcipulos nolo carere meos.
Si quid dictamus,chartæ mandate fideli,
Ne ſit in oblitos noſtra querela minax.
Scribite,ſet rectè,& nitidè,ſigniſq́; notate
Omnia,quæ proſint,uoſq́; labore leuent.
Vt perrara auis eſt ſermo concinnus,& oris
Gratia:ſic pueri pingere docta manus.
Sæpe reguſtantes audita,reuoluite mente:
Qui ceſſant,languent,proficiuntq́; parum.
Nunc hos,nunc illos,ſi quid dubitatis,adite:
Conſulite inter uos:ſic quoq; creſcit amor.
Auribus arrectis,aliquid dum prælego,cordi
Figite,quæ poſt ſit non tenuiſſe dolor.
Sic loquitur ſecum ingenuus puer omnis,& ardens,
Ni memor eſſe uelim,quid didiciſſe iuuat?

Quid tam difficile eſt, quod non cura improba uincat?
Currite: currenteis præmia certa manent.
CHRISTVS, qui uera eſt ſapientia, uita, ſalusq;,
Meta ſit hic uobis, propoſitusq; ſcopus.
Omnibus hic unus ſummi ad penetralia cœli
Dat faciles aditus, conciliatq; patrem.
Si deſit pietas, eſt uana ſcientia rerum:
Si deſit pietas, omnia cæca manent.
Seria cùm ſtudijs indicta eſt hora, ſilete:
Obturbare alios, obſtrepitare, nefas.
At prælecta mihi cùm redditis, eſte canori,
Et prompti clauſo ſenſa referre libro.
Seu mihi, ſeu cuiuis bene reſpondere roganti,
In puero fulget non mediocre decus.
Nec nimium lætos, nec triſteis approbo uultus:
Eſt medium: uirtus inter utrunq; ſedet.
Qui ſapiunt, fando, ut ſcopulos, fugêre ſolœcos:
Quod ſemel imbiberit teſtula, ſemper olet.
Hic mihi ſe campus dicendi maximus offert,
Materies tantæ fertilitatis adeſt:
At ſumma attingam rerum faſtigia, donec
Plura aliâs liceat dicere, dante Deo.
Iurgia, rumores, mendacia, probra, cachinnos,
Oderunt, ſtudium qui pietatis amant.
Qui condiſcipulo dicturo admurmurat auri,
Ille importuno quàm nocet officio?
Prima rudimenta, & certas perdiſcite leges
Grammaticas: nec uos terreat iſte labor.

Aſperà principiò, & nimium quæ dura uidentur,
Mitigat hæc uſus, ſedulitasq́; domat.
Gallia non Cereris, non Bacchi munera ferret,
Si, quamuis pinguem, nullus araret humum.
Sic tenerum pueri ingenium eſt: niſi ritè colatur,
Obruitur uitijs, & ſine fruge iacet.
Si ſenior, dignusq́; aliquis compellet, honeſtum eſt
Huic aperire caput, flectere ſæpe genu.
Ore uerecundo ſic reſpondete rogati,
Sint ut in officio ſingula membra ſuo.
Frons hilaris, rectiq́; oculi, modulata labella,
Pes ſtabilis, naris muncta, quieta manus.
In ſumma: tales ſint toto in corpore geſtus,
Omnibus ut fiat mens generoſa palàm.
Noctes atq́; dies ut ubiq́; modeſtia ueſtra
Luceat, hoc CHRISTVS, *gloria noſtra, iubet.*
Præterea eſt ratio ſermonis habenda: loquendo
Ne lingua improbula garrulitate fluat.
Nec ſint, qui balbis feriant mihi naribus aures,
Quiq́; fremant, ſtridant, & malè uerba ſonent.
Felix ingenium pulchras ſe præbet ad artes:
Calcitrat infelix, indomitumq́; furit.
Sunt, admota igni quæ poma, ut cera liqueſcunt:
Sunt, quæ dureſcunt pleraq́;, more luti.
Cerea manſueſcunt puerorum pectora dictis:
At lutea his fieri mœreo dura magis.
Non niſi peccantes ferulam, uirgasq́; timete:
Sunt flagra apta malis, cruſtula danda bonis.

 Orbilios

Orbilios odi, qui, quos lenire decebat,
Obtundunt animos, uerberibusq; tonant.
Præceptor ſapiens, nouitq;, ſtudetq; mederi
Naturæ uitijs, & fera corda regit.
Infelix, qui ſerò ſenem ſe cernit inertem:
Infelix, de quo ſic quoq; uulgus ait:
Huic non ingenium puero, non cura magiſtri,
Non res, non tempus: defuit ipſe ſibi.
Tot flores, fructusq; bonos, herbasq; ſalubreis,
Tot dat opes, fuerit ſi bene cultus ager.
Quid mea nunc eſſet, ſi non foret uſus arandi,
Vandopera, & patriæ Lingonis ora meæ?
In ſacris autorum adytis ſunt abdita multa,
Sanctaq;, at his unquam nemo fruetur iners.
Eſt igitur uobis utriuſq; peritia linguæ
Quærenda: ad Muſas muniet illa uiam.
Vtq; duas linguas opera diſcatis eadem
Efficiam, uires ſuppeditante Deo.
De libris: omneis uobis non eſſe legendos
Cenſeo: non omnes moribus apta docent.
Credite: non aurum eſt ſemper, quod ſplendet ut aurũ,
Nec gemma eſt, omnis qui micat arte lapis.
Sunt inter Graios permulti, interq; Latinos,
Nomina uel quorum dedidiciſſe uelim.
Flaccus habet numeros puerili pectore dignos:
Præminet Aſcræi uena beata ſenis.
Quis non Virgilium, quis non miretur Homerum?
Quis non flexanimam uim Ciceronis amet?

Cultus

Cultus apud Criſpum leni fluit agmine ſermo,
Cui ſtylus eſt mira cum breuitate grauis.
Set meruit palmam, punctumq́; Terentius omne:
Tanta eſt eloquij copia, tanta uenus.
Præcipio, ignaris uos impartite libenter,
Si ſcire, ex uobis, quæ didiciſtis, auent.
Me puerum lætor ſic profeciſſe docendo,
Dicerer ut claſsis gloria prima meæ.
Lædere, furari, iurare, laceſſere quenquam,
In CHRISTI *famulos, abſit, ut iſta cadant.*
Vulpinos animos odi, fraudesq́;, dolosq́;:
Ornetur niuea ſimplicitate puer.
Cœleſtes animi uigiles, cœleſtia quærunt:
Igneus eſt ueri uerus amoris amor.
Vtilis eſt pueris ſomnus: requieſcite noctu:
Otia ſet toto ſunt fugienda die.
Sunt, qui fabellas, nugasq́; ſequuntur anileis,
Spectraq́; neſcio quæ nocte pauere ſolent.
At quibus illuxit CHRISTVS, *reſidetq́; ſub alto*
Pectore, nil metuunt: ſpemq́;, fidemq́; tenent.
Cui cordi Deus eſt, in utramuis dormiat aurem:
Set timeat, quiſquis non bene numen amat.
In nobis habitat Dominus, *ſi credimus ipſi,*
Nosq́; ſuum corpus, nos ſua templa uocat.
Fictilia hunc tantum theſaurum uaſcula claudunt,
Tantiſper, dum nos carnea maſſa ſumus.
Aſt ubi ſpiritus hic mortaleis liquerit artus,
Tunc ſibi nos iunget pignora lecta Deus.

Tunc illi ſimiles erimus, tunc mundus, & Orcus,
Et caro, terga dabunt: mors quoq; uicta ruet.
Vos Deus ipſe mihi, ueſtriq; dedere parentes,
Non ob Grammaticen, Rhetoricenq́; modò:
Verùm etiam, ut mores ſub me diſcatis honeſtos:
Eſt mihi commiſsi cura gerenda gregis.
Encelado non eſt mons tam grauis Aetna giganti,
Quàm gregis humani fert graue paſtor onus.
Vulgares linguæ Germanica, Gallica, Thuſca,
Hæ tres, ò quantum commoditatis habent.
Conflata ex uarijs eſt lingua Britannica linguis,
Pulchra tamen cultu dicitur eſſe ſuo.
Has igitur uobis diſcendas eſſe putamus,
Si tempus, ſi res, ſi pia fata ſinunt.
Vos, cùm tempus erit, ludendi & facta poteſtas,
Ludite, certantes carmine, uoce, lyra.
Corpus, & ingenium reficit pila, ludus amœnus,
Et trochus, & docta ſphæra rotata manu.
Fallite aues laqueis interdum, & arundine piſces:
Quod uulgò dicunt, omnia tempus habent.
Hos ludos probo: ſet modus eſt adhibendus in illis:
Id Græcè liceat dicere, μηδὲν ἄγαν.
Accipitres alere, & prædas captare uolando,
Retiaq; incautis ponere rara feris,
Paſcere equos, acresq; canes, contendere lucta,
Haſtisq;, & gladijs: fortibus iſta placent.
Triſtia nulla animis ueſtris adſueſcite bella:
Sanguineis dirum linquite Martis opus.

Pacis

Pacis amans noſter Deus eſt: pacem ergo colamus:
Nos, qui illum ſequimur, ſuſpicimusq́; patrem.
Filius eſt pacis, qui nil non candidus æquo
Fert animo, & nouit qui maledicta pati.
Sic dominus uult eſſe ſuos, qui mutus, & agno
Mitior, ad mortem cùm raperetur, erat.
Corporeæ ſi quis præcellit munere formæ,
Is graue fluxuri geſtat honoris onus.
Forma breui, ut flos, eſt caſura, & plena periclis:
Forma, pudorq́; ſimul uix ſine lite manent.
Formoſis ſpeculum iuxtà ac deformibus aptum
Cenſuit à Phœbo proditus ille ſophus.
Hi, ne ſe uitijs fœdent: uirtutis ut illi
Se ſtudijs ornent, ingeniumq́; colant.
Et quùm inconſpicui ſit CHRISTVS patris imago,
Pro ſpeculo uobis CHRISTVS utriſq; datur.
Hic toties, ueluti chariſſima pignora, nobis
Commendat pueros: & fuit ipſe puer.
Obſcœnos uitate ſales, & turpia uerba,
Et cane ſcurrileis peius, & angue, iocos.
Improba corrumpunt ſanctos conſortia mores:
Veſtra pium debent uerba referre ſalem.
Qui puer huc ad me lentæ teſtudinis inſtar
Serpit, & ad uulgi ludicra uana uolat:
Ille fugit lucem infelix, quæritq́; tenebras,
Et mihi dat mortis ſigna futura ſuæ.
Tempore quid, ſet quid teneris pretioſius annis?
Ah breue uer, ætas optima, prima, fugit.

Mors niſi præueniat, puero uicina iuuenta eſt,
Mox uir, mox ſenior, moxq́; cadauer erit.
Infræni iuuenes, laſciuaq́; turba, puellæ,
Et choreæ, pueris ſæpe dedere malum.
Exitio pueros tractata pecunia ſæpe,
Exitio pueros alea ſæpe dedit.
Quur multi ante diem pereunt? quur decoquit ille,
Exul hic, hic reus eſt, hic fugit, ille latet?
Culpa magiſtrorum non eſt, non tota parentum:
Naturæ genius, mens mala, cauſa fuit.
Vos uice numorum ueſtros uerſate libellos,
Hinc decus, hinc manat non mediocre lucrum.
Errant qui genitos alto ſe ſanguine iactant,
Deſpiciuntq́; ortos pauperiore loco.
Qui prodeſſe ſtudet cunctis, & nititur uni
Confiditq́; Deo, nobilis ille ſatis.
Nobilis eſt, & ſtemma gerit prænobile, cuius
Aethereus ſcriptum nomen Olympus habet.
Qui ſordet uitijs, ut ſit uel ab Hectore natus,
Hunc ſua nobilitas dedecoroſa grauat.
Sola, Dei donum, Virtus beat: huius in ædem
Inq́; adyton ſanctus dat penetrare labor.
Hac de re è Græco memini me uertere quiddā,
Autore incerto: ſic breue carmen habet:
Vt uirtute nihil conſtat pretioſius eſſe,
Res ita maioris nulla laboris eget.
Nil nimium cura: modus eſt res optima rerum,
Sic tibi ſe uirtus obuia ſponte dabit.

Virtutem

Virtutem iuuenis quondã memoratur adeptus,
Electa Alcides aſperiore uia.
Ille uoluptatis fallacis imagine ſpreta,
Egregijs factis ſe ſuper aſtra tulit.
Nos igitur pueri,qui CHRISTI uoce uocamur,
Qui CHRISTI populus,deliciæq́; ſumus:
Nos,quur nõ ſequimur uolucresq́;,alacresq́; uocantẽ?
Quur talem horremus,deſerimusq́; ducem?
Qui ſolus ſeruare poteſt,qui perdere ſolus,
Cui pater inuictum numen habere dedit?
In menſa ſic uos moderatos eſſe iubemus,
Vt qui uos uideat,iudicet eſſe probos.
Quod ſatis eſt, edite,& ſic,ut natura requirit:
Ventre calet pleno luxuriatq́; caro.
Si uinum uobis adponitur, addite lymphas
Largiter:in uobis iam ſatis ignis ineſt.
Surgite,& ex animo cœleſti dicite patri
Grates,qui ſolus cuncta benignus alit.
Immodicas epulas,irritamenta palati,
Quærant,qui curam non niſi uentris habent,
Lurcones,uentres,paraſiti,infamia ſunt hæc
Nomina,quæ quouis ſtercore peius olent.
Quantum conijcio, uerbo nil uerius illo eſt,
Quàm gladio,plureis interijſſe gula.
Hic ſi omneis uellem leges præſcribere menſæ,
Sat mihi dicturo non foret una dies.
Recta ualetudo eſt ingens theſaurus:in ægris
Vis animi membris nulla uigere poteſt.

Commeſſan-

Comeſſando igitur qui profligauerit illam,
Tempus erit ſerò, cùm ſapuiſſe uolet.
De lecto dicenda forent & multa, ſet unum
Hoc dicam: pueros non niſi pura decent.
In tenebris, & clàm fuerint quæ turpiter acta,
Omnia ſub ſolem proferet una dies.
Qui mundo genuere, his uos debetis honorem:
His quoq;, uos iterum qui genuere Deo.
Nec minus eſt, animos uobis qui format, amandus,
Quàm, qui dat miſerum corpus, uterq; parens.
Nec modò natura coniunctos dicite fratres:
Inuicem in uno omnes corpore membra ſumus.
Quum ſic conciliet nos CHRISTI *ſanguis, ab illo,*
Qui caput eſt noſtrum, degenerare nefas.
Et licet hæc properè uobis, atq; ordine nullo
Præcipiam, ſpero non nocitura tamen.
Diſcipulis carmen dederat de moribus antè,
Ingenio quidam tardus, & arte rudis.
Non ſum ego fortaßis dignus qui comparer illis
Me pondus terræ, me nihil eſſe ſcio.
Etſi illo melius nihil hîc egiſſe uidebor,
At uolui certè: ſit uoluiſſe ſatis.
Hæc ego, uos propter, ſacris è fontibus hauſi:
Tam pius eſt in uos, tam meus acer amor.
In uobis donec CHRISTVS *formetur* IESVS,
Hunc ardens animum ſollicitudo coquit.
Hic finem nondum facerem, prolixior eſſem,
Si ſineret capitis dicere plura dolor.

Oro,pijs ut me precibus,uotisq; iuuetis,
Ne Deus huic animo robur,opemq; neget.
*Eſte mei memores.*Dominus uos ſeruet IESVS
Semper,& eiuſdem dextera ſancta regat.

FINIS.

Ad eoſdem pueros. CAR. II.

Vt ſit gratius hoc opuſculum,ac ne
Sit uobis,pueri,moleſtiæ,iam
Riuos claudite,ſi libet:ruit nox.
Riuos claudite:prata ſat biberunt.

Iocatur poëta Borbonius cum pueris diſcipulis ſuis, in Pædagogium ſuum, quod trecentis uerſibus conſtat.

CAR. III.

Si mihi tot fuerint,regale nomiſma,Philippi,
Quot uerſus ad uos hic mihi Muſa dedit,
Ter centum numerabo,ſcholamq; iubebo ualere
Tunc poterit ueſtrum ludere quiſq; ſatur.
Credula gens,quid geſtitis?neſcitis,ut ipſo
Frigidius noſtro nil queat eſſe foco?

Ad nobiliſs.adoleſcentulum Claudium Rohanum,cui hic libellus dicandus erat.

CAR. IIII.

Ecce omnes,Claudi,tibi ſe debere fatentur,
Huius libelli nomine,

Omnes

Omnes cùm dico, pueros intelligo, quorum
In corda ſe dedit Deus.
Hunc tibi (cui nil non debet) mea Muſa laborem
Vt principi dicat ſuo.
At poterat uirtus quæ tecum creſcit, haberi
Libri loco, exempli loco.
Iſtaq; nobilitas uel adultis addere calcar,
Nedum poteſt æqualibus.
Quem tua non capiat forma atq; modeſtia? quem non
Diuina flectat indoles?
Parce tamen, generoſe puer, mentemq; datoris
Specta, obſecro, non quod datur.

CONSECRANDI
MENSAM CHRISTIANO
ritu, & gratias agendi formulæ, ſtudioſis puerulis obſeruandæ.

CONSECRATIO MENSAE.
CAR. V.

O Deus, ô cuius nihil eſt ſine numine ſanctum,
Omnia qui uegetas unus, & unus alis:
Dignare adpoſitis, adponendisq;, precamur,
Et nobis famulis dexter adeſſe tuis.

GRATIAE. CAR. VI.

Omnia qui in cœlo paſcis, terraq;, mariq;,
O pater, æterna pro bonitate tua:

Accipe;

Accipe, quas animis grates effundimus imis:
Noſq; tuos ſeruos in tua regna trahe.

CONSECRATIO MENSAE, GRAECE. CAR. VII.

Ὦ πάτερ οὐράνιε, ζείδωρέ τε μοῦνε, καὶ ἡμῶν
Εἷς θεὸς, εἷς σῶτερ πᾶσι χαριζόμενε,
Οἰκτήρμων καὶ ἐλευθέριος τοὺς σοὺς βλέπε δούλους,
Σοί θ' ἱρου ἡμᾶς, ἡμετέρας τε τροφάς.

GRATIARVM ACTIO. CAR. VIII.

Οἷ πεποιηκὼς τάδ' ἅπαντα, τρέφων καὶ ἅπαντα,
Παντοκράτωρ οἶος, καὶ παναριστος ἐών,
Σὸν διά σου χριστοῦ, λιπαροῦμεν, πνεῦμα δὸς ἡμῖν,
Τὰς δὲ λάβ' ἀσπασίως ἃς ἔχομεν χάριτας.

ALIA CONSECRATIONIS FORMVLA. CAR. IX.

O pater, immenſa cuius bonitate fouentur
Omnia, quæ mundi machina cunque capit,
Reſpice nos, placiduſq; animis illabere noſtris,
Qui ſumus à CHRISTO *gens tua facta tuo.*

GRATIAE. CAR. X.

Quas agimus grates, læta, pater, accipe fronte,
Qui nobis larga das alimenta manu.
Te colimus, te rex ueneramur maxime regum:
Gloria quem ſolum, quem decet omnis honos.

ADFLI-

ADFLICTIO, SEV VT VVLGO VOcant, paſſio Domini CHRISTI, in ſeptem horas digeſta.

Ad Oddonem Caſtellioneñ. Cardinalem.

HORA MATVTINA. CAR. XI.

Aurora roſeis pulchra exoriente quadrigis,
Se CHRISTVS *ultro præbuit.*
Ille, inquam, CHRISTVS, *ſapientia, ſermo, uoluntas,*
Amor, ter maximi patris.
Sponte dedit ſeſe uiolentis obuius armis,
Satellitumq; uinculis.
Cuius diſcipuli (ut duce capto exercitus olim)
Pauentes terga dant fugæ.
Proditor intereà laqueo ſe ſtrangulat ipſum,
Et pendet, & medius crepat.

HORA DIEI PRIMA. CAR. XII.

Sol oritur factus, cùm Sol non factus, ad Annæ
CHRISTVS *tribunal ſiſtitur.*
Hic falſa inſonti obiecerunt crimina teſtes.
Megera quos furiauerat.
Pulſatur colaphis, ſpuiturq;, & mitior agno
Varijs illuditur modis.
Ductus ad Herodem fit fabula, moxq; flagellis
A Pontio diſcinditur.
Corpore producens lacerum crudeliter omni,
Pilatus (inquit) Ecce homo.

Hora

HORA TERTIA. CAR. XIII.

Tertia lucis erat, populus cùm ſæuijt, hora,
Populus furore percitus.
Conclamant Iudæi omnes, iuueneſq́;, ſeneſq́;,
Tolle in crucem, Tolle in crucem.
Hic multùm uertex ſacer à nebulonibus illis
Pulſatus eſt arundine:
Rexq́; ſalutatus. quis dignè expreſſerit unquam
Ludibria, illic quæ tulit?
Inde crucem portans humeris, & pulſus ab urbe,
Ad ſupplicij uenit locum.

HORA SEXTA. CAR. XIIII.

Sexta hora, ligno clauis transfixus acutis,
Pependit cum latronibus.
Diſcipulum mätri, matrem commendat eidem,
Suorum neutiquam immemor.
Hinc uoce inclamans alta, Meū deſeris, inquit,
Deus meus, Deus meus?
Impia gens illi, ſitienti commoda noſtra,
Acetum felle miſcuit.

HORA NONA. CAR. XV.

Nona aderat tantis extrema laboribus hora,
Cùm uerba dixit talia:
Perfeci tua iuſſa, pater, nunc accipe tandem,
Tibi quem reddo ſpiritum.
Expirat, caput inclinans: at ſedibus imis
Emota tellus contremit.

Sol mœret, ſubitoq́; orbi nox incubat atra,
Velumq́; templi finditur.
Plurima quinetiam è tumulis rediuiua fuerunt
Pleriſq́; uiſa corpora.

HORA VESPERTINA. CAR. XVI.

Veſper erat, labente die, cùm cuſpide miles
Frigentis aperuit latus.
Vnde liquor duplex promânat, ſanguis, & unda:
Stant mulieres flentes procul.
Centurio obſtupuit, Væh uæh quid fecimus? inquit:
Hic filius Dei fuit.

HORA NOCTVRNA. CAR. XVII.

Tempus erat, quo ſe dant corpora feſſa quieti:
Sacrum cadauer ungitur:
Exciſoq́; nouo ſub uiua rupe ſepulchro,
Vetuſto more conditur.
Excubat ad ſaxum fruſtra, telisq́; coruſcat
Armata militum manus.
Omnia ſic fieri decuit, quæ myſtica uatum
Prædixerant oracula.
At Dominus propria uirtute, & patre uolente,
Die reuixit tertia.

D. Franciſci Delphini, liberûm Regiorum maximi, immaturam mortem deflet poëta.

CAR. XVIII.

Quid portenta ferant cœli, inſuetiq́; calores,
Neſcimus, nos, qui carnea maſſa ſumus.

Sequana

Sequana deficiens ripas oſtendit bianteis,
Sic Rhodanus, ſic eſt nobile flumen Arar.
Alba humilis uix adparet, uix Matrona reptat,
Tres fratres ſitiunt, Moſa, Garumna, Liger.
Stagna, lacus, fontes, herbæ, ſunt ſole peruſta
Omnia, terra ſiti uiſcera pandit bians.
Sunt alijs alij celebres euentibus anni,
Hic erit exhauſtis nobilis annus aquis.
Reſpice nos pater altitonans, & pectora noſtra
Nectareo factus mitior imbre riga.
Hæc ego dum ſcribo attonitus, dum talia miror
Prodigia, ignarus quid ſibi fata uelint:
Proh dolor, ecce uenit triſtis mihi nuntius, orbum
Qui Regem nato rettulit eſſe ſuo.
Heu, Franciſce, iaces, natorum maxime Regis
Franciſci, quem nunc Gallia tota gemit.
Te pater, & gemini fratres, geminæq; ſorores,
Te populus, te flent flumina, ſtagna, lacus.
Omnia Delphinum crudeli funere raptum
Flent adeò, in lachrymas omnis ut humor eat.
Aridus hic annus iuuenem deplorat ademptum,
Delitias iuuenum, delitiasq; ſenum.
Set ualeat felix anima, & requieſcat in umbra
Elyſia: cineres marmora ſacra tegant.
Nulla tuum, ô iuuenum clariſsime, ſecula nomen
Delebunt, ſi quid carmina noſtra ualent.
Qui fata heroum referent, euentaq; rerum
Poſthac, te plangent, te ſuper aſtra ferent.

In Febrim, ut dimittat D. Carolum, Franciſci regis filium.

CAR. XIX.

Febri laborat Carlus, ille filius,
Ille ille Regis filius.
O' Febris illo quid tibi cum corpuſculo?
Tenello, & delicatulo?
Quo nullus agnus innocentior fuit?
Nullus columbus mitior?
Abi Febris, quò digna es: ad coruos abi.
Reddatur ut nobis puer,
Carlus puer, quo ſunt in uno ſpes ſitæ
(Deum ſecundum) Galliæ.

In Henrici Richemondiæ Ducis D. Henrici VIII. Britannorum Regis filij obitum. CAR. XX.

Henricum rex Henricus nunc luget, & omnis
Cùm Rege flet Britannia.
O' Mors, ſi talem uiolaſti, cui tua tandem
Superſtitum parcet manus?

In gratiam Ioan. Dintauilli Poliſij, cùm Chriſtianiſs. regis orator in Britannia ageret. CAR. XXI.

Ex quo oculos ambire tuos circumfluus humor
Cœpit, & aßiduus te cruciare dolor,
Continuò mœſtæ Aonides fleuêre ſorores,
Fleuit & abiecta pulcher Apollo lyra.

Fle-

Fleuere & Charites. At ridens Cypria, dixit,
Quid ſic incaſſum uos lachrymare iuuat?
Dintauillus amat. Quid ni? potiatur amica,
Cuius baſiolo conualuiſſe poteſt.

D.H.Careo,H.Noreſio,Th.Haruæo,meis olim apud Britannôs diſcipulis. CAR. XXII.

Careus, Haruæus, Noreſius, hi mihi quondam
Fuerunt in Britannia
Diſcipuli: quos rex, & quos mihi regia coniunx
Commiſerant puellulos:
Queis tractabilius nihil, aut fingi aptius unquam
Mihi uidere contigit.
Qui me ſæpe ſuis ludendo luſibus ægrum,
Et recrearunt cantibus.
At nunc, at tandem factos mihi gratulor illos
Doctos, pios, graueis, uiros.
Et taleis deſyderio ſic flagro uidendi,
Vt filios abſens pater.

D.Marg. à Francia Reginæ Nauarræ heræ, ad quam neſcio quid epigrammatis Gallicè ſcripſerat. CAR. XXIII.

Hæc tibi cùm ſcripſi uulgaris carmina linguæ,
Incompta, dura, agreſtia:
Perfricui frontem, fateor, Muſamq́; coëgi,
Tibi impudenter obſtrepens.
Da ueniam, Regina, mei ſoror unica Regis:
Et conniuenter hæc lege.

Ad Th. Cramoëllum Anglum ui
rum clariſs. CAR. XXIIII.

Iandudum mihi dextra tinnit auris,
Et cor lætitia ſalit: quid hoc ſit
Signi, neſcio. Sed quid audio iam?
(Rumorem Deus hunc det eſſe uerum)
Euectum, Cramoëlle, te ſupra omneis
Iſtic pontifices? honoribusq́;
Auctum à Rege nouis? Britannicam'q́;
Rem, te præſule, publicam, & patrono,
Multo quàm ſolet, eſſe lætiorem?
O factum bene: iam ſcio quid hoc ſit
Signi, lætitia quòd exilit cor,
Iandudum, & mihi dextra tinnit auris.

Franciſci Delphini liberûm Regio-
rum natu maximi, tumulus.
CAR. XXV.

Quem tibi ſperaſti inuictum fore, Gallia, Regem,
Illius hæc cinerem marmora ſacra tegunt.
Incautus iuuenis, dum ludo ſudat, & æſtu,
Hauſit ab hoſtili pocula mixta manu.
Quantùm inter piſces uerrens freta cærula delphin,
Aut aquila altiuolans eminet inter aues:
Tantùm hic ante alios, forma, & fulgentibus armis,
Et genere excellens, & pietate fuit.
Hunc populi latè, hunc omnes tremuere tyranni:
Set Dijs eſt nimium Gallia uiſa potens.

Ad

Ad pulcherrimum illum Homeri locum,

Ἔσθιε δαιμόνιε ξείνων, καὶ τέρπεο τοῖσδε
Οἷα πάρεσι, θεὸς δὲ τὸ μὲν δώσει, τὸ δ᾽ ἐάσει,
Ὅττι κεν ᾧ θυμῷ ἐθέλει. δύναται γὰρ ἅπαντα.

Sic alluſimus aliquando de fortuna loquentes. CAR. XXVI.

His, hoſpes, fruere, his gaude, tibi quæ Deus offert:
Omnia, cùm lubitum eſt, datq́; negatq́; Deus.
Set tantus Deus ille quis eſt? fortuna uocatur:
Imperio cuius cuncta ſubeſſe uides.

Ad Franc Pucrium. CAR. XXVII.

Scire cupis qui ſim? ſunt alta ſilentia cordi:
Garrulitas contrà, res odioſa mihi.
Quattuor his pictum tibi me uolo uerſibus eſſe:
Omnis ut ex iſto pectore ſcrupus eat.

Ad illud uetus diſtichon Θεόγνιδος,

Οὐκ ἐθέλω πλουτεῖν, οὐκ εὔχομαι, ἀλλά μοι εἴη
Ζῆν ἀπὸ τῶν ὀλίγων, μηδὲν ἔχοντι κακόν.

Sic adluſimus Latinè. CAR. XXVIII.

Dum maneat mihi mens in corpore ſana ſalubri,
Nil magnas paruo curo beatus opes.

Chriſtophoro Richerio amico doctiſs. librum de Laudibus Deiparæ uirginis ſcribenti. CAR. XXIX.

Quod uitæ ſupereſt utriq; noſtrum,
Incertum atq; breue eſt: Eamus ergo,
Quò nos fata uocant: ſequi neceſſe eſt.
I præ tu, ſequar haud grauatè, & iſtud

Quod moliris opus, pium, atq; ſanctum,
Vt feliciter exeat, ſtudebo.

Ad D. M. Nauarræ reginam, ad quam uulgareis numeros miſerat. CAR. XXX.

Si mea Muſa placet numeris uulgaribus uſa,
Quid ſi ſub cultu prodeat illa ſuo?
Hoc eſt, ſi linguis, ut quondam, armata duabus,
Accedente tuo, ô Diua, patrocinio,
Virtutes cantare tuas, tuaq; inclyta facta
Incipiat? quis eam tunc ſuperabit olor?

Ad Gul. Lateranum, uirum doctiſs. Sacerdotio recens auctum. CAR. XXXI.

Dicite Iō, Muſæ: ueſter Lateranus opimam
Prædam hodie ueſtra gaudet adeptus ope.

Veterem illam ſententiam ἐκ τοῦ ὁρᾶν γίγνεται τὸ ἐρᾶν ſic ſenariolo adſtrinximus. CAR. XXXII.

Πολλάκις ἐκ τοῦ ὁρᾶν, δ' γίγνεται ἐρᾶν.

Quæ pulcherrima alluſio Latinè reddi non poteſt: nos ſenſum duntaxat ad hũc modum reddidimus παραφραστικῶς.

Oculorum tanta uis eſt, ut amorem creet.

Idem aliter.

Ab aſpectu caueto, amor unde naſcitur.

Aliter.

Sæpe eſt amoris cauſa, ocellus efficax.

In poëtam furacem. CAR. XXXIII.

Carmina furatus quidam mea, uendidit illa
Typographo hoſpiti ſuo:
Iam liber excuſus formis, lucrumq́; decusq́;
Adferre furi cœperat:
Cùm ſero ſublata uidens mihi pignora chara,
Malum poëtam compuli
Multa recantare, atq; meas mihi reddere plumas,
Horatij ut corniculam.

Ad illuſtriſs. heroa D. Io. à Lauallo, Caſtri Briantij in Armoricis Toparchũ, totiusq́ oræ Britonicæ præſidẽ. CAR. XXXIIII.

Obſcuros homines conſtat pleroſq; fuiſſe,
Quos uoluit pietas nobilitare tua:
Et ſæpe his oculis miſerandos uidimus olim,
Nunc quibus immenſas eſſe uidemus opes.
Vnde tuo numen cenſemus ineſſe fauori,
Teq́; ſub humano pectore, ferre Deum.
Quare ad te ſupplex, fatis ego fractus iniquis,
Confugio, & Muſis otia poſco meis.
Otia ſi per te fuero, uir maxime, nactus:
Nemo homo Borbonio ditior alter erit.
Si te ornaſſe alios laus eſt, ornaſſe poëtam
Quanta erit? & medijs eripuiſſe malis?

Ad eundem. CAR. XXXV.

Magnas diuitias, tuo fauore,
Multos cottidie aſſequi uidemus:

Nos,non diuitias,ſet otium,te,
Heros inclyte,ſupplices rogamus.

In poẽtam furacem. CAR. XXXVI.

Multa puer ſcripſi:at patrias Vulcanus in ædes
Sæuijt,& rapidis perdidit illa rogis.
Quam cladem,ſtudui iuuenis ſarcire,dediq́;
In lúcem Nugas:ſic mea ſcripta uoco.
Inde apud extremos agerem cùm ſortè Britannos,
Quidam ſe furto nobilitare uolens,
Surrepta è noſtro cumulauit carmina libro
Plurima,& emiſit,uerus ut autor,opus.
At furem erubuiſſe,ſat eſt,me ſoſpite:& illum
Indicio,ut murem,deperijſſe ſuo.
O Muſæ,ô noſtros Muſæ ſeruate labores:
Nec ſinite,in fures munera ueſtra cadant.

In eundem. CAR. XXXVII.

Numorum fures furto gaudere uidemus
Sæpe ſuo:at Muſas fallere nemo poteſt.
Carmina ſurripiet quicunq; aliena,dolebit,
Vel ſerò:& uulgi fabula fiet anus.

In impios, καὶ ἀθέους.
CAR. XXXVIII.

Eſt ubi nulla fides,& ubi reuerentia nulla,
Nullusq́; cultus numinis:
Quæ ſcelerum peſtes illic? quæ monſtra malorum?
Qui gurgites libidinum?

In fronte libelli recens impreſſi, cui titulus eſt, De corrupti ſermonis emendatione. CAR. XXXIX.

En puer, ut ſermo puerili purus in ore
Creſcat, & ad coruos omne ſolœcon eat:
Hunc tibi dant librum emendatũ, impreſſor, & autor:
Nam fauet ex animo rebus uterq; tuis.

Io. Paluſio, & P. Tegulario, egregijs medicis. CAR. XL.

Si uerum eſt, quod ait uatum fons uiuus Homerus,
Καὶ τὸ κλέος μουσῶν μέγα,
Vos duo, qui medica inſignes præcellitis arte,
Ἐν καρποφόρῳ τῇ Γαλλίᾳ,
O quanto, ante alios multos, digni eſtis honore,
Οἷν χερσὶ σωφρονεῖ θεός.

Ad puerum ſuum. CAR. XLI.

Εἰ φιλέεις τὸν σόν με διδάσκαλον, ὥσπερ ὀφείλεις,
Ὦ παῖ, τῆς φωνῆς φίλτατ' ἄκουσον ἐμῆς.
Φεῦγε κακούς, ἀγαθοὺς δὲ σέβου, μάθε γράμματα καλά,
Πάντα ποιῶν μὴ σὺ εἵνεκεν, ἀλλὰ θεοῦ.

Deorum aliquis conqueritur de hominibus, ex Homero. CAR. XLII.

Hei mihi, quur homines cœleſtia numina damnant,
Dicentes, ipſis cauſam nos eſſe malorum?
Quum ſibi uecordes dent, præter fata, dolores.

Salmonio Macrino poëtæ. CAR. XLIII.

Nil adeò obſcurum eſt, quod ſi illuſtrare Macrini
Muſa uelit, nequeat clarius eſſe die.

Quare,

Quare, ut amicitiam noſtram ſic, optime uatum,
Nunc notam paucis, omnia ſecla ſciant.

Chriſtophoro Richerio. CAR. XLIIII.

Curas, amice, omneisq; animi ſcrupos graueis,
Ponamus, & dum uer adhuc
Aetatis eſt, uiuamus: & freti Deo,
Rectaq; conſcientia, &
Securi ab improbis canum latratibus,
Muſas colamus optimas.

Ορῦνος è Græco Σαμίκ. CAR. XLV.

Vt folia è ſyluis (ego non incognita narro)
Autumni primo frigore lapſa cadunt:
Sic ego adhuc iuuenis miſeranda tabe ſeneſco,
Quem magis exuccum pumice reddit amor.

Ad Salmonium Macrinum poëtam. CAR. XLVI.

Odarum lepidus liber nouarum
Emiſit tua quem, Macrine, lima,
Vt uerum fatear, mihi pudori eſt.
Nam quum ſint alij ſubinde in illo
Tot laudati homines amici, amicus
Infelix, tacitus relinquor unus.
Qur ſic prætereor? quis omnium te
Obſeruat magis, æſtimat'ue pluris,
Macrine, atq; ego? quis tuam beatam
Venam, quis Veneresq;, Gratiasq;,
Miratur mage carminum tuorum?
At quando Hectora poſſe Neuianum

Me deſpero imitarier, nec à te
Laudato ualeo uiro (ut uolebam,
Vt flagranter, & obſtinatè auebam)
Vel micam mihi comparare laudis,
Nullum non lapidem mouebo, ut ipſe
Per me præſtem aliquid, quod omnis ætas
Laudet. Quod facilè adſequar, boni Dij
Si Muſis dederint meis quietem.

In Gargilianum. CAR. XLVII.

Inguina qui pueri tractas, & turpiter hærens
Quod fœdum dictu eſt, Gargiliane, facis:
Quur te, hominũ peſtẽ, et monſtrũ fert terra nefandũ?
Quur non te uiuum deuorat Orcus hians?

E Græco ἀδίασοτρ. CAR. XLVIII.

Adſit copia rerum, erunt amici
Tot præſtò tibi, quot uoles, beato.
Deſit quod numeres, erunt amici
Nulli: ſolus eris tibi ipſe amicus.

Gallæ meretricis tumulus. CAR. XLIX.

Galla ſub hoc ſaxo iacet, illud nobile ſcortum,
Quæ iuuenum exitio milia multa dedit.
Hic Galla illa iacet celebris, ſemperq́; iacebit,
Dum caua defunctos excitet ære tuba:
Illa tuba, ad cuius clangorem corpora oportet
Omnia ad extremum ſurgere iudicium.

Salmonio Macrino poëtæ. CAR. L.

Si mihi iucundum eſt cuiuſuis carmen, amice,
In quo ſit noſtri mentio facta frequens,

Hoc

Hoc eſt, quo lauder uates, & temporis huius
(Corda uelint nolint inuida) Naſo uocer:
Quantò me tua Muſa magis, Macrine, beabit,
Si modò promiſsis illa ſtetiſſe uolet.

Ad eundem. CAR. LI.

Macrine, ſi ut muli ſumus
Poëtæ, quur identidem
Nos non fricamus mutuò?
Frico ergo te, me refrica.

In inuidum quendam nomine Megeram. CAR. LII.

Conueniunt perſæpe ſuis data nomina rebus:
Ecce Megera audis nomine, re furia es.

Εἰς τὸ αὐτόν. CAR. LIII.

Dicta Megera olim furia eſt & fœmina, quæ nunc
Eſt furia in furiam fœmina uerſa marem.

Macrino Salm. poëtæ. CAR. LIIII.

Aeternum toties, Macrine, nomen,
Quod nobis tua Muſa pollicetur,
Fac præſtet: nihil eſt enim quod optem
Suſpirem' ue magis: quid ergo ceſſas?
Fac ut poſteritas loquatur omnis
Olim, Borbonium fuiſſe quendam
Nugarum artificem, & poëtam ineptum, at
Muſarum domini Macrini amantem.

Clemẽtis Maroti poëtæ Gallici laus. CAR. LV.

Carmina quæ ſcribit Gallo ſermone Marotus,
Viuent, dum uiuent & tua, magne Maro.

In fronte Elegiarum recens ab Alneto Vindocino poëta editarum. CAR. LVI.

Quiſquis es, ore faue, & noua carmina candidus audi,
Carmina Vindocinus quæ modulatur olor.
Non ſemel & Muſæ audiuere, & Phœbus Apollo
Hoc melos, & poſitis obſtupuere lyris.
Tale ſacer uates, clarum cui nomen ab Alno,
Edidit, ingratum nec fore ſperat opus.

In quempiam è Græco ξαμίν. CAR. LVII.

Eſſe uirum dubitat nemo hunc, qui fœmina non eſt:
Atqui uir non eſt patiens muliebria: ſet nec
Eſt mulier, natura marem quem fecit: at idem
ἀνὴρ ἐςὶ γυναιξὶ, γυνὴ δ᾽ ἀνδράσιν ἐκεῖνος.
Pudet proferre cætera,
Quæ fama de te, per fora,
Per compita, & loca omnia
Suſurrat. ob tam turpia,
Dictuq; fœda, non meam
Contaminabo paginam.

Ex uulgari carmine Clem. Maroti iocus. CAR. LVIII.

Claudebat dominæ latus adcumbentis amator,
Vna ex aduerſo fortè maritus erat.
Exarſit iuuenis, totuſq; intentus amori
Dextra fœmineos ſerpſit ad uſq; locos.

u *Illa*

Illa ſimul,furtim læuam demiſit:at ingens
Mentula per medias iuit utrinq; manus.
Tum trepida exilijt mulier,ſubitoq́; ſiniſtram
Dum reuocat,coniunx,uir malè cautus,ait:
Ah uxor,cultri´ne acies te læſit?at illa
Non,non,reſpondit,nam capulo tenui.

Ad Stellam. CAR. LIX.

Si me uel medio foro iuberes
Saltare,immemorem & mei,& pudoris,
Parêrem:Quid enim imperante Stella,
Muſarum domino,miſer negarem?
Ergo deſine flagitare Nugas,
Nugas edo meas tuo periclo.

Ad eundem. CAR. LX.

Aſsiduis precibus me,Stella,obtundis,& urges,
Vt patiar Nugas euolitare meas.
Ceu uerò ipſe uelim tibi non parêre,uel auſim:
Dicere ſat fuerat:Sic uolo,ſic iubeo.

E' Græco Σαμίου,in mulieres,quod ex prouerbiali illo ſenario ſumptum eſt argumentum, πῦρ, καὶ θάλασσα, καὶ γυνὴ κακὰ τρία. CAR. LXI.

Quis tempeſtates pelagi & diſcrimina dicat?
Quæ rapidis fluuijs res uiolenta magis?
Quid bello?quid peſte?quid eſt rabioſius igni?
Set quid pauperie triſtius,atq; fame?
Haud dubiè hæc mala ſunt:At,ſi quæ beſtia noris
Sit mulier,diſces cætera ferre mala.

M. Salmonio poëtæ. CAR. LXII.

Patria, Salmoni, tua Iuliodunia ſic te
Vate tumet, lyricis nobilitata tuis:
Vt tanquam è cœlo illam cætera Gallia lapſam
Suſpiciat: partem nec putet eſſe ſui.

De eiuſdem poëtæ patria.
CAR. LXIII.

Iulia Macrinum genuit quæ terra poëtam,
Gallia quo fœlix, noſtraq; ſecla tument:
Illa ſui lyricis ſic cœlo æquatur alumni,
Vt Muſis nuſquam ſit mage grata domus.

Iacobo Borbonio fratrum minimo. CAR. LXIIII.

Dum per ætatem licet, optimarum
Compara fructum tibi litterarum:
Iſtud & ſanctis puerile pectus
Moribus orna.
Si meis pares monitis, & ultro
Vis ſequi, quò te uoco, quid uetabit,
Quò minus mecum rapiare ſupra
Aethera uates?
Semper impigros, Iacôbe frater,
Pallas, & Muſæ, pueros amarunt:
Set ueternoſos fugitant, & ipſe
Odit Apollo.

Franciſco Pucrio. CAR. LXV.

Multis tibi nominibus debeo gratias
Agere, Pucri, fateor, uir illuſtriſſime:

Set hoc potiſsimum nomine,ut interpretor,
Quòd me tuo fauore dignum duxeris.

Carolo Pucrio. CAR. LXVI.

Ad fratrem cùm ſcribo tuum,ad te,Carole,ſcribo:
Nam duo ſic eſtis,mens inſit ut una duobus.

De paſſere mortuo Lampadis puellæ, ex uulg. Maroti. CAR. LXVII.

Paſſer mortuus eſt,flete puellæ:
Paſſer Lampadis:heu non niſi in alis
Qui plumas habet, eſt funeris autor.
Hic,ille,ille,uiden'?ille Cupido eſt.
Nempe,is dum petulans uirginis unà
Colludit gremio,atq; ignibus illam
Fruſtra ſollicitat, gutture ſtricto
Occidit miſerum paſſerem,& huius
Victricem dominam morte reliquit:
Flete omnes igitur,flete puellæ.

De ſe,Publioq; & Paphio. CAR. LXVIII.

Publius & Paphius ueluti duo corpora uiuunt,
Quæ duo ſunt,unum corpora pectus habent.
His ſi Borbonium addideris,tria corpora cernes,
Inuenies'q; unum pectus ineſſe tribus.

Ad Macrinum Salmonium ſuum, inter equitandum. CAR. LXIX.

Hos lege ſex uerſus uultu,Macrine,ſereno,
Quos tibi præcipitat Borboniana manus.
Ni ſtrepitus,ni turba ingens obſtaret,& æſtus,
Ni nimium celeres hoc faceremus iter,

Ni clades aliò noſtrorum audita uocaret,
Iſtuc nos curſu præpete ferret equus.

Ad Iac. Baratanum amicum, ex eodem itinere præproperè.
CAR. LXX.

Etiam ſalue atq; etiam, uir candidiſsime:
Famulum meum hunc ea ad te mitto gratia, ut
Quid agas, & quàm ualeas rectè, certò ſciam.
Niſi de uia eſſem feſſus, iſtuc perlubens
Rectà aduolaſſem: nam deſiderio tui
Videndi flagro. uale charum mihi caput.

In ineptos huius temporis uerſificatores, ad Thomam Sertinum Florent. CAR. LXXI.

Hodie uides, Sertine, multitudinem
Scribentium nugalia.
Vides, & interim furentum inſaniam
Rides, & intus conditis
Membranulis, in annum tua nouum premis
Olim exitura carmina.
Sapis profectò. ego uerò ad exemplum tuum
Poſthac ero prudentior:
Nec ultrà præcipitabo uerſiculos meos.
Sic (inquies) ſerò Phryges.
Fateor. ſet iſthuc ſero, quàm nunquam, mihi
Multo uidetur tutius.

De ſeipſo. CAR. LXXII.

Viribus ingenij cœlum tranſcendere poſſem,
Ni me paupertas triſte grauaret onus.

F. Pucrio, ſcripſit æger. CAR. LXXIII.

Tu ſi uales, Pucri, bene eſt: ego ualeo,
Aeger ualere ſi poteſt.
Nam langueo, relapſus in febrim, miſer,
Imò omnium miſerrimus.
Niſi me Dij reſpiciunt, de Borbonio tuo
Actum eſt. uale mei memor.

Ad eundem, Virgilij ὑποκριτής.

CAR. LXXIIII.

Sic mortem mea mens inſtantem expectat, & optat,
Ipſa ſui memor, atq; operum ſpe læta ſuorum,
Vt uir fortis apro obſiſtit per opaca ruenti
Syluarum, ferri mucrone armatus, & arcu.

Io. Lemoſto, Spinæ domino, medicoq; Lauallenſi. CAR. LXXV.

Hippocratem nemo eſſe negat te temporis huius,
Lemoſte, ò nimium cognite ſerò mihi.
Ars tua ni noſtro expulerit de corpore febrim,
Ferre ego non uideo qui mihi poßit opem.

Diſtichon, quod die acceſſus febris, hoc eſt, quo febris ſolebat recurrere, fecit. CAR. LXXVI.

Sol oritur clarus: ſuperi, uos oro, uelitis
Hunc ſine febre mihi præterijſſe diem.

In Medicos, æger ſcribebam.

CAR. LXXVII.

Tabeſcat miſerè macilentum corpus oportet,
Cui medici potumq́; negant, eſcamq́; ſalubrem:
Subiectæ uelut abſumunt ligna arida flammæ.

Franciſco Tuano Pariſieñ. amico.

CAR. LXXVIII.

Febre laborantem ſi non ſolaris amicum,
Vix ſe quatriduum uiuere poſſe putat.

Ioan. Sciurello medico, & amico.

CAR. LXXIX.

Si febris, capitisq́; dolor non eſſet, haberes
Et plura, & noſtra carmina ſcripta manu.

Ad eundem. CAR. LXXX.

Reſcribe, oro, mihi frater, quibus artibus utar,
Vt poßim ſomnos conciliare mihi.

Θρῆνος ad Muſas. CAR. LXXXI.

Siccine uos Muſæ, uos, ueſtri corpus alumni
Tam longa ſinitis debile tabe mori?
Iam totum in tepido menſem decumbere lecto
Cogor, & optatis arceor æger aquis.
Ignauorum hominum quum tot magis apta ſuperſint
Membra malis, ſucco corpora plena bono:
Efficite in taleis noſtra aut incommoda migrent
O diuæ, aut me alio (quæſo) leuate modo.

Ad F. Pucrium. CAR. LXXII.

Nuper anhelanti medio mihi febris in æſtu
Turbabant ægrum ſomnia uana caput.

At mihi imago tui poſtquàm ſeſe obtulit ultro,
Ore hilari, Pucri, quod ſolet eſſe tuum:
Muta diu ante oculos ſtetit, & duo uerba locuta,
CRAS BENE: *conſpectum liquit, ut umbra, meum.*
Conualui ſubitò, medicisq; ſtupentibus, omnis
Prorſus ab hoc noſtro corpore febris ijt.
Et color, & uires redeunt. ergo optime Pucri,
Abſens, ut præſens fers mihi numen opem.

Ad eundem. CAR. LXXXIII.

Quid hoc monſtri aut miraculi eſt? ego ultimis
In Britonum ſum finibus,
Et Pucrius media agens procul in Gallia,
Præſens adeſt mihi ut Deus.
Nam febris hæc quæ iandiu corpuſculum
Miris modis exhauſerat,
Reliquit me, ſimul ac mihi ille apparuit
Hac nocte, dicens, CRAS BENE.
Nunc ſurgo ſaluus: ò Pucri ſacrum caput,
Qui gratias dignas agam?

In Marcũ medicum malũ. CAR. LXXXIIII.

Vis, Marce, uis ut mox ope
Tua reuiuiſcam? hinc abi.

De eodem Marco, & Charonte.
CAR. LXXXV.

Portitor infernus traiectis manè tot umbris,
Quas fudit Marci dextera, feſſus ait.
Ex obolis, quos ſum te tot curante lucratus,
Diues emam cymbam cras tibi, Marce, nouam.

Ad

Ad Gallum Cryſium diſcipulum meum. CAR. LXXXVI.

Diſcipulos multos melioreis eſſe magiſtris
Ait uetus parœmia.
Quis te diſcipulum noſtrum, doctiſsime Galle,
Vnquam fuiſſe crederet?

Henaldo amico. CAR. LXXXVII.

Vt ceruus ſitiens fontanas cogitat undas,
Sic nequeo Henaldi non meminiſſe mei.

Bernardo Badeto Iureconſ. D. Lautreci nobiliſs. adoleſcentis præceptori. CAR. LXXXVIII.

Si uelit, à culpa nemo eſt quin poſsit abeſſe:
At uitat cæcæ ſpicula nemo Deæ.
Quos Fortuna facit miſeros, non culpa, putamus
Humana dignos qui releuentur ope.

Ad eundem. CAR. LXXXIX.

Regina optima ſi fauet, fauentq;
Si nobis Lateranus, & Mainus,
Felices ſumus his tribus patronis.

Ad eundem. CAR. XC.

In igne nunc ferrum eſt tuum, iuxtà ac meum.
Noſtin' uetus prouerbium?
Hoc eſt, utriſq; noſtrum agitur negotium:
Tu quid futurum ſit, uide.
Vtcunq; res cadet, feliciter cadet,
Si nos Deus dignabitur.

Reſpicere,& noſtris annuere conatibus:
Poteſt ille unus omnia.
Vale uir egregie,& Borbonium,*quod facis,*
Amare perge mutuò.

In impios. CAR. XCI.

Praui mens hominis,mens cæca,& neſcia ueri,
Mens ſibi non recti conſcia,ſic loquitur:
Quur mala tot patior? quur me genuere parentes?
Fortunáq; miſer quur ut ab hoſte petor?
Quis non incuſet cœlum? quis non neget uſquam
Eſſe æquum? quis non perneget eſſe Deos?

Εἰς γάμον, ad Ambroſium Pamphilum adoleſc. CAR. XCII.

Ἂν γαμέοις, καλὴν ἕξεις ἢ αἰσχρὰν ἄκοιτιν,
Εἰ καλὴν, κοινὴν, εἰ δ' αἰσχρὰν Πάμφιλε, ποινήν.
Οὐδέτερον καλόν ἐστ'. οὐκ ἔστι γαμητέον ἄρα.

Poëta uerbis Pamphili ſic reſpondet.

CAR. XCIII.

Εἰ καλὴν ἕξω, οὐ ποινὴν Βωρβόνι' ἕξω,
Εἰ δ' αἰσχρὰν, κοινὴν οὐχ ἕξω, ληπτέον ἄρα.

Poëtæ conſilium ad eundem.

CAR. XCIIII.

Ὀφελίμου βουλῆς τῆς μνώεο Πάμφιλε, μορφὴν
Οὐχ ἑτέροις κοινὴν, καὶ οὐ σοὶ ζήτεο ποινήν.

Ἀδίασσον illud Ἄξεις ἂν ἢς ἄγαμος,
& cætera, ſic obiter reddidi
mus. Ad Aulum Pl.

CAR. XCV.

Nil uideo quod te,dum cœlebs uixeris,angat,
Aut quur te uitæ tædeat,Aule,tuæ.

At

At ſi(Dij nolint)tempeſtas te auferet illa
Coniugij,inuenies omnia plena malis.
Prolis (ais) cauſa uxorem uolo:ſint tibi nummi,
Filij erunt.nemo pignora pauper amat.

In Ponticũ impuriſs.nebulonẽ. CAR. XCVI.

Te uelut in ſpeculo oſtendam tibi,Pontice,poſtquàm
Fata uolunt calamum te ſubijſſe meum.
In toto nullum eſt expers tibi corpore membrum
Flagitij:lingua eſt uana, cruenta manus,
Cor cerui atq; pedes:quæ dicere non queo honeſtè,
Podice carnificis ſunt inboneſta magis.
Hæc tamen baud obſtant,homo quin uidearis:at iſta
Mens laruam aut genium te facit eſſe malum.

In ſeipſum. CAR. XCVII.

Quum ſit in hac uita libertas nomen inane:
Quum nequeat quiſquam uiuere liber homo:
Quur mortis formido diem,quæ carceris huius
Finis,& æternæ porta quietis erit?

R.P.Franciſco Turnonio Card.
CAR. XCVIII.

Integritas uitæ,pietas,facundia,forma,
Opes,genusq; heroicum,
Iſta tibi,ſi cuiquam alij,feliciter adſunt:
Franciſce,præſulum decus.
Quapropter,meritò fulges rutilante galero,
Sacræq; honore purpuræ.
Sis felis,factumq; legas ex tempore carmen:
Et literis faue,ut ſoles.

Iocus

Iocus ad Rubellã puellam. CAR. XCIX.

Cùm das baſiolum, Rubella, nobis,
Summis tunc mihi de tuis labellis
Imas tranſit ad oßium medullas
Nectar: tunc ego Gallicum illud, Helas,
Hoc eſt, hei mihi, dico: nam roſetum
Et flos omnis, ad os tuum, eſt oletum.

Ad Carolum Turnonium præſulem
Viuarieñ. deſignatum. CAR. C.

Et memorem noſtri eſſe ſcio te, Carole, ſemper:
Et bene Borbonio te ſcio uelle tuo.
Et licet in uulgum mendacia ſpargere rumor
Gaudeat, uſq; manet mens tua firma tamen.
Semper honorificè de nobis, Carole, ſentis,
De nobis loqueris ſemper honorificè.
Adfirmare tuis etiam de fratribus auſim,
Tecum omneis animo ſcilicet eſſe pari.
Quare ego, qui ingrati nomen, cane peius & angue,
Odi, te his oculis, Carole, geſto meis.
Tu mihi in his hæres, domus & tua tota, medullis,
Eripere hanc mentem mors mihi ſola poteſt.

Ad eundem. CAR. CI.

Quicquid ſuſurret impius
Rumor, per ora liuida,
Per ora eorum, qui mihi bonisq; obſiſtere omnibus
Auent, meæ innocentiæ
Tu perge adeſſe, Carole.

Quod

Quod ſi facis, ſaxo breui, ut
Rumor faceſſat impius.

E` Græco τοῦ Σαμίου. CAR. CII.

Sunt ueluti gemmæ, ſunt rara atq; aurea uerba,
Quæ loquitur prudens, & graue pondus habent.

ἐκ τοῦ αὐτοῦ. CAR. CIII.

Multa opportunè qui nouit dicere, felix,
Felix, qui nouit multa ſilere loco.
Ille ſapit, qui ſcit non diuulganda ſilere:
Ille ſapit, qui ſcit dicere multa loco.

In Marcellinam. CAR. CIIII.

Facturam mihi copiam tui te,
Marcellina, negas, tibi prius quàm
Bis ſenos numerauero Philippos:
At longum iubeo ualere cunnos
Omneis, unius aßis æſtimandos.
Oh, oh, non emo pœnitere tanti.

Hieron. Fondúllo homini doctiſs. CAR. CV.

Etſi iſtud os adhuc nouem Muſis ſacrum,
Fondulle, non uidi tuum,
Amo unicè tamen, &, ut debeo, ueneror:
Nec ſum tui tam neſcius,
Debere quin tibi ſtudioſos artium
Sciam optimarum plurimùm.

Ad optimæ ſpei adoleſcentẽ D. Henricũ Lautrecum Fuxæum. CAR. CVI.

Officium feci, & famæ ſine uulnere uixi:
Hoc laudi & lucro debuit eſſe mihi.

At

At perijſſe uides operam mihi: ſcilicet (ut ſcis)
Gratia ab ingratis nulla redire poteſt.
Quos mihi patronos Mecœnatesq; putabam,
Speranti, præter uerba, dedere nihil.
Ergo confugio fatis urgentibus ad te:
Tun', Henrice, mihi, tu'ne negabis opem?
Tu'ne (inquám) cunctis ego quem ex heroibus unum
Elegi, Muſas qui tueare meas?

Egregiæ indolis adoleſcenti D. Claudio Vidoni Lauallo. CAR. CVII.

Si mihi apud fratrem, ô clara ſate ſtirpe Lauallc,
Defueris, quid agam? nil mihi reſtat opis.
Sin illum mihi concilias, retinesq; fauentem,
In cœlo nolim proximus eſſe Ioui.

In Venerem & Cupidinem. CAR. CVIII.

Quur nouo nobis iecur igne fruſtra
O' Venus, tentas? Dea ſtulta, neſcis
Nos tuas flammas nihili, tuumq;
Pendere numen?
Quid mihi tecum, puero'q; cæco?
Cuius ignitis (fateor) ſagittis
Sæpe ſum læſus, iuuenilis olim
Dum tulit ætas.
Tum tibi pluſquàm decuit, tuoq;
Parui nato: quis enim Deorum
Quis uirûm, quis non (modò ſenſus illi
Adſit) amauit?
At meum pectus meliore flamma

Nunc

Nunc flagrat,nec ſum,uelut antè,cæcus:
Vror,at qui me coquit,eſt pudicæ
Palladis ignis.
Hic amor non eſt ſuperandus ulla
Arte quam calles,nec eum repellas
Vt tibi cedat:mihi nam medullis
Hæret in imis.
Ergo uenatum,Venus & Cupido,
Ite iam,quò uos aliò uoletis.
More quòd ueſtro mihi ſi moleſti
Pergitis eſſe,
Res erit uobis citò cum cruento
Gorgonis uultu,clypei ſub orbe
Quem tegit Pallas.quid?adhuc manetis?
Vertite terga.
In pedes iam uos date,ſcorta fœda
Eſtis,& molles nimium,nec huius
Vim Deæ(quæ me ſibi conſecrauit)
Ferre poteſtis.

E' Græco ferè τοῦ Εὐριπίδου in Hecuba.

CAR. CIX.

Qui fit,ut inter tot terræ omniparentis alumnos,
Arbitrio poßit uiuere nemo ſuo?
Illè inhiat nummis,fortunæ hic ſeruit iniquæ,
Illum plebs,hunc mos,ſcriptaq; iura premunt.
Hæc omneis homines faciunt incommoda ſeruos:
Nec quiſquam,niſi poſt funera,liber erit.

D. Henrico Lautreco hero. CAR. CX.

Paruam quidem, ſet elegante artificio,
Mitto tibi crumenam, here,
Rubellæ opus meæ: quæ longè cæteras
Præcellit una uirgines,
Acu, lyra, cantu, pudore, gratia,
Forma, arte, diligentia.
Munuſculum ergo hoc gratum habe, heros inclyte,
Fecere quod caſtæ manus,
Manus Rubellæ: cuius amore langueo,
Et in dies uror magis.

Ex Eſaiæ capite XLVIII. CAR. CX.

Hæc ſunt Eſaiæ clamantis uerba prophetæ,
Cùm docet, haud quæuis ſacra placere Deo,
Et monet Abramidas populos, non quælibet eſſe
Munera, placari ſe quibus ille uelit.
Veſtra mihi non ſunt (inquit) ieiunia cordi:
Quid premitis ſicca corpora ueſtra fame?
Non cineres capiti aſperſi, non horrida ſacci
Tegmina ſunt Cilicum munera grata mihi:
Lædere quum fratres ſit prona licentia uobis,
O Solymi. at quæ ſint diſcite grata magis.
Soluite onus preßis, nec litibus addite lites,
Nec damnum cuiquam, nec fabricate dolos.
Si cui deeſt quod edat, miſerantes frangite panem,
Atq; in ueſtra hominem ducite tecta uagum.
Contegite & nudos, inopem ridere cauete:
Talia ſunt quæ uult ueſter, amatq; Deus.

Talia

Talia qui curant, cedent fœliciter olim
Omnia, & è cœlo lux orietur eis:
Qualis, mane nouo, formoſum & amabile ſydus,
Exurgens puro Phoſporus igne micat.

In Hallam mulierem. CAR. CXII.

Te tuus, Halla, nimis dicit prurire maritus:
At melius Græcè diceret ἱππομανεῖν.

In Morum. CAR. CXIII.

Et uidi, & noui quendam cognomine Morum,
Καὶ τ' οὐνόματος μάλ' ἄξιον.
Is, licet obſcuris planè natalibus ortus,
Σχεδόν τι γηγενὴς βροτός.
Diuitijs nuper magnis, & honoribus auctus,
Τῆς ψευδομένης κακῶς τύχης;
In populum, regemq; ſuum (quis crederet?) egit
Θεομισῶς καὶ τυραννικῶς.
Audax uſq; adeò, ut de ſe ſit dicere ſuetus,
Μωρὸς καὶ ἄμμορος μόνω.
At nuper miſero ceruix eſt icta ſecuri.
Ὦ Μωρὲ ὠκύμορε πομφόλιξ.

Ad pulcherrimum illud τοῦ Θεόγνιδος diſtichon,

Μηδὲν ἄγαν σπεύδειν, πάντων μέσ' ἄριστα, καὶ οὕτως
Ἕξεις τῶν ἀρετῶν, ἥνδε λαβεῖν χαλεπόν.

Alicubi ſic adluſimus. CAR. CXIIII.

Maturè propera: rebus modus omnibus adſit:
Sic tibi ſe Virtus, ut ſuperata, dabit.

Ad Iacôbum Borbonium, fratrum natu minimum, in Lingonenſi gymnaſio agentem, epiſtola. CAR. CXV.

Tu minimus fratrum quum ſis, Iacôbe, meorum,
Vixdum annos natus quatuor atq; decem,
Per patriam, maneſq́; pios, cinereſq́; parentum,
Quos tumulo tellus Vandoperana tegit:
Dum tibi ſe indulget breue uer, & flexilis ætas,
Aureaq́;, & nunquàm quæ reditura fugit,
Oro, ut ſic Muſis inhies, ſic oderis omnem
Deſidiam, ingenium ſic puerile regas:
Clarius ut reddas noſtrum nomenq́;, genusq́;,
Et facias quæ non carmina tempus edat.
O' utinam ſacri princeps Heliconis Apollo
Labra Caballino ſic tibi fonte riget,
Sic faueant tibi Pierides, dicaris ut olim
Borbonio melior fratre poëta tuo.
Spes fore te magnum mihi multa adfulget, & omnes
Qui ueniunt iſtinc, omnia læta canunt.
Te referunt natum ad Muſas, & ad omnia ſumma,
Te puerum dicunt indolis eſſe probæ.
Et Dea poſthabitis (ut fama eſt) Pallas Athenis,
Vrbis Lingonicæ cœpit amare ſolum.
Vnde iſtic lingua doctos utraq; magiſtros
Audis: id quod non fata dedêre mihi.
Barbaries etenim toto regnabat in orbe,
Me puero: & Græcè diſcere, crimen erat.

Quare age, mi frater, fac quod facis, impiger aude
  Eſſe aliquid: ſic uir, ſic eris alter ego.
Nam puto me, & ſpero, iandudum hoc eſſe lucratum,
  Nomen ut obſcurent ſecula nulla meum:
Perge meo exemplo fieri immortalis: & ætas
  Dum ſinit, ad palmam, quam tibi monſtro, ueni.

Ad eundem. CAR. CXVI.

Mi frater, eſt tibi præceptor optimus:
  Eum (ut patrem) colas uelim.
Eiq; plurimam, & condiſcipulis tuis,
  Ex me ſalutem nuncies.

È Græco ἀδέσποτον. CAR. CXVII.

Prima hominis par eſt uiolis uernantibus ætas:
  Set ſequitur nimium mors citò, uel ſenium.

Ad Lucium Stellam. CAR. CXVIII.

Inuidus eſt quidam, qui nobis, Stella, minatur,
  Ὃς κραδίην ἐλάφου, καὶ κυνὸς ὄμματ' ἔχων.
Ille foret (fateor) noſtrum metuendus utriq;,
  Ὡς ὄλεθρος, λοιμός θ' ὡς ἀΐδαο πύλη,
Cognita ni leuitas hominis tota eſſet in urbe,
  Πάντοθεν ὃν ἐν πᾶσιν παῖδες ἄγουσ' ἀγορᾷ.
Quur nomen taceo? Charidemus dicitur ille,
  Οὐκ ὀβολῶν ὀλίγων ἄξιος, οὐδὲ τριχός.
Et iam ala ſentit ſe corripuiſſe cicadam,
  Καὶ τὴν ἄγει θανάτου μοῖρα τέλος δὲ κακή.
Dormi igitur Stella utramuis ſecurus in aurem,
  Τί βλάπτειν δύναται βίος ἐκεῖνος ἰών;

Franciſco Pucrio à Beneſtæa cũctan ti. CAR. CXIX.

Quum regina tibi patientem commodet aurem,
Tuoq; ab ore pendeat,
Quis furor impediat, quo me minus acriter illi
Muſasq; commendes meas?
O utinam ſcires, & tu, & Regina, quid optem, &
Quàm ſint honeſta, quæ peto.

Carolo Pucrio eiuſdem Franciſci germano. CAR. CXX.

Frigere ſi tuum uides
Fratrem in meo negotio,
Illum excita, mi Carole:
Per te caleſcet plus ſatis.

Galliæ laus. CAR. CXXI.

Vt ſophiæ ſtudijs, dicendiq; artibus olim
Græcia, ſic belli Gallia laude tumet.

Io. Frotæo Reginæ Nauarræ à ſecretis. CAR. CXXII.

Mainus ille noſter, uir doctiſsimus,
Et litterarum ingens decus,
Retulit mihi quàm beneuolo animo in me ſies,
Quàm res meas ſaluas uelis:
Quare habeo gratiam, & te, per genium tuum
Oro, fidemq; iſtam tuam,
Communi heræ quæ te Reginæ amabilem,
Et omnibus gratum facit,

Amare

Amare me perge in dies magis ac magis:
Meq; in tuis, Frotæe, habe.

In quendam. CAR. CXXIII.

Quum ſoleas olidos ſcortorum lingere culos,
Oſcula quid mirum ſi tua ſtercus olent?

Io. Vulteio Remēſi amico. CAR. CXXIIII.

Diſcordiam uolens ſerere inter nos duos,
Noſtrumq; amorem extinguere:
Voces nefarias, rumoresq; impios
Liuor malignus ſparſerat.
At liuor ipſe, Vultei, operam ludere
Dolens uidet ſe, & ringitur.
Nam noſter æternus amor, & fixus, uelut
Clauo trabali, permanet.

In Charidemum. CAR. CXXV.

Πάντος ἔχεις Χαρίδημε λίθου στεριώτερον ἦτορ,
Κλαιούσης ἀμελῶν σῆς γλυκερᾶς ἀλόχου.
Οὐ γὰρ ἔνεδρ' ἐστὶν, καὶ οὐ τεχνικὰ δάκρυα ταύτης,
Οἷα τὰ τῶν ἄλλων πολλάκι θηλυτέρων.
Δὴ πὰρ Νικόλεω νεοπρώτου σοῦ ὑπεραλγεῖ,
Ὅν περ ἐλευθέριον καὶ φίλον εἶχε νέον.

D. Henrico Lautreco Fuxæo, hero. CAR. CXXVI.

Hinc abiens, niſi me adfatus placido ore fuiſſes,
Eſſet ſpes animo nulla relicta meo.
Nunc, mihi te talem poſtquàm pia fata dederunt,
Eſſe aliquid cœpi, qui nihil uſq; fui.

Lectori. CAR. CXXVII.

Lector, Rubella me uocat
Ad prandium, unde lætior
Reuertar huc, ſet ſobrius:
Pluresq; Nugas adferam.

NVGARVM QVINTI LIBRI FINIS.

NICOLAVS BORBONIVS VANDOPERANUS D. Lucio Stellæ ſuo S.

Scabies Poetica.

QVID *imprecer huic poëticæ ſcabiei, uel rabiei potius?* Emoriar, *eruditiſsime Stella, ſi tota hac nocte per eam, uel tantillum dormire licuerit. Quare ueniam mihi des oportet, ſi, dum tibi morē gero: hoc eſt, dum planè nugor, ad literas tuas liberius, meo more, atq; diffuſius, reſpondeo.* E*æ mihi heri redditæ ſunt nocte intempeſta, cùm iam lucubrando feſſus eſſem. Quæ cùm mirè me adfeciſſent, demiratusq; eſſem belliſsima numiſmata tria, eaq; ex argento puro, puto, priſca, & uiſenda, quæ puer hic tuus mihi in manum dedit: nō potui quin tecū in lectulo, quaſi ſolus cum ſolo (ut noſtrates uulgò loquuntur) confabularer. Primùm omniū, de carminibus meis tam Græcis*

quàm

quàm Latinis, quid habeam animi, paucis accipe.

Clauſa latent intus, quæ Græcè epigrammata luſi
Pleraq; ,ut æterno digna perire ſitu.
Clauſa latent, nimiumq́; tui, doctiſſime Stella,
Ingenij limam, iudiciumq́; pauent.
Set paueant: tibi cuncta breui tradantur oportet,
Seruanda arbitrio, uel iugulanda, tuo.
Inuenies aliquot numero expungenda, fatemur,
Quæ Muſa irata facta fuiſſe putes:
At nonnulla pijs ſperamus grata futura:
Addere eis lucem ſi uolet iſta manus.

Hæc omnia quamobrem dicã, quoq́; pertinere uelim, ſatis (opinor) intelligis. Quare deſine iam tãdem expoſtulare mecũ, quòd nouorũ carminum, in primisq́; Græcorum nihil ad te mittam. Pergamus ad reliqua. Video enim, ac doleo, fieri non poſſe, quin effutiam nimis multa ἀπροσλίονος. dũ tibi ſcribo, epiſtolæq́; modũ excedã: quũ alioqui hoc uitij in cæteris ipſe reprehendere ſoleam. Egi cũ Salgino mercatore, quẽadmodum pridem me tibi facturũ receperã: eademq́; opera fidem tuã liberaui, quam apud N. pontificem obſtrinxeras. Is nũc tantum abeſt, ut tibi ſuccenſeat, ut eo nomine ſe tibi debere multum fateatur. itaq; melius opinione res cecidit. Deſedi illic compluſculos dies, antè quàm auderem præſulis uenire in conſpectum, Cornelium bibliopolam amicum meum, uel noſtrum potius, identidem inuiſens: cui & ipſi de lucubrationibus tuis in Ariſtophanem dixi quod iuſſeras, remq́; omnẽ ordine, et ab ouo,

quod aiunt, denarraui. Cunctatus ergo ſum illic de induſtria diutulè: ita nimirum depoſcente hominis grauiſſimi exiſtimatiſſimiq; dignitate, qui cũ negotiũ tuo nomine contrahebam. Set ô te hominem facetũ, qui linguæ Hebraicæ difficultatem nunc primùm te ſentire dicis: ceu uerò quiſquam ſit hodie eius linguæ profeſſorũ apud noſtrates, qui tibi primas non deferat. De ſacris literis iam non loquor, deq; tuis in eas commentarijs: qui, ſi quando (ut ſpero) in lucem uenerint, ſummo tibi & toti Reipub. Chriſtianæ honori futuri ſunt. Neque id eò dico, quòd neſciã te nihil minus quàm laudem aucupari. Certò ſcio te hac in re uni Chriſto & ſeruire et placere uelle. Quapropter, mi Stella, ut in tam ſancto negotio perſiſtas, te hortari non deſino, nempe, iuxta prouerbiũ, currenti calcar addens: & ſi mauis id poëticè ut faciam, accipe diſtichon.

Perge: laborando tibi qui labor eſſe uidetur,
Si pergis, ſenſim deſinet eſſe labor.

Huc pertinet aurea illa ſententia tua de uera pietate: quæ quũ mihi digna uideretur, quæ omnium animis inſculperetur, ſic utcunque à nobis carmine reddita eſt ex tempore:

Aes, ferrum, argentum, argento pretioſius aurum,
Eruta de terra cuncta metalla uides:
Omniaq; in terram redeant, pereantq; neceſſe eſt:
Pietas. *Sola animi pietas permanet, aſtra petens.*

Set iam ſuſpicor quid tecũ ipſe muſſites: illud uidelicet Homericum hemiſtichion, τί μι πονύλλουσ' αὐτὴρ ὀργεύεις

Scio,

Scio, mi Stella, generoſam iſtam mentem nõ hortamentis, nõ moleſtiæ calcaribus, ſed fauſtis ominib. plauſuq́; ac lætis acclamationibus eſſe proſequendam. De Laonico *noſtro, ne ſis ſolicitus.* Ei *tuis uerbis ſalutem dixi, idq́; eo ipſo die feci, quo deceßit è uita, nimirum* VII. Calendas Iulias. *Optimus ſenex cubabat æger, & hortabatur nos more ſuo, ut amaremus inter nos, ut fortiter ferremus huius uitæ mala:* In primis *uerò* Paulinũ *illud ex epiſtola ad Coloſſ. nobis inculcabat,* τὰ ἄνω ζητεῖτε, μὴ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς. *Iußit autem, imò rogauit quàm obnixißimè unumquẽq; noſtrum(aderamus enim tum aliquot ab ipſo uocati amiculi) rogauit, inquam, uti primo quôq; tempore* Stellam *ſuum ſibi ſalutaremus oſculo ſancto. Quid multis moror? nemo fuit illic omniũ, cui* Laonicus *multam uim lachrymarum non expreßerit. Tandem ſupplex ubi nos rogaſſet per* Dominum Ieſum, *uti ſibi parceremus, ſi quid unquam nos offendiſſet in uita, ut una ſecum gauderemus hortatus eſt, gratiasq́; ageremus cœleſti patri, quòd ſeruum ſuum non auerſaretur, eumq́; tandem ad ſe trahere dignaretur. Hic ille eſt dies, fratres mei (inquit) quem omnibus uotis optaui ſemper. Mox puerum aliquid ex* Euangelio *recitare iußit. Puer, cùm ad hunc locũ legendo perueniſſet:* Miſericordiam uolo non ſacrificium, Matth. XII. *cõtinuò* Laonicus *ſublatis in cœlum oculis, ac manus ægrè attollens, uoce quàm potuit maxima, exclamauit:* Domine Ieſu, *accipe hunc ſpiritum.*

Laonici P. obitus.

Dixit, & in cœlum rectà morientis abiuit

Mens alacris,tandemq; optata in pace quieuit.

Quidni enim eum quieſcere, beneq; habere ſperem,cu ius per omnem uitam extãt beneficia in omneis? Et tu, mi Stella,noſti,ſi quis alius,noſti,qui uir fuerit Laonicus,cùm pietate,tum optimarum artium ſcientia: quã propẽſus ad cõciliandos ſibi pios ac ſtudioſos omneis, deniq; quanto deſyderio flagraret iandudum uidendi conuenire inter ſe eos,qui hodie rei Chriſtianæ columina uideri uolũt. Quàm iniquo animo ferebat Chriſtianam Rempub. tot ac tantis tumultibus fluctuare: optimos ac doctiſſimos quosq; uarijs opinionibus inter ſe cõflictari: tot ſectis,tot erroribus,tot bellis, tot calamitatibus populũ Chriſtianũ labefactari. Set quid attinet iſthæc cõmemorare apud te,qui hominem omnium familiariſſimè noſti, qui ei conuixiſti annos plus minus ſeptem? Nõ poſſum hîc moderari animo meo,quin exclamem,ac dicam: O beatam animã Laonici: O fortunatum ſenem. Quandoquidem

Qui Chriſto immoritur,uiuit: qui uiuit in illo
Non moritur: Non eſt Mors,ubi Chriſtus adeſt.

De multis uerbis eius inter moriendum, quid de commentarijs ſuis in Euangeliũ Matthæi mandarit: deq; eroganda in egenos pecunia: præterea de fratribus uarie inter ſeſe de cadauere defuncti digladiantibus: multaq; id genus alia,coràm melius dicam. Quantum attinet ad conditionẽ meã: ea eſt adhuc, qualem eſſe uolo: nẽpe nulla. In Domino Chriſto totus ſum,eiq; uni poſthac ſeruire uolo Muſas meas. Crede mihi,mi Stella; iandudum

dudum pertæſum eſt Nugarum: Hæc dies aliã uitã adfert, alios mores poſtulat. Et quòd ad ludicra huiuſmodi pertinet, donari rude cupio: tibiq́; , ac tui ſimilibus, lãpada trado. Potes ludere carminibus feliciſsimè: noui iſtud ingenium Muſis aptiſsimum: neq; eſt, quòd tergiuerſeris. Si uel dieculã unam, aut certè horulas aliquot ſuccifiuas ſerijs occupationibus tuis per ſingulas hebdomadas ſuffurari uolueris, quid in re Muſica præſtare poßis, nemo eſt qui neſciat. Ego iſtius ætatis cùm eſſem, ut me habuerim, ſatis noſti. unde hoc diſtichon:

Vici olim: nunc cedo tibi, quia fortior inſtas:
Olim id eris quod ſum: nunc quod es, antè fui.

Quereris autem, ô lepidum caput, quòd frequẽtius in lucubrationibus meis nomen tuum legatur, quàm promeritus es. Set cùm hoc facis, quid aliud, quàm anſam mihi porrigis plura in dies de modeſtia tua prædicãdi? Quòd ſi perrexeris ad iſtum modum apud me dignitatem tuam eleuare, coges me multa effutire liberius, quæ pudori tuo parcens, uſq; adhuc premere uolui. Set ut interim iocans uerum dicam:

Nemo poëtarum me (Stella) ingratior eſſet:
Plurimus in libris ni legerêre meis.

De Maſſurio, gaudeo opera mea effectũ eſſe, ut ei iuueni literarum bonarum ſanè ſtudioſo penè ex ſententia animi contigerit, in contubernium adſcitum eſſe adoleſcentium non magis nobilitate generis, quàm morũ ingenuitate præditorũ. Ita enim rationẽ meam ſubduxi ſemper, ut ſi quid bono cederet piorum ac literatorum, id

Id ſi aut cura, aut opera, aut quôuis officio meo factum eſſet, in rem ut meam uerſum eſſe ducerem. Quãquàm ita natam rem eſſe ſpero, ut hoc facto (beneficio dicere non auſim) cùm abs te, tum ab ipſo D. præſule, nõ uulgarem gratiam inire poſſe uidear, aut certè iam iniuiſſe. id quod ut eueniat, mi Stella, in ſtudio tuo, in induſtria modeſtiaq́; tua ſitũ eſt. Nam ſi ita ſe geßerit Maſſurius erga illuſtrißimos illos adoleſcentulos, ut eius literæ facturum eſſe ipſum mihi fidem fecerunt, non dubitabo te aliquãdo, unaq́; ipſum D. præſulem eo nomine (ut fit) cômiter, urbanoq́; more appellare, tanquam eo beneficio mihi obſtrictos: Etſi nihil eſt, quòd eius rei cauſa à quoquam petiturus ſim, quò conditionẽ meam meliorem faciam. De Cabriello, uide uerſiculum noſtrum, quem & tu iam olim non laudaſti ſolùm, ſet Græcè etiam reddere dignatus es.

Massurius.

Cabriellus.

Quantum das alijs, tantum tibi detrahis ipſi.

Nõ hoc dico, quò te à genuina iſta liberalitate demorer, & auocẽ: ſet ut ſis poſthac circunſpectior in collocãda liberalitate tua. Dederas ei ad me, & ad alios, literas, & xenia quædam: at ille nunc otioſus, tuas ad nos literas lectitat in ganeis, cum ſuæ notæ bellis homunculis, tuaq́; munuſcula oſtentat ſcortis. Ego ſemper à talibus Chriſtianorum carcinomatis cauendum eſſe duxi. Quàm bellè me emunxerit argẽto Cabriellus aliquando, non eſt nunc dicendi locus. Doleo tamen, uidere te ac alios bonos adhuc ab illo falli. Amandus eſt homo, tãquã opificiũ Dei: uitia hominis amanda nõ ſunt.

Cabrielli

Gabrielli mores argumentum mihi ſuppeditarũt huius Græci diſtichi.

In Gabriellum.

Ἀνθρώπου ἀθέου καὶ αἴσχρως αὐτῷ ἐνὶ ζῶντος,
Τί τρέφει ἐκ πάντων τοῦ ἐλεεινότερον;

D. Hanſus uir taliũ impoſtorũ æquus æſtimator iſtuc propediẽ profecturus eſt, tibiq́; hominẽ ſuis coloribus depicturus. quare de illo nihil dicã ultrà, niſi quòd hũc uerſum, uerborum multorum loco, libens ſubiecero:

Sat noui, qua parte meus me calceus urat.

Gabrielli colluſor & compotor eſt Clabonius, quem et tu unicè dilexiſti olim. Eũ cùm admonerẽ nuper, idq́; facerẽ quàm poſſem humaniſsimè, ne Gabrielli decoctoris inhoneſta conſuetudine exiſtimationem ſuam læderet: neu uxorculæ etiã eo nomine maculã aliquã apud hoc loquaciſsimũ & ſuſpicaciſsimum uulgus, inureret: non modò nõ æquo (ut debuit) animo tulit, ſet ne à cõtumelijs quidem ac probris temperauit. Vxorculã ſuã palàm atq; identidem diſſuauians, eam pulchriorẽ eſſe quàm ut me deceret, uociferatus eſt. Neq; mirum: erat enim temulentus: & Gabriellus interim eum ad cœnã expectabat ludens alea cum neſcio quibus, tuaq́; xenia (aureos udelicet anulos) in cõſpectu habens. Hæc ideo ad te ſcribo, mi Stella, ut poſthac ab hoc genere fucorũ tutus ſis, moneasq́; amicos omneis, hoc eſt, Chriſtianos, ut ab huiuſmodi falſis fratribus caueant. Ad Claboniũ autem quid poſtea ſcripſerim, cùm eum uiderẽ in dies & ſuperſtitioſiorem euadere, & petulantiorẽ, coràm dicam. Clabonius.

dicam. Ex multis tamen in præſentia tetraſtichon habebis hominis ſuppreſſo nomine:

Si tua ſic penitus præcordia ſcrupulus exeſt,
Nec potes eſſe alius, quàm tua lingua ſonat:
Eſto: & ſis felix pulchra cum coniuge, cumq;
Falſa iſthac animi relligione tui.

Rubella. *Ad Rubellam uenio. Cuius epiſtolam ſuperioribus diebus ad me miſſam, ea gratia tibi legendam mitto, ipſius digitulis ſcriptam: ut tandem cognoſcas Rubellam nõ falsò à me prædicari. Et alioqui percupit illa iandudũ tibi commendari, teq;, tãquam alterum me, fert in oculis. Carmen noſtrũ qualecunq;, quod nudiuſtertius ad illam effutiui, ſubſcribam.*

AD D. RVBELLAM PVEL*lam ut doctiſſimam, ita integerrimam, modisq; omnibus pulcherrimam, Nicolai Borbonij carmen.*

Docta nouem Muſis quondam fuit addita Sapphò:
Addita tu tribus es quarta, Rubella, Charis.
Seu Græcè loqueris, ſeu uirgineo ore Latinè:
Vox tua non hominem, uox ſonat iſta Deam.
Sic gaudet fandi Dea Pithò in pectore, in ore,
In gremio, in labris luxuriare tuis.
Hinc meritò in tanta Reginæ diceris aula
Prima, & apud Regem gratia rara tua eſt.

Quid

Quid ſtudium dicam,& ueræ pietatis amorem?
Stemmataq́;?& clara nobile ſtirpe genus?
Quid dotes alias,iſto quæ in pectore lucent?
Quid memorem formæ ſplendida dona tuæ?
Set finem hîc facio,quia non legis iſta libenter:
Si caneris,non fers:quo mage digna cani es.
Sis fœlix,mea lux:uale,& urere perge malorum
Sacrilegas linguas,integritate tua.

Poſtremos duos uerſiculos propterea addidi, quòd nõ defuerint male feriati quidã in Aula,qui meam & Rubellæ exiſtimationem rodere clanculũ non dubitarẽt. Quiqui ſint illi,ſi ſaperent,utiq; quieſcerent, ac deſinerent maledicere,malefacta ſua ne noſcere tandem aliquando cogãtur. Quo ſim in puellam animo,quo pariter illa in me,nouit καρδιογνώστης CHRISTVS. *Set uera pietas, Chriſtianus candor,honeſti conatus,nunquàm inuidia caruere.* Et *tu,mi Stella,quanta paſſus ſim iam ab hinc decem annos,quibus cum mihi res fuerit,quàm inclementer tractatus ſim,deniq; quot ærumnis, quot caſibus, quot morbis, quot periculis conflictatus ſim. omnium optimè noſti. Hîc impetigo poëtica perpruriens cogit ſic canere:* Rubellæ obtrectatores.

Iam duos annos peregrinus erro,
Qualis incertis ratis acta uentis:
Nec locum pacis mea dant,nec ullam
Fata quietem.
Ecquid ærumnas ſuperaſſe tantas
Proderit?quid tot ſubijſſe caſus?

Tam pios ſi non Deus hos labores
Reſpicit ullus?

Atqui nõ dormit ille, neq; dormitat, qui cuſtodit Iſraẽlem. Scio me illi curæ eſſe, & omneis quicunq; inuocãt nomen ſanctum eius in ueritate. Non deſpõdeo animũ, ſet duro, & occalleo, per CHRISTVM, *qui me corroborat.*

—Quanquàm,
Miror adhuc quicquã mihi ſanguinis eſſe, nec ægrũ
In mille hoc partes diſsiluiſſe caput.

Quotidie, mi Stella, manè cùm ſurgo, me ſupereſſe ipſum incolumẽ miror: præſertim quũ iã propemodũ dormire ſim oblitus, ac quieſcere dedidicerim. Nã præter ſcabiem hanc poëticam, capitis grauedines patior, iam inde à puero: quæ, ut ſcis, & ſomnos, & animi alacritatem ſolent adimere: tantum abeſt ut Epicureorũ ac uoluptariorum philoſophorum bono fruar, indolentia ſcilicet. Et ſunt tamen, qui mihi iraſcantur, quòd rarius ad ipſos ſcribam: meq; eo nomine, ſi Dijs placet, ingratũ appellitant. Quibus ſi ſcribere tã ſæpe, quàm uellent, in animum olim inſtituiſſem, multam illis mihiq; operam expreſsiſsem in re non magnopere neceſſaria, nec mihi iucundiſsima: præſertim quum mentem incumbentem aliorſum et inclinatã habere mihi contigerit: literarũ enim ſcribendarũ cõſuetudo à uoluptate cauſam magis inter literarum ſtudioſos mutuatur, quàm à rebus ſerijs argumentũ accipit. at huiuſmodi uoluptas florentioris eſt ætatis, animiq; exultatioris,

Satis

Satis habeo fungi munere meo, καὶ ἣν ἔλαχον σπάρτην κοσμεῖν.

Faxit Chriſtus,ut huic poßim par eſſe labori.

Set immoror his plus ſatis. Quid cũ Gelaſio egeris, neſcio:uellẽ tamen in mentẽ tibi ueniret meus ex Virgilio uerſiculus, quoties cũ hoc hominũ genere congrederis:eum uerſiculũ meum mihi laudaſti olim, pro candore tuo, quemadmodũ omnia ſoles, quæcunque à me proficiſcuntur:

Fac imiteris apes,fucũ à præſepibus arce.

Noui inſignem iſtã liberalitatem tuã in omneis, à qua te nequaquã dehortari uelim. Tantùm te admoneo, tanquam fratrem frater,ne beneficia tua malè colloces, in eos qui non ſolùm ingrati ſunt,ſet etiam, qui nõ intelligunt. Quicquid confertur in ingratos, perire id certũ eſt:at multò magis perit id, quod cõfertur in nõ intelligenteis. Fui olim natura,& ſum adhuc,ut es,nimis facilis,liberalis plus ſatis,credulus,cãdidus,ab impoſtoribus et planis huiuſmodi minimè cauẽs:idq; mihi adhuc hodie uitio datur ab optimo patre meo: et ab amicis aliquot. At iam,uel ſerò,ſentio reſipiſcẽdum eſſe: mecũq; mußito uerſiculũ Græcũ: γηράσκω δ' αἰεὶ, πολλὰ διδασκόμενος. Vides quàm bona fide,qua ſerie ad literas tuas reſpondeã. Vereor tamen,ut ſim prolixior:quanquàm id non eſt quòd uerear,quum toties mihi deieraris, id quod uel iniurato facilè crediderim, literas meas quantumuis longas,tibi breueis uideri: easq; te quaſi nouas relegere identidem ſolere,atq; amicis oſtẽtare. Quòd

ſcribis te quotidie multa componere, quæ ad diuerſos mittas, neq; tibi exēpla retinere: eſſet quòd expoſtularem tecum, ſi uacaret in præſentia: neq; enim dubito, quin iſthoc pacto tibi pereāt quāplurima, quæ bonarū artiū ſtudioſis uſui uoluptatiq; eſſe, aliquādo poſſent: quare oro te, uti conſiliū meū ſequaris, quod tale eſt.

Plurima componens chartæ committe fideli:
Ingenij pereant ne monimenta tui.

De rebus ſerijs, & quas ut ſcires tua referre meaq; exiſtimabā, hactenus: nunc ad cætera epiſtolæ tuæ capitá deuenio. Gaudeo non excidiſſe tibi memoria turriculā hāc meam, cuius in faſtigio, hoc eſt, in cellula mea, unà olim ambo ad multā noctem lucubrauimus: cùm tu fidibus canens diceres te uelle mihi iratas Muſas placare. Quid nunc hic agam, rogas: reſpondeo:

Suſpicio: & cœli ſtupeo ornamenta ſereni,
Lunamq;, ſtellasq;, & ſydus amabile, Solem.

Stella Borbonij Ariſtarchus.

Hoſce duos uerſus Græcos feci prius: ſet eos tum uidebis, cùm cætera omnia, quæ Græcè luſi, ad te, tanquam ad Ariſtarchū, miſero. Vt autem tibi paucis deſcribā huius loci faciem, quam cùm ueneris, omnino mutatā inuenies, ſubtexam uerſus aliquot:

Scilicet hic mecum aurato piſcaberis hamo:
Hic barbos, ſalares, hic nos capiemus alauſas,
Tincas, ſalmones, & percas littus amanteis,
Et fluuiatilibus (quod amas) ſatiabere cancris.
Alma Ceres, Bacchusq; aderūt: et ab arbore carpes
Ipſe manu omne genus capiti impendentia poma.

Inter-

Intererunt lepidi pueri, lepidæq; puellæ,
Carmina cantantes: tanta oris gratia, & arte,
Quemlibet ut poſʃint triſtem exhilarare Catonẽ.

Vides, mi Stella, quàm de repentè ex triſtiſsimo factus ſim lætiſsimus. Hoc de induſtria facio, mihi crede, ut rideas. Scio hanc epiſtolam maximè ridiculam fore, ſi in multorũ manus inciderit: quod ne fiat, etiã atq; etiam te rogo. Tibi enim ſcribo, nõ alijs. Et quoniã dicis impenſè tibi placere uerſus meos, cùm omneis, tum præcipuè eos, qui ſciolis & ἀμούσοις *non placent: uide quod modò inter reconcinnandã fatiſcẽtis calami cuſpidem, labellum mordens, tetraſtichon feci: eoq; lecto reſponſum tibi putato ad id, quod ut tua cauſa faciam apud N. præſulem, multis uerbis, atq; adeò nimis religioſè me rogaſti:*

Iuſſeris in medias nudum me exire puellas,
Aut pueri toto ludere more foro:
Hoc tibi perſuade, Stella optime, ferre paratum
Omnia me eſſe, prius quàm te inimicum habeã.

Offenduntur illi, belli ſcilicet homunculi, crebris colliſionibus: ceu uerò poëtæ uetuſtiſsimi à colliſionibus temperarint. Quid de Catullo dicẽt mihi, cuius hi ſunt uerſus in ingratos:

Vt mihi quem nemo grauius, nec acerbius, urget,
Quàm modò, qui me unum atq; unicum amicum habuit.

Poſſunt hic uidere (niſi cæci ſunt) apud tantum poëtã colliſiones ſatis multas, eaſq; in fine pẽtametri: ut inte

rim nihil dicā de alijs multis. Vt autē ingenuè fatear, fui ſatis religioſus uſq; adhuc in uitādis colliſionibus, præcipueq; in fine pentametrorū et in Sapphicis omnibus: neq; adhuc me pœnitet eius religionis. Set de nouo hominum genere, quod ſcribis, nihil eſt uerius. Talium plenus eſt mundus: omniū primi habētur: digito oſtenduntur: conditiones amplas adſequuntur. quid ni? Ciceroniani ſunt. Budæus, Eraſmus, Politianus, nihil ſunt. Quid de noſtri ſeculi hominibus loquor? Quintilianus, duo Plinij, Gellius, & quotquot illius temporis extāt autores, infantiſsimi ſunt. De poëtis idem ſentiendum. Præter Virgiliū, nullum eſſe dignum lectu. Et tamē iſti noui homines in eo humanitatē ſuam oſtendūt, inſignem profectò illam et memorabilem, quòd poëtis illis ac quàm plurimis aliјs doctrinā nō defuiſſe, eamq; multam ſatis, & ſuſpiciēdam, fatentur & agnoſcunt: eloquentiam uerò pernegāt. Ciceronem unum eſſe imitandum, tanquam ſolum eloquentem, et uerū oratorē: Virgilium, poëtam unum eſſe apud Latinos, & dignum qui ediſcatur. Cæteros omneis faſtidiunt, meràsq; eſſe umbras poëtarū & ſimias aiunt. Set iā pertæſum eſt, mi Stella, iſtorū barbatulorum: quare hanc rem in aliud tempus differamus. Hic tabellarius eſt Arnolfus, homo antiqua et ea literaria neceßitudine mihi coniunctiſsimus: eum unicè tibi commendo. Iſtic habet generum ſuum N. uirum grauem, & mei quoq; ſtudioſum, apud quem ueretur neſcio cuius promiſsi gratiam cunctādo amiſiſſe. Si quid officij præſtiteris ei, rē mihi

Ciceroniani

gratiſ-

gratiſſimã feceris. Tu fac, ne is apud generũ ſuum fidei teſſeram fregiſſe uideatur. Hoc enim ut tibi ſcriberem, uehementer me rogauit Arnolſus: quippe qui non neſciat quantum tua cauſa uelit ſuus gener, quantaq́; gratia iſtic, & autoritate flagres apud primos et optimos quoſq;. Cuiuſmodi ſit negotiũ, ex ipſo cognoſces. Res eſt, quantũ intelligo, non parui momenti. De cõcilio generali, quod uocãt, deq́; cõſeſſu pontificum, quod dicis te audiuiſſe, uerum ne ſit, an falſum, neſcio. Multus hic rumor fuit, ſet uarius & incertus. De Chriſtianiſſimo Franciſco Galliarum rege noſtro, optimè ſperamus omnes. Is eſt longè humaniſſimus, & rerũ omnium optimarũ cupientiſſimus. Certũ eſt tantæ cõgregationi nõ defuturum eſſe ſpiritũ ſanctũ, omniaq́; feliciſſimè ſucceſſura, ſi illi, qui capita rerũ ſunt, non quæ ſua ſunt quærẽt, ſet quæ IESV CHRISTI. In talibus rebus plerunq; euenire ſolet, quod dicit Titus Liuius, ut maior pars uincat meliorem. Vtcunq; res caſura eſt, CHRISTVS eſt ueritas, quæ omnium fortiſſima eſt. Ea, ut prematur aliquãdo ad tempus, certè opprimi nullo modo poteſt. Vides, mi Stella, ut quàm poſſum optimo ordine tibi reſpondeo? ſi Ciceroniani noſtri, quorum ſuprà memini, hanc epiſtolam uiderẽt, tumultuariam, ac male tornatam, haberent ſatis, quo ridendo pulmonem exercerent, uel totum triduum. Set ſpero te nolle illis amicum traducere. quare oratum te uolo, ut hãc epiſtolam ubi perlegeris, aut in ignem, ſi uoles, aut in locum fœdum conijcias. Interim autem Ciceroniani longum

Concilium generale.

Franciſcus rex.

T. Liuij ſententia.

ualeant: in quos habe diſtichon noſtrum è Græco Samij noſtri:

Quidam hodie ſunt, qui in ſolo Cicerone morãtur:
Set ualeant illi, cum Cicerone ſuo.

Cæterum in Britannia *quid egerim, quãta* Regis Henrici *VIII. humaniſsimi principis & reginæ uxoris eius erga me fuerit benignitas, faciam propediem, ut tu ac cæteri amici, qui iſtic ſunt, cognoſcatis. Statui enim breui te inuiſere, niſi tu mihi (quod malim) anteuerteris. In quadam inſula, ad quam aduerſa tempeſtas nos compulerat, & in quà egi menſes aliquot, in gratiam eorum qui mecum ab* Anglia *profecti, aduerſam ualetudinẽ ex nauſea cõtraxerant, quid uiderim memoratu dignum, quãdo id tantopere aues cognoſcere, paucis accipe.* Homines *XIIII. coniecti ſunt in carcerem: in quibus erat mulier forma perelegãti.* Fama *erat eos omnes frugi quidem eſſe homines, & inculpatæ uitæ: ſet neſcio quid in magiſtratus, & primores eius gentis liberius dixiſſe. Quid multa?* Iudex, *homo aſpectu truculentiſsimus uno die omnes morti deſtinat. Set de ea re, uide uerſiculos noſtros, ex multis paucos decerptos, in tui gratiam.*

Ipſe tribunali poſtquàm conſedit in alto
Iudex, illa neci bis ſeptem corpora damnat:
Terribilis uultu, atq; Nerone Neronior *ipſo.*
Pars raptentur equis, pars demergantur in undas:
Hæc (ait) irriſa pro maieſtate, feretis:
Ite hominum peſtes, ite execrabile uulgus.

Captiui miſelli ducuntur ad ſupplicium, ridentes interim, mentemq; ſuis interfectoribus meliorem precantes. Tandem quidam eorũ caudis equinis alligati, per ſpinas et uepreta, per ſaxa, per præacutas ac præuſtas ſudes, quæ paßim in hoc terræ infixæ fuerant, raptabantur: atq; ita animam agebant. Alij ſaxis ueluti molaribus adſtricti, è ſublimi ponte in uaſtum gurgitem præcipitabantur. Set paulò poſt quàm lata eſſet à iudice ſententia, aiebant unum ex damnatis in hunc modũ exclamaſſe:

In cœlum per equos ibimus? an per aquas?

Mulier autem, de qua ſuprà memoraui, cùm raptando non moreretur, indignatus carnifex, palo in uentrem adacto, eam terræ adfixit.

Hoc uiſo, uulgus uictum illachrymatur: at illa
In cœlum pulchros oculos intenta tenebat,
Tendebatq; manus moriens, Diuosq; uocabat.

Longum eſſet recenſere exquiſita tormentorũ genera, quibus gens illa barbarißima homines excarnificat: ſicuti ſacrificus quidam inſularis, utcunque Latinè loquens, nobis ſignificabat. Et quanquàm ab hac commemoratione iandudũ horret animus, referã tamen quod ipſe his oculis uidi, exemplum inuſitatæ crudelitatis. Iacebat uiuus homo, reſupinatus nudus, brachijs, tibijsq; neruo diſtrictis, in moremq; crucifixi diſtentis. Carnifex ſuperaccumbẽs cultro pectus aperuit, cruentaq; manu abſtractum cor, uidendum porrexit morienti: deinde hepar, cætera'que præcordia: ac poſtremò uirilia

Inaudita Barbarorum crudelitas.

uirilia amputata obijcit ſimiliter:

Ille ſuum uulnus, ſuaq́; inteſtina uidendo,
Haurit noctem oculis, & mortem guſtat amaram.

Diceres Rhadamanthos, Nerones, Dionyſios, Phalaridas *præ illis homines fuiſſe mitißimos.* Vnde Virgilianum *hemiſtichion mecum ſæpe mußito:*

—Satis eſt gentem effugiſſe nefandam.

Si qs illuc amicorũ uellet proficiſci, eũ ita debortarer:

Heu fuge crudeleis terras, fuge littus auarum:

Gratulor nobis Gallis, gratulor Britannis, & Scotis, gratulor cæteris uicinis nationibus, apud quas mos eſt longè humanior animaduertẽdi in ſontes. Vereor plurimum, *ne ijs referendis plus æquo immoratus ſim. Eabiola ſoror tua ſaluere te iubet. Ea tandem in hãc noſtram uiciniã migrare coacta eſt. Domus enim in qua habitabat, ſpiritu neſcio quo tumultuante infeſtari dicitur. Soror tua putat eſſe animam auiæ ueſtræ: quæ illic anno ſuperiore mortua eſt. Ea res uicinis omnibus maxima formido eſt, puerisq́; in primis, ac ſtultis mulierculis maximum terriculũ. Aiunt noctu miſerabiles uoces audiri procul, ſtrepitusq́; nolarũ terribileis ac uarios, tubarum quoq; clangores, & tinnitus cymbalorum. Audiui ego complureis adfirmanteis, uidiſſe ſeſe non ſemel collucenteis in illis ædibus ingenteis ignes, eosq́; ſubitò euanuiſſe. Adſeuerarunt & bonam ædiũ partem modò in altum à terra tolli, modò in uaſtũ terræ hiatum abſorberi, modò circumundiq; flammis cingi, ac ardere uiſam. Hæc ſi hominum ſtultorũ, ac mendacium,*

De ſpiritu, ſeu dæmone tumultuante.

dacium, cōmenta non ſunt, inſigne eſt dæmonis ludibriū. Ego mœrentē Fabiolā, ſuasq́; fortunas deplorantem, cōſolari conatus ſum, dicēs, huiuſmodi prodigioſa ſpectra meras eſſe Satanæ antiqui hoſtis noſtri fallacias, quæ omnino nihil nocere poſſunt pijs ac ſynceris animis: hoc eſt, ijs, qui ſecuri, beneq́; ſibi conſcij Deo fidunt, eiq́; uni ſeſe totos committunt. Quæ quū ita ſint, mi Stella, officij tui eſſe puto, quàm primùm huc uenire, uel tuæ germanæ cauſa. Vtruncunq; futurū eſt; hoc eſt, ſiue huc ueneris, ſiue ego ad te, ſtatui nonnihil è Letheo bibere flumine, quò ſaltem aliquam malorum meorum partē obliuiſcar, tantiſper dum unà erimus. Elegiam meam Græcam, cui nomen non abs re indidi Carcer, diu fruſtrà quæſiui, eamq́; neſcio quo pacto è conſpectu amiſi meo. Credo eam latere uelle, tuumq́; conſpectum reformidare. Spero eſſe inter libros & chartas meas, quæ multæ & confuſæ in arca iandudum cū blattis ac tineis rixātur. Vbiubi eſt, diu celari nō poteſt. Velim, nolim, cogor tandem manū tollere de tabula, flagitioſo huius capitis dolore ingraueſcente, urgēte etiā incredibili ſtomachi cruditate, quā aliquot iam annos circunfero: CHRISTO domino laus & gratia: is, quid me facturus ſit, nouit. Interpellant me & myrmidones mei, fraudari ſe prælectione, horamq́; undecimam inſonuiſſe clamitantes. Hoc unum addam, mi Stella, pios ac ſtudioſos omneis miram de te ſpem concepiſſe, neq; dubiū eſſe, quin ſi eo, quo cœpiſti, pede perrexeris, quēadmodum te facturum literæ tuæ fidem mihi faciunt,

Fabiola.

Dæmonis ludibrium.

Carcer.

cùm uniuerſæ rei literariæ, tum uerò toti reipub. Chriſtianæ, cuius cauſa nihil non cupere debemus omnes, ingens ſis allaturus ornamentum. Dominus noſter CHRISTVS IESVS *te ſeruet.*

Vale mi Stella, & uiue fœlix, cum tua
Vxorcula, & Muſis tuis:
Et huc (oro te) ubi primum licuerit, ueni:
Venies mihi gratiſſimus.
Caue autem (obſecro) quicquam tecum adduxeris,
Præter ſales & ſcommata.
Genio indulgebimus ſimul cum amiculis,
Bonis confabulonibus.
Satis bibemus, & adſatim ridebimus,
Vernis ſub arborum comis.
Aderunt nobis Veneres, aderunt Cupidines,
Et gratioſi homunculi.
Hinc ad libros, & coniugem, & negocia,
Redibis multò alacrior.

EPISTOLAE FINIS.

NICO-

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis, Nugarum liber ſextus.

Puer nugigerulus hũc uenalem libellum per urbem circunferens, atq; identidem uociferans loquitur.

CAR. I.

HOC opus, hoc opus ecce noua fornace recoctum,
Borbonij nitidis Muſa renata typis.
Quis ſibi theſaurũ talem non cõparet? ecquis
Tam lepidos paruo non emat ære ſales?

Galliam, & quæ in ea eſt, patriam ſuam laudat poëta.

CAR. II.

Vino, fruge, oleo, pomis, grege, Rege, fluentis,
Lacte, feris, armis, urbibus, arte, uiris:
Omnibus his, alijsq; Dei te, Gallia, donis
Felicem, & patriam gratulor eſſe meam.
Lingonis urbs in te eſt, cuius me è finibus unum
Vandopera oſtentat, carmine clara meo.

In

In congreſſu duorum Regum.

CAR. III.

Dum duo conueniunt reges, ſteti, & anxius hæſi,
Pulchrior, ignorans, uel, meus eſſet uter:
Muſa mihi adſiſtens dubitanti dixit in aurem:
Alter, ſi tuus eſt: & tuus alter erit.

Ad lectorē, de Grundillo & Candilio inhoneſtis literatoribus, qui alter alterius uxorem permolebant. CAR. IIII.

Si duo fortè uelis iunctiſsima pectora noſſe,
Lector, Grundillum, Candiliumq́; uide.
Inter eos ſic omnia ſunt communia, uterq;
Vxorem alterius credat ut eſſe ſuam.

Beatus homo, quis. CAR. V.

Quiſquis ſorte ſua lætus cœleſtia quærit
Regna, Deo fidens, ille beatus homo eſt.

De Deſ. Eraſmo Roterodamo, quem obiiſſe toties audierat.

CAR. VI.

Audio (& hic utinam uanus ſit rumor) Eraſmo
Treis neuiſſe Deas ultima fila ſeni:
Viuere ſe multi credunt, quos uincere longè
Laudibus & meritis unius umbra poteſt.

Chriſtianum hominem quid deceat, ad Ligarium amicum.

CAR. VII.

Quiſquis uiuere uult bene & beatè:
Pura mente Deum colat, ſuoq́;

Conten-

Contentus, ſtudeat nocere nulli:
Succurrat miſeris, bonos ſequatur:
Mores corrigat, aut ferat, malorum,
Forti pectore: gaudeatq; ſemper.

Diſtichon Græcum Iacobi Tuſani
præceptoris, in D. Lodoicæ
Regis matris obitum.

Ἡ μὲν τ' εἰρήνη διαὶ μοῦ θνητοῖσι τέτυκται,
Πρὸς δὲ θεοὺς ἀνέβην, ταὐθ' ἵν' ὄλυμπος ἔχῃ.

Sic nos Latinè reddidimus.

CAR. VIII.

Per me omnes homines optata pace fruuntur:
Aſtra peto, ut per me Dijs quoq; fiat idem.

Ad Rubellam. CAR. IX.

Ocellos dum tuos iſtos diſſuauior,
O dulce meum pectuſculum, &
Labella labris conſerens, dum perfruor
Oris tui fragrantia:
Quid te uelim facere, rogas? ò mel meum,
Mea lux, compendio accipe:
Vigila, dormi, ſtude, ede, bibe, lude: hæc omnia
Mediocriter: ne quid nimis.

Ad eandem. CAR. X.

Quandam dicor amare: rumor iſte
Garrit: diſpeream, Rubella, ſi quam
Vel præferre tibi uelim, uel auſim.

In

In imaginem ſui, ad Guliel. Buccetellum. CAR. XI.

Hæc tibi Borbonium oſtendit pictura poëtam:
Sic oculos, ſic os, ſic habet ille manus.
De me quod uidit, potuit bene reddere pictor:
At mea ſunt uni pectora nota Deo.

In Hanſum Vlbium pictorem incomparabilem.
CAR. XII.

Dum diuina meos uultus mens exprimit, Hanſi,
Per tabulam docta, præcipitante manu,
Ipſum & ego intereà ſic uno carmine pinxi:
Hanſus me pingens maior Apelle fuit.

In poëtam quempiam. CAR. XIII.

Emit poëta domum, ſet uendita domo
Emit poëta poculum.

Ad Io. Cardinalem Lotharingum, Calendarum Ianuariarum die, anno domini CHRISTI M. D. XXXV. CAR. XIIII.

Profuit hæc multis Iani lux prima poëtis,
Iis, quibus eſt duro nullus in ore pudor.
Scilicet inuitis Muſis noua carmina mittunt
Diuitibus uobis, nobilibusq; uiris:
Munera captantes, illos plerunq; celebrant,
Quorum uita probris, flagitijsq; ſcatet.
Et faciunt lucro ſanctas ſeruire ſorores:
Mentiri faciunt carmina, dona Dei.

Sacrilegi uates,nec uatum nomine digni,
Serò olim ſapient,ſuppliciumq́; dabunt.
Non ego(teſte Deo)ſcribens tibi,munera capto:
Pectore quid poſſem maius habere tuo?
Sis fœlix,ò qui procul agmina ſæua luporum
Arces,& domini paſcere pergis oues.

Pueritiam ſolerter regendam eſſe, ad Thomam Haruæum puerum indolis optimæ.

CAR. XV.

Tandem ſatis didici longa experientia
Vſuq́; rerum,ætatulam
Pueri tenellam,non minus ductoribus
Egere,quàm in mari ratem:
Deſint magiſtri,& hæc,& illa fluctuant,
Extremo ut in periculo.
Quare oro mi puer,ut dicto ſis audiens,
Facilemq́; mihi te præbeas.
Dum te rego,tibiq́; inſtillo litteras
Bonas,bonis cum moribus.

Ad Ianum Oliuarium Andium pontificem. CAR. XVI.

Pocula rara,dapes,argentea uaſa,tapetes,
Aulæa,& ſummo fercula digna Ioue,
Frondoſa arbuſta,& Muſis digniſſimus hortus.
Et quæ eſt in famulis gratia rara tuis:
Hæc præclara mihi nuper ſunt omnia uiſa:
Ceperuntq́; oculos,ut noua ſpectra,meos

Eſt

Eſt tamen in te aliquid præſtantius omnibus unum,
Nempe animus: uera relligione pius.
Doctrinam taceo: quam ſummam, & præſule dignam
Inter pontifices temporis huius, habes.
Ergo quid impediet, quo ſe hæc minus aurea iactent
Secula, præſul te? ſeq; beata putent?

In ſophiſtas. CAR. XVII.

Vt ſus uolutabris gaudet ſuis, ita
Gaudet ſophiſta ſordibus.

Ad Aulum condiſcipulum ſuum, cuius os, hoc eſt, facundiam, & oculos, hoc eſt, honeſtum pudorē, laudat poëta. ſcribit puer ad puerum.

CAR. XVIII.

Os iſtud, iſtos quando ſatis ocellulos
Diſſuauiabor, Aule mi?
Puer pyrorum mollior lanugine,
Nigranteq; uua mitior:
Lepuſculorum pulpa delicatior,
Paſſerculo uenuſtior:
Qur me fugis puer puerum? ah mane, precor,
Te paululum indulge mihi.
Colludc ſi lubet mecum hoc in gramine:
Fugin'? fuge, ac longum uale.

Ad Gallum amicum intimum.

CAR. XIX.

Etſi me ad multos heroas ſcribere, Galle,
Et uideas paſſim ſcripta uolare mea:

Vſq; adeò, ut propè ſub cœlo gens nulla ſuperſit,
Cui non ſit Muſæ cognita fama meæ:
Intereà tamen haud dubito, quin me uſq; paterno
Adfectu, & toto pectore ſemper ames.
Sic ego perſuaſi mihi, te non ferre moleſtè,
Quòd perrara ad te littera noſtra uenit.
Nam tibi ſi obſtreperem, tam ſeria ſemper agenti:
Improbus, & petulans, & ſine mente forem.

Ad eundem Calendis Ianuarijs, M. D. XXXV. CAR. XX.

Ne nos eſſe tui immemores cauſère, Calendas
Haſce tibi fauſtas, optime Galle, precor.
Talem ego, pro ſtrena, tibi mitto hoc mane ſalutem,
Hoc hodie ex noſtro pectore munus habe.

Ad Ioan. Borbonium patrem, Cal. Ianuarijs. CAR. XXI.

Fauſta ſit hæc tibi lux, quæ ianua dicitur anni:
Hæc animo ex imo uenit amica ſalus:
Quam ſi tu læto accipies, pater optime, uultu:
Hoc, uelut ingenti munere, diues ero.

Pecuniam omnium rerum dominam eſſe, uirtuti tamen cedere, ad Ioan. Ginoliacum Montis Sanquintini cœnobiarcham. CAR. XXII.

Quod nulla uis, quod nulla poteſt potentia,
Regina rerum id efficit pecunia.
Set eam tamen uirtus ſuperat, tu teſtis es,
Virtute qui tua tot monſtra perdomas.

Eſt tamen in te aliquid præſtantius omnibus unum,
Nempe animus: uera relligione pius.
Doctrinam taceo: quam ſummam, & præſule dignam
Inter pontifices temporis huius, habes.
Ergo quid impediet, quo ſe hæc minus aurea iactent
Secula, præſul te? ſeq; beata putent?

In ſophiſtas. CAR. XVII.

Vt ſus uolutabris gaudet ſuis, ita
Gaudet ſophiſta ſordibus.

Ad Aulum condiſcipulum ſuum, cuius os, hoc eſt, facundiam, & oculos, hoc eſt, honeſtum pudorē, laudat poëta. ſcribit puer ad puerum.

CAR. XVIII.

Os iſtud, iſtos quando ſatis ocellulos
Diſſuauiabor, Aule mi?
Puer pyrorum mollior lanugine,
Nigranteq; uua mitior:
Lepuſculorum pulpa delicatior,
Paſſerculo uenuſtior:
Quur me fugis puer puerum? ah mane, precor,
Te paululum indulge mihi.
Colludc ſi lubet mecum hoc in gramine:
Fugin'? fuge, ac longum uale.

Ad Gallum amicum intimum.

CAR. XIX.

Etſi me ad multos heroas ſcribere, Galle,
Et uideas paßim ſcripta uolare mea:

Vſq; adeò, ut propè ſub cœlo gens nulla ſuperſit,
Cui non ſit Muſæ cognita fama meæ:
Intereà tamen haud dubito, quin me uſq; paterno
Adfectu, & toto pectore ſemper ames.
Sic ego perſuaſi mihi, te non ferre moleſtè,
Quòd perrara ad te littera noſtra uenit.
Nam tibi ſi obſtreperem, tam ſeria ſemper agenti:
Improbus, & petulans, & ſine mente forem.

Ad eundem Calendis Ianuariјs, M. D. XXXV. CAR. XX.

Ne nos eſſe tui immemores cauſère, Calendas
Haſce tibi fauſtas, optime Galle, precor.
Talem ego, pro ſtrena, tibi mitto hoc mane ſalutem,
Hoc hodie ex noſtro pectore munus habe.

Ad Ioan. Borbonium patrem, Cal. Ianuariјs. CAR. XXI.

Fauſta ſit hæc tibi lux, quæ ianua dicitur anni:
Hæc animo ex imo uenit amica ſalus:
Quam ſi tu læto accipies, pater optime, uultu:
Hoc, uelut ingenti munere, diues ero.

Pecuniam omnium rerum dominam eſſe, uirtuti tamen cedere, ad Ioan. Ginoliacum Montis Sanquintini cœnobiarcham. CAR. XXII.

Quod nulla uis, quod nulla poteſt potentia,
Regina rerum id efficit pecunia.
Set eam tamen uirtus ſuperat, tu teſtis es,
Virtute qui tua tot monſtra perdomas.

Ad Cornelium Heyſſum, Regiū in Angl.aurificem. CAR. XXIII.

Optime Corneli,ſi quid tibi carminis auſus
Sum dare,Muſarum cultor ineptus ego:
Da ueniam:ſic ut facerem,pleriq; loquendo
Egregij de te cauſſa fuere uiri.
Quis locus eſt,ubi non ſummis te laudibus omnes
In cœlum,& mores,& tua facta ferant?

In alienorum carminum ſuppilatores. CAR. XXIIII.

Alienorum Lauerniones carminum,
Furunculi,plagiarij,
Quis uos habet furor? quæ tandem inſania?
Quod ſacrilegij iſtud eſt genus?
Vt ea,quibus parandis,noctes ac dies,
Multum ſenij contraximus,
Vos auferatis impudenter? inutiles
O fuci? & ignauum pecus?
Memini enim,quot uigilans & quanta incommoda
Tuli, & capitis grauedines.
At(oro uos) quieſcite,& reſipiſcite:
Meosq; uerſus reddite.
Aliter,palàm faciam,qui ſitis,omnibus:
Faciamq;,ut ueſtra nomina
Legantur plus ſatis,uolitentq;:& ut mihi
Meæ reddantur plumulæ.
Faciam(inquam) ut fabula doctis ſitis omnibus,
Aeſopici inſtar graculi.

Com-

Comparatio de urbe capta, ὑποκριτὴς Virgilij. CAR. XXV.

Antiquam ueluti cùm fortior obſidet urbem
Hoſtis, & admotis expugnat mœnia ſcalis,
Machina crebra quàtit turres, flamma inſtat, & altis
Culminibus crepitat: miſeri reſtinguere fruſtrà
Tecta incenſa parant ciues, ferit æthera clamor:
Pectoribusq; premunt pauidæ ſua pignora matres.
Victor ouans, prædæq; inhians, graſſatur: & inſtar
Grandinis, in portas ruit, & uenientibus offert
Sanguineum mucronem: oriturq; miſerrima cædes.

Ad Gallum amicum præcipuum. CAR. XXVI.

Dum pſallis, ludisq; caua teſtudine, Galle:
In medio gaudens cor mihi uentre ſalit.
At ſi aliquid dicas de ſacris, inter amicos:
Tunc homo non uideor, ſet Deus eſſe mihi.

Ad eundem. CAR. XXVII.

E medio triſteis abigis mihi pectore curas,
Cùm citharam tangis, Galle, uel ore canis.
At ſi de ſacris oriatur mentio rebus:
Te dicente, puto me ſuper aſtra rapi.

In quendam montes aureos pollicitantem. CAR. XXVIII.

Qur mihi promittis toties te multa daturum?
Non aurita mihi eſt, eſt oculata manus.

In quendam. CAR. XXIX.

Quidam carminibus ſuis, uenuſtam

Vxorem immodicè ſuam canendo,
Fecit pulchram adeò illam, & elegantem,
Lectoresq́; ita mouit impudicos,
Vt quam Penelopen uocabat antè,
Nunc factam eſſe Helenen uidens, dolore
Tabeſcat nimio, impiasq́; Muſas
Appellet miſer, inuocetq́; Diras.

In Chriſti domini natalem, ad Petrum Dapeſtegyum Franciſco regi à conſilijs, & Burgundiæ, Brixiæq́; quæſtorem. CAR. XXX.

Filius æterni patris qua nocte puellus
Natus homo eſt, caſto Mariæ genitricis ab aluo,
Continuò cœlum lætari, & uiſa repentè
Aſtra ſerenari: uentiq́; & ſæua quierunt
Aequora: lux lucem uicit nocturna diurnam.

In tenebras illas, quæ, moriente domino Chriſto, uniuerſum orbem inuaſerunt, ad eundem. CAR. XXXI.

In cruce pro nobis dominus qua luce pependit,
Efflauitq́; animam, tum mœſta elementa repentè
Autori indoluêre ſuo: perterrita tellus
Intremuit: totum inſueta caligine cœlum
Horruit, & facies Ponti: concurrere uenti
Cœpere unà omnes: ac ſi omnis machina mundi
Sedibus ex imis rueret, compage ſoluta.
Omnia ubiq́; pauor ſtrauit mortalia corda:
Impiaq́; æternam timuerunt ſecula noctem.

Nicolao

Nicolao Copo, & Gulielmo Syluio medicis celeberrimis.

CAR. XXXII.

Qũum uos amem, tanquam me, uos oculis feram,
Et uos me amate mutuò.
Firmemus hanc amicitiam, arctioreq́;
Ferruminemus glutino.

Ad Thomam Crammarum Cantuarieñ. antiſtitem, quem inuitat ad ruſticandum. ſcripſit in Anglia, anno Chriſti, M. D. XXXV. CAR. XXXIII.

Si placet in noſtrum tibi rus concedere, præſul,
Nunc, dum omnis uerno flore renidet humus:
Dices te medios ueniſſe in Adonidis hortos:
Et cernes oculis plurima grata tuis.
Et chorus arrectas paſcet tibi muſicus aures:
Et mihi qui grex eſt creditus, ore canet.
Hoc ego curabo, faciamq́; libenter: at ultrà
Si quid habere uoles, hoc aliunde petes.

Sententiam Muſonij Philoſophi ex A. Gellij libro XVI. cap. I. hoc tetraſticho utcunq; adſtrinximus, ad Gaſtonem Oliuarium.

CAR. XXXIIII.

Ἄν τι καλὸν πράξῃς μετὰ τοῦ πόνου, οἴχεται αὐτὸς
Μὲν πόνος, ὡς καλὸν οὐκ οἴχεται, ἀλλὰ μένει.
Ἄν τι δὲ ποιήσῃς αἰσχρὸν μετὰ ἡδέος, αἰσχρὸν
Ὡς τὸ μένει, οὕτως ἡδὺ καὶ αὐτ' ὀλίκει.

Ad Thomam Gadagnium, uirum modis omnibus clariſsimum.

CAR. XXXV.

Tu cognomen habes, Gadagni, à diuite gaza:
Diuitiasq; idem, Crœſus ut alter, habes.
At fortuna, Dea inconſtans, & numen iniquum,
Momento tot opes comminuiſſe poteſt.
Sunt autem tibi longè aliæ, quas nec Dea cæca,
Nec tempus, nec uis ulla reſoluet opes.
Aeterna eſt animi pietas, æternaq; uirtus:
Largiter impertit quæ tibi dona Deus.

Χριστιανισμός. CAR. XXXVI.

Deo ſeruire ex animo, & liberaliter:
Et credere unum CHRISTVM meruiſſe, ut patris
Electa gens ſimus, & hæredes filij:
Crucem ſuam ferre: & parêre Regibus:
Prodeſſe cunctis, & nocere nemini:
Hoc Chriſtianiſmo quid Chriſtianius?

Ad Francum puerum. CAR. XXXVII.

Tanta meam obturbant uexantq; negotia mentem,
Tot premor, infelix, excruciorq; malis:
Hoc ægrum ut poſſit iam uix ſubſiſtere corpus,
Et ſit Mors uoti portio magna mei:
Ac propè cum ſtudijs doctas, mi France, ſorores,
Cum Phœbo, iubeam plectra ualere mea.
Set tu, adoleſcentum pulcherrime, nobile carmen
Dum canis, & uultus lumina cerno tui:

Tum

Tum recreor: dignare igitur me uiſere ſæpe:
Nec tam crudeli me ſine tabe mori.

Ad Paulũ Antonium Gadagnium, ſummæ ſpei iuuenem.

CAR. XXXVIII.

Athenodôrus Claudius,
Vir ille fuci neſcius,
Sic prædicauit ingeni
Nuper tui dotes mihi,
Sic te tuis coloribus
Pinxit mihi, uir optimus,
Vt iam mei pars maxima
Migrarit in pectus tuum.
Ergo, diu ne langueam
Deſyderio tui, ſine ut
Coràm uidere te queam,
Dextræq; dextram iungere.
Gadagni, id à te ſi impetro,
Quis me uno erit beatior?

De ſimia globo alligata, ad Io. Duperatium Ioannis ſuppræfecti Lugdun. filium probæ indolis puerum.

CAR. XXXIX.

Puer, uides globo alligatam ſimiam?
Catenulamq;? & ipſum ligneum uides
Manibus globum, quocunq; ierit, præmittere?
Ne retineatur ſcilicet à tergo? cata eſt,
Prudensq; beſtiola: atq; te hanc imitarier

Velim, puer, ſaxumq́; tuum ultro uoluere.
Nempe hoc agens, & ipſe tuam hîc crucem feres,
Chriſtoq́; parebis, uiam ſternens tibi
Bonas ad litteras: & qui eſt malis labor
Pueris, erit fructus tibi, & ſolatium.

Ad D. Margaretam à Francia Nauarræ Reginam. CAR. XL.

Clarus ob emiſſas, puerilia ludicra, Nugas,
Si toto uolitans orbe, poëta uocor:
Quantus ero, Regina, tuo ſuperumq́; fauore,
Si graue quod dederit lima uirilis opus?

Ad D. Vuiliel. Boſtonum Vueſtmonaſterij Cœnobiarcham. CAR. XLI.

Κοῖλον ἐμοὶ καὶ ἀργύρεον κρατῆρα πέπομφας,
ὦ κάλλισ᾽ ἱερεῦ, πέμπε καὶ οἶνον ἐμοί.

Latinè, utcunq́, idem.

Ingentem paterã, argentum tornatile, dono
Optime das præſul: da mihi uina ſimul.

Ad Rubellam. CAR. XLII.

Si das, Rubella, baſium
Libens, & ultro, quur mihi
Negabis illud quod ſequi
Solet? cuiusq́; baſium
Quoddam eſt uelut præludium?
Hem? quid, Rubella, muſsitas?

In quempiam prædiuitem & decoctorem, fermè è Græco ἄδηλον. CAR. XLIII.

Quæ mortalia corda, ſomniando,

Vel,

Vel,quæ de ſuperis habere poſſunt,
Sanum corpus,opes,quietem,amicos,
Cuncta adſunt tibi,cuncta habes abundè:
Set diuendere cuncta pergis,& quæ
Nondum nota tibi eſt,deeſtq́; ſola,
Quæris pauperiem:ſapis.breui iſthoc
Pacto,quam petis,aſſequêris illam.

Ad Paulum Antonium Gadagnium,
iuuenem ornatiſs. CAR. XLIIII.

Etſi iſto terres ueluti fulgore coruſcans
Hanc muſam,ad te auſit quò minus ire,meam:
Oro tamen dare te facilem digneris ut ipſi,
Gadagni:& dici me patiare tuum.

Ad D. Luc.Stellam. CAR. XLV.

Amice Stella,purpuream crumenulam
Munuſculum perelegans,
Accepi,& optimi uini lagunculam:
Grates ago tibi maximas.
Rogas,pater meus(bene quem & tuum uocas)
Vt iam ualeat bonus ſenex:
Reſpondeo paucis tibi.ualet ſenex,
Valere & ut poteſt ſenex.
Senecta enim ſecum quantum trahat mali
Scis:quin & ipſa morbus eſt.

Sermo,ſeu uerbum Dei. CAR. XLVI.

Sermo Dei uelox, ut neruo emiſſa ſagitta
Currit per tenueis alis ſtridentibus auras.

Idem aliter. CAR. XLVII.

Verba Dei noſtri currunt cita: qualia neruo
Tela emiſſa ſecant nubes, ſtridentibus alis.

Ad Ioan. Bellaium Cardinalem.

CAR. XLVIII.

Nuper tibi cùm carmina ſcripſiſſem decem,
Et illa inepta, & iſto indigna uertice,
Repentè iuſsiſti mihi numerarier
Pecuniam: quaſi ego homo eſſem pecuniæ
Inhians, & palpo, & æruſcator impudens.
Diuino ſet facilè, quid te fefellerit:
Hoc nempe, dum colloquimur, & tam humanitus
Rogas, nunquid deſit, ego tum imprudens ſatis
Reſpondeo nihil deeſſe, neceſſarios
Præter aliquot libros. Hinc ſuſpicatus es
Ambire me numos: profectò falſus es:
Habes. ſet iſthæc ne poſthac fraudi tibi
Sit impoſtura: & ut caueas, hæc audeo
Prudentiam ad tuam effutire liberè.
Tui candoris erit, meam hanc audaciam
Aequi boniq; conſulere. Aſt ego interim
Chriſtum precabor ex animo: illum ſcilicet,
Qui, fœnore addito, remetiri ſolet
Pietatis officia, ut tantum, ac talem, diu
Te præſulem ſeruet mihi ſuperſtitem.

Ad quen-

Ad quendam amicum. CAR. XLIX.

De gnato nihil eſt quòd iam ſis anxius: ille
Sic ualet, ut melius nemo ualere queat.
Verſari in libris ſtudijsq́; puellus honeſtis
Gaudet, ut in liquida ludere piſcis aqua.

De Gallo amico candidiſſimo, & liberaliſsimo. CAR. L.

Nemo eſt, quin cupiat noſtro ſe adiungere Gallo:
Tam dat abundanter: tam bene quod det, habet.

Ad Margaretam à Francia Nauarræ Reginam, Calend. Ianuarijs. CAR. LI.

Chriſtus, qui fons eſt ueræ, Regina, ſalutis,
Hac Iani prima ſit tibi luce ſalus.

Ad inclytum heroa Annam Mommorancium, Gallicanæ militiæ principem, eodem Calendarũ Ianuariarum die. 1537. CAR. LII.

Quur mea, longè iſtis cantandis laudibus impar,
Obſtrepat, auſa oculos Muſa ſubire tuos:
Quur te interpellet, forſan miraberis, heros:
Et dices, quid uult improbus iſte ſibi?
Parce, nihil peccat: ſolitos ſcis eſſe poëtas
Quum nequeant hodie munera, uerba dare.
Vt nihil ergo aliud poßim, at pia numina ſupplex
Oro, diu ut nobis te ſupereſſe uelint.
Craſtinus & Titan, naſcentis portitor anni,
Adferat exoriens omnia fauſta tibi.

In fronte cuiuſdam libri à Clemente Maroto editi, ad lectorem. CAR. LIII.

Vt quondam Maro Mantuanus ille,
Vatum ingens decus, & nouem ſororum,
Et linguæ columen fuit Latinæ:
Sic alter Maro noſter hic Marotus,
Vena diues, & arte, ſpirituq;,
Sanctoq; igne calens, refert Olympi
Flammas & ſonitus: ſuumq; ſeclum, &
Muſam carmine Gallicam ſonoro
Illuſtrat, decorat, celebrat, ornat,
Nil mortale canens: uel hoc libello
Teſte, ingens tibi quod dat autor ipſe
Munus: lector amice, gratus eſto.

Aliud Carmen in hymnos eiuſdem Clem. Maroti, ipſo inſcio editos.

CAR. LIIII.

Hic liber, ignaro domino, uolitare per orbem,
Inq; tuas (lector) gaudet abire manus.
Ex his conijcito, quæ ſint, & quanta futura
Cætera, quæ autoris lima ſeuera premit.

Ad Dominum Chriſtum σωτῆρα.

CAR. LV.

Heu, quis furor, quænam rabies dentem meum
Subitò inuaſit? nihil dum ſuſpicans mali
In cellula ſcribo, & compono carmina?
O' Aeſclapi, O' magni fili ades Apollinis.
Imò ò malorum tu propulſor maxime,

Chriſte,

Chriſte, huc ocellos flecte, tuum me reſpice,

Ad Lectorem, de Nugis ſuis. CAR. LVI.

Qui legis hæc, rectè ſic dixeris: hic bona quædam
Et mala ſunt: fateor: ſet bona multa tamen.
Quin, & multa puto mediocria poſſe uideri:
Quæ, mala quum non ſint, quid uetat eſſe bona?

Ad Rubellam. CAR. LVII.

Si me, Rubella, amas, ama
Quod amo. Quid iſtud? inquies.
Amo id, diu quod pernegas
Mihi: quod quò obſtinatius
Negas, eò uehementius
Amo, ô Rubella, ô ferrea.

Ad inclytum heroa Philippum Cabottium Maris præfectum, Calend. Ianuarijs, Anno à Chriſto nato M. D. XXXV.

CAR. LVIII.

Etſi cuncta tenes, quæ Dij concedere poſſunt,
Qualia per ſomnum nemo beatus habet,
Ingenium, Regis ſtudium, corpusq́; ſalubre,
Et genus, & partas non malè diuitias,
Non te hæc ſola tamen dignum teſtantur amari,
O Heros: aliquid pectore maius habes:
Nempe fidem, cæleſte & inenarrabile donum:
Quo datur æternum uiſere poſſe patrem.
Hæc Iani prima mitto tibi carmina luce:
Pluraq́; quum nequeam mittere, mitto decem.

Lucio

Lucio Stellæ. CAR. LIX.

Amice Stella, amicitiam noſtram uſq; adhuc
Cœptam ab ineunte ætatula,
Prouexit ætas ſemper in maius: cui
Seiunctione corporum,
Nil deperit: quum ſemper animi firmiter
Ferrumine utrinq; hæſerint
Adamantino: nihil utriuſq; non ſatis
Chriſtus benignus obtulit.
Prophana enim, uulgaris, atq; ſordida
Haud noſtra beneuolentia eſt.
Set eam Deus *finxit: fouit comes bona,*
Et pulchra, morum æqualitas.

Ad quempiam, Θρῆνος. CAR. LX.

Bis duo luſtra olim manſere ad Pergama Graij,
Luſtra ego iam totidem teq;, tuosq; ſequor.
Nempe, mihi (ex quo ſum dominũ te, et chara ſecutus
Pignora) iam æſtates præteriere decem.
Turbinis inſtar agor, ſtudijs excluſus amœnis:
Et quocunq; uocat principis aula, trahor:
Huc, illuc, quò non? trans Alpes, transq; Pyrenen
Occiduam, auriflui qua micat unda Tagi.
Rurſus in Heluetiam, & Germanæ gentis ad oras:
Trans Rhenum, & citra: quicquid & inde patet.
Et quam non gentem ac populum, terraq; mariq;
Tecum uiſurus, ſi licuiſſet, eram?
Nunc quoq; quid? neq; enim donari me rude quæro;
Viuere nec cupio ſegnis iners q; domi.

Certè

Certè orbem(ut noſti)& rerum ſpectacula malim
Noſſe ego,quàm in tenebris degere,more feræ.
Quare,ſiue ieris ultra Garamantas,& Indos,
Te ſequar,aut gelido quà riget Vrſa polo.
Te modò,quàm multi intereà mihi uertice cani
Funduntur,uideas,dum tuus eſſe uolo.
Et furtim elapſum mihi,nec reparabile tempus:
Quantaq; ſint ſtudijs commoda dempta meis.
Hæc duo te moueant,ſteriles cani,atq; Camœnæ,
Aures hæc penetret iuſta querela tuas.

Ad Chriſtophorum Richerium Thorignium. CAR. LXI.

Carmen tuum legere nuper mihi contigit,
De matre factum Virgine.
Ne uiuam,amice Richeri,tu niſi mihi
Deus uideris,non homo.

Ad Berteletum Regium in Anglia bibliopolam. CAR. LXII.

Hoc mane primùm,Bertelete,te domi
Tuæ alloquutus & tuam
Vxorculam,ò Dij boni quam fœminam,
Taliq; quàm dignam uiro:
Dixi repente,dixi,ſunt Britannici
Candoris hæc præludia,
In Gallia quæ agenti adhuc prædixerant
Compluſculi ex ueſtratibus.
Nanq; obtuliſti liberè,& gratis libros:
Et,ſi uelim,pecuniam,

Mox,

Mox, ut meum uidi puerum uolumina
Tractare neſcio quot noua,
(Quod munus illi dederas ad me clanculum)
O quanta liberalitas
(Clamaui) ut illum, quem prius non noueris,
Sic accipias humaniter.
O Bertelete, ſi tui ſimillimos
Multos habet Britannia,
Autore CHRISTO, *ſomniare deſinam*
Patrem, meamq; Galliam:
Et quos Lutetiæ reliqui amiculos:
Hîc uiuere, hîc mori uelim.

Ad Aulum puerum. CAR. LXIII.

Omnem te noſtri curam abieciſſe putabo,
Ni ſubitò huc ad me ueneris, Aule puer.

In quempiam, fermè è Græco ἀδήλου. CAR. LXIIII.

Vixdum in marmore condita priore
(Demens) coniuge, qui petis ſecundam,
Cedo, quid tibi uis? diu tuliſti
Diſcrimen, quod idem ſubire pergis.
Qualis, qui redit ad periculoſam,
Iam fracta rate, nauigationem.

In eundem. CAR. LXV.

Mortua prima, tibi qui ſecundam
Coniugem quæris, facis, ut profundi
Qui maris fluctus repetit ſonanteis,
Iam rate fracta.

Ad

Ad Aulum puerũ, ſcripſi puer. CAR. LXVI.

Ludere qui nuper mecum & ſaltare ſolebas,
Quem docui, & pueris omnibus antetuli,
Cui non pauca dedi, cuperem & dare plura, fugis me?
Me fugis ingratus, me fugis, Aule puer?
Quem fugis infelix? meliorum nactus amicum es?
Scilicet: ah, quid agas ſi ſapis, Aule, uide.

E Græco τοῦ Ἀυτμίδοντος, quod diſtichon in prioribus Nugis iam uerſum eſt, & fortaſſe melius. CAR. LXVII.

Commoda tum demum fuerit tibi, & utilis uxor,
Si mox mortem obiens, det tibi, quicquid habet.

Aliud. CAR. LXVIII.

Res uxor nimis eſt moleſta: ſet quæ
Proſit, ſi ſubita perempta morte,
Rem lautam tibi, & uberem relinquat.

Iouis epitaphion, è Græco ἄδηλον. CAR. LXIX.

Qui mare, qui terras, qui fulmine terret Olympum,
Quem trepidant manes, Iuppiter hîc ſitus eſt.

E Græco τοῦ Σαμίου. CAR. LXX.

Diu ſtudens, nil melius hoc didici: bene
Qui uiuit, & gaudet, ſapit.

Pſalmus τοῦ Δαβίδ. XV. paraphraſticôs redditus, ad D. Petrum Liſetum, in ſenatu Pariſien. præſidem primariũ, uirum opt. CAR. LXXI.

O Deus, in ſummo quis tecum habitabit Olympo?
Quis tua cœleſteis incolet aſtra domos?

Nempe, manus puras, & quiſquis pectus honeſtum
Attulerit: ſimplex, & pietatis amans.
Candidus, & uerax animus: qui lædere lingua
Oderit, & fuci neſcius, atq; doli.
Qui quod pollicitus fuerat, ſeruauit: & idem
Qui uitare malos nouit, amare bonos.
Qui non in numis uſuram exercuit, & qui
Munera ab incauto paupere nulla tulit.
Talis erit fœlix, & ab omni parte beatus:
Stabit, & inuicto robore tutus erit.

Ad Deum patrem. CAR. LXXII.

Da pater, ut mea mens adeò tibi ſeruiat uni,
Vt fugiat quicquid mundus ineptus amat.

Aliter. CAR. LXXIII.

Da, pater, ut mea mens uni tibi dedita, mundum
Oderit, & quicquid curat, amatq; caro.

In ſeipſum. CAR. LXXIIII.

Nunc ſeriás res tracto, nunc res ludicras,
Nunc mœreo, nunc gaudeo.
Sic uictito. Set eſſe oportet omnium
Rerum uiciſsitudinem.

Lectori. CAR. LXXV.

Lector, quiſquis es, haud iniquus, & cui
Tantum ſuppetit ocij, ut legendo
Hæc ludicra, uacet minutulatim
Cuncta expendere, mox amiculorum
Inter pocula curioſiorum,
In cœtu (ut fit) ubi tuum rogabunt

Omnes

Omnes iudicium,quid(oro)dices?
Ah,uinum caue,ne prius loquatur.

In ſeipſum,ad Carolum Pucrium. CAR. LXXVI.

Me,quamuis iuuenem,uitæ ſi tædet amaræ,
Quid,cùm me ſenij ceperit acris hyems?

Ad Rubellam. CAR. LXXVII.

Tibi en,Rubella,ſocculos
Mitto,quibus per hoc gelu
Pedes iſtos tenellulos
Tibiq; mihiq; protegas.
Potes referre gratiam.
Si manè cras huc aduoles.
Iſtos tuos ocellulos
Vt uſq; & uſq; deoſculer.
Nihil uolo amplius,nihil.
Tu me,Rubella,beaueris,
Si feceris quod poſtulo:
Id ſi (quod abſit)negligas,
Nunquàm remitto noxiam.
Nanq; hoc glaciali in tempore
Vror miſer:ſet tu potes
Refrigerare æſtus meos,
Caſtis tuis ſuauijs,
Rubella ſola:tu potes.

In quendam obtrectatorē. CAR. LXXVIII.

Tanti te facio,nebulo uaniſsime,quanti
Teſtudo muſcam:quanti elephas culicem.

Ad Menaldum Marthorium Cozera
num præſulem. CAR. LXXIX.

Poſt tot ſuſceptos exanthlatosq́; labores,
Præmia ſunt, præſul, certa repoſta tibi.
Te ſenſit princeps, ſenſit reſpublica noſtra
Eſſe uirum, meritis & pietate grauem.
Macte eſto uirtute iſta: regemq́; gregemq́;
Quod facis, aßidua ſedulitate iuua.

Illud de fato ἄλλων, Εἰ μὲν ἦν μαθεῖν ἃ δεῖ πα-
θεῖν, &c. quãuis Latinè reddi uix poſſit,
tamen utcunq; ſic uertimus, ad Io.
Ginoliacũ Montis Sanquin-
tini cœnobiarcham. CAR. LXXX.

Si quæ præſcieris futura, uitas,
Præſciſſe illa iuuat: Set illa amabò,
Quid præſciſſe iuuat, quæ aperta quamuis
Vitari nequeunt? ferenda enim ſunt.

Ad Chriſtophorum Richerium Senonen.
poëtam, in digreſſu ex tempore.
CAR. LXXXI.

Poſtquàm nos aliò uis numinis abſtrahit ambos,
Noſtraq́; ſeiungi corpora fata uolunt,
Hoc breue, dum redeam, noſtri cape pignus amoris
Carmen, quo poßis, cùm legis, eſſe memor.

Lutetiæ Pariſiorum ἐγκώμιον ad Auguſti-
num Tuanum, Senatorem Pariſien.
uirum grauiſs. CAR. LXXXII.

Adeſte, ut hic Lutetiam,

Muſæ,canamus:inclytam,
Felicem,amœnam,nobilem,
Claram,potentem,amabilem,
Academiam pulcherrimam,
Locum ueſtris idoneum
Cubilibus,digniſſimum
Sanctis Deorum altaribus:
Vrbem omnium celeberrimam,
Qua ueſter ille maximus
Apollo præſes gaudeat,
Cyrrha relicta, & ſi quid eſt
Gaudere quo quondam ſolet.
Scholam uiris illuſtribus,
Poëtis,oratoribus,
Frugiq; adoleſcentibus,
Mulierculis cultiſſimis,
Puellis integellulis.
Quid de ſenatu proloquar,
Longè omnium ſanctiſſimo?
De patribus?de regia
Sede,omnium auguſtiſſima?
De te, Tuane?& de tuis
Heroicis uirtutibus?
Quid Sequanam?quid inſulam
Iocis, choris aptiſſimam?
Quid quòd ſub arborum comis,
Syluisq; concrepantibus,
Melos canit ſuauius

Solito, lyræ dulcis ſonus?
Hîc ſpirat aër mollius,
Floresq́; rident blandius:
Hîc terra uernans bellulam, &
Serenam effundit aurulam:
Halant roſeta gratius,
Cantant aues argutius,
Florent uireta pulchrius,
Virentq́; florulentius.

Ad eandem Lutetiam. CAR. LXXXIII.

Felix es, ô Lutetia, ter
Felix, ter & quater: quid enim
Deſideres, quod non habeas?
Quando & Charites, Muſæq́;, tuo
Sunt in gremio? tecumq́; habitant?
Matremq́; te elegêre ſuam?

Ad amicum ægrotantem. CAR. LXXXIIII.

Ni foret ægrotos interpellare moleſtum,
Acciperes Muſæ carmina plura meæ.
Set plura accipies, & erunt fortaſſe moleſta,
Audiero cùm te conualuiſſe. uale.

Pſalmus Dauidis CXIII. Latinè uerſus ex tempore, in gratiam reginæ heræ. CAR. LXXXV.

O ſerui Domini, Dominum laudate tonantem:
Omnis laus illi cedat, & omnis honos.
Solis ad Occaſum Dominus laudetur ab Ortu,
Quantum huius mundi machina lata patet.

Quis

Quis Domino noſtro ſimilis, regum atq; gigantum?
Aut quis ei in ſumma proximus arce ſedet?
Hic nutu terrere poteſt uel quicquid Olympus,
Quicquid habet tellus, æquora quicquid habent.
Hic ſuperat ſtellas, atq; omnia ſydera longè:
Præ quo, Phœbe, tuum lumine lumen hebet.
E cœlo tamen in terris quæcunq; geruntur,
Perſpicit obſeruans, ipſaq; corda uidens.
Subleuat adflictos, miſeris ſuccurrit, & ægris:
Squallentemq; inopem tollere gaudet humo.
Contemptumq; hominem primôres inter, & inter
Electos populi uult habitare ſui.
Et matrem gaudere facit, ſua pignora circum,
In uacua ſterilis quæ fuit antè domo.

Ad F. Laurum Vaſconem.

CAR. LXXXVI.

Laurea laurigero debentur carmina Lauro:
Laurus es, ô nomen tibi quàm bene conuenit iſtud.
Nam tua te pietas animiq; modeſtia, tantum
Efficit, ut toto uolites celeberrimus orbe,
Cœleſtemq; petat uirtus tua laurea palmam:
Laureus ut totus ſit Laurus, & aureus idem.

Iacobo Sadoleto pontifici Carpentoractenſi, uiro eloquentiſsimo. CAR. LXXXVII.

Quum ſtudiũ Sophiæ, quid ſit, quid [illegible]gendum
Monſtret, ut ad ueras perueniar[illegible] opes:

Hoc,quur non omnes totis amplectimur ulnis?
Quur,quæ uulgus amat,malumus illa ſequi?
At iam tandem utinam reſipiſcant ſecula noſtra:
Et monimenta legant,ò Sadolete,tua:
Eſſe magis brutos homines ego iudico brutis,
Quos tua non fando flexerit alma Charis.

In fronte libri de laudibus philoſophiæ,ab eodem Sadoleto editi, ad lectorem.

CAR. LXXXVIII.

Ἥνικ' ἀναγνῶσαί σοι τὸ τῆς ἐγκώμιον
φιλοσοφίας, μᾶλλον δὲ ἢ ἄλλων πινὸν,
τόδ' ἔγραψέν σοι ὁ κεῖνος Σαδόλητος μέγαν,
ἀνὴρ ὁ θεῖος, ὁ τεχνίτης ἐξαίρετος.

Quur mors nemini metuenda ſit,ad Franciſcum Pucrium à Beneſtæa, & Carolum eius Germanũ.

CAR. LXXXIX.

Viuit nemo diu,cui tot mens anxia curis
Aeſtuat:at curis nemo carere poteſt.
Curas omnis homo adfert ſecum,matris ab aluo:
Atq; ubi ſunt curæ,mœror adeſſe ſolet.
Omnis uita hominis quamuis felicis,abundat
Curis:ergo poteſt uiuere nemo diu.
Quur homini eſt igitur Mors formidabilis ulli?
Quur?nam Mors miſeris non niſi ſera uenit.

In

In mores ſui temporis, ad Ioan. Rænerium & Gilb. Ducherium congerrones ſuos. CAR. XC.

Videmus in pretio hodie eſſe maximo
Canes, & accipitres, in aulis præſulum:
Summaq; cura equos nitenteis paſcier:
Coquos ornari, & artifices omneis gulæ:
Turbamq; cantorum, & paraſitorum greges,
Et aleonum, & hiſtrionum, & omnium
Hominum id genus, quos ſuſtinet tellus parens
Aegrè alma. ſet quid Ræneri, & tu Ducheri,
Quid muſsitatis ambo ſeorſim in angulo?
Adeſte amici, unaq; ſimus iugiter,
Labore noſtro uictitantes muſico:
Animóſq; noſtrós litteratis fabulis
Subinde recreemus: at illos gurgites
Suo ſinamus, ut ſues, luto immori.

D. Ioan. Vauxello Lugdun. uiro exiſtimatiſſimo. CAR. XCI.

Scis quur Borbonius te ſæpe libensq; ſalutat,
Vauxelle? atq; tuam gaudet adire domum?
Non epulæ, non ſpes cuiuſquam muneris illum
Ducunt: fœlix eſt ſorte poëta ſua.
Virtus iſta tua eſt, quam ſic ueneratur, ut in te
Neſcio quod magnum numen ineſſe putet.

Ad Laurentium Theyſium cognomento ab Hercule. CAR. XCII.

Tu, quod pollicitus mihi es nomiſma

Amplum,atq; egregium,atq; peruetuſtum.
Quur non das citius?fidemq; ſeruas?
Laurenti, Allobrogum decus tuorum?
Nam,qui dat citò,bis dat:at morantem
Ingratam quoq; gratiam uocamus.

In Zoilum. CAR. XCIII.

Scis quid lucreris mea,Zoile,carmina mordens?
Clarior ut fiam:tu miſerabilior.

In nouam poëtæ Martialis editionem,à Ducherio Vultone recogniti,ſcholijsq; non pœnitendis illuſtrati. CAR. XCIIII.

Heus, unde,unde poëta Martialis
Multò comptior,elegantiorq;,
Prodis,obſecro,quàm ſoles?tibi adſum
Docta à Ducherij tui officina.
Paucos me uoluit dies habere
Secum unà ille domi:atq; liberalis
Hoſpes muneribusq;,honoribusq;
Aucto,reddidit(ut uides)nitorem
Illum,quem mihi fœda barbarorum
Gens abſtraxerat.ergo & ipſe mecum
Tu uati mihi gratulare uates:
Et dic Ducherio hoſpiti benigno,
Vt ſperet memores ſui futuras
Tanti in me officij nouem ſorores.

De eadem editione, ad lectorẽ. CAR. XCV.

Quod legis, ò lector, Muſis & Apolline dignum,
Hoc, ope Ducherij, penè reuixit opus.

Ad Iacobum Amæum iuuenem
utraq; lingua doctiſs.
CAR. XCVI.

Hei mihi, cùm nuper ſum tecum, Iacōbe, loquutus,
Hei mihi, congreſſus quàm fuit ille breuis.
Nam peregrè (ut noſti) comitatus agebat herilis,
Iſtic nec toto contigit eſſe die.
Sic ſuperis uiſum. at quem nos firmauimus uno
Colloquio, hic omni tempore creſcet amor.

Ad Claudium Dogirolium.
CAR. XCVII.

Ore, fidibusq; æquare olorinum melos,
Vibrare corpus in gyrum, atq; in aëre
Diu pendère dextrè, & fęliciter,
Saltuq; item, & curſu, facilè omneis uincere,
Pingendi in arte cedere uix cuiquam alteri,
Hæc ſunt, amice Claudi, quæ te amabilem
Iuuenem reddunt. ſet in te aliud quiddam tamen
(Cœleſte donum) ineſt: Modeſtia ſcilicet:
Per hanc fit, ut paßim reliquæ dotes tuæ
Celebrentur: & ſis omnibus gratißimus.

Ioanni Piponio amico intimo nuper
uita functo, epitaphion flens
feci. CAR. XCVIII.

O' mihi quem rapuit crudelis Parca, Pipôni,
O' mihi quo nemo iunctior alter erat:

Accipe

Accipe quod madidis pono hic tibi carmen ocellis,
Carmen, quod longum non ſinit eſſe dolor.
Vnà (ut ſpero) breui læta iſta tenebimus arua:
Intereà fœlix & memor umbra Vale.

Ad Muſas. CAR. XCIX.

Gratias uobis agimus, ſorores,
O Iouis proles ueneranda, Muſæ:
Orbe quòd toto celebres legamur
Munere ueſtro:
Quodq; ſe fruſtra ſceleratus angat
Zoilus, ueſtrum quoties laceſſit
Me, ò Deæ: ſic ò mihi, ſic fauentes
Semper adeſte.

Ad Lectores. CAR. C.

Aut legat æquo animo, aut parcat mihi: ſi quis inepta
Hæc legit emunctæ carmina naris homo.

NVGARVM LIBRI SE-
XTI FINIS.

NICO-

NICOLAVS BORBONIVS VANDOPERANUS

ranus beneuolo lectori ſalutem.

VULGARE *prorſus, atque adeò natura cõparatum eſt, amice lector, ut quod probat ac miratur unuſquiſq; id debere placere & alijs exiſtimet. Atque ita (quod ait Theocritus)* τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφανται. *Hoc propterea dico, quòd olim mihi adhuc penè adoleſcētulo, carmina mea neſcio quæ eò uſq; placuerunt, ut illa, quamuis puerilia, & inepta, præcipitare in uulgus non dubitarem. Quur enim diſsimulem, quod lippis (ut aiunt) ac tonſoribus notũ eſt? uidelicet, me Suffenulum aut Meuiolũ quempiam fuiſſe, cùm Nugas meas, & taleis, excudi typis paterer? Set tu, quiſquis es, lector, facilè dabis audaciæ iuuenili ueniã: cogitabiſq;, quàm pauci ſint à morbo* τῆς φιλαυτίας *immunes: quàm latè graſſetur quoquouerſum hæc peſtis, & ubiq; gentium. Memini me olim in meipſum ludere hoc diſtichon:*

> *Quæ ſunt pulchra mihi, hæc alijs puto pulchra uideri:*
> *Sic homo ſum genij cæcus amore mei.*

Quanquàm non uideo, quur me magnopere pœniteat editarũ Nugarum, præſertim quũ pleriſq; οὐκ ἀμούσοις *hominibus illas perplacuiſse certò ſciam: niſi quòd in illis quædam dudùm à quibuſdam malè feriatis ingenijs*

perperam

perperā intellecta, atq; in calumniā rapta ſunt: ob quæ tam multa paſſus ſum miſer, ut quotidie me mirer eſſe ſuperſtitē. Domino CHRISTO laus & gratiæ. Quod attinet ad reliqua quædam opuſcula, quæ limam adhuc expectant, qualia erunt ea cunq;, tibi haud grauatè impertiam, ſi hæc quæ nunc amicorum efflagitationibus uictus emitto, palatum tuum non offendiſſe cognouero. Habeo duas Syluulas: alteram Chriſtianiſſimo regi noſtro FRANCISCO, alteram ſereniſſimo Henrico VIII. Britannorum regi, nuncupaturus: quòd uideam duobus hiſce principibus ætate noſtra plurimùm debere pietatis, artiumq; bonarum ſtudioſos omneis. Habeo & ludicrum poëmation, in iſtos bellos homunculos, qui nouas neſcio quas, & exquiſitas ſermonis delitias, nouos dicendi, ſcribendiq; floſculos, inauditas orationis Veneres, cupediasq; profitentes, prodigioſa religione ſtudioſorum animos obſtringunt: Eoq; nomine ſoli hominum Ciceroniani haberi uolunt, & habentur hodie apud imperitos rerum. Oſtendam θεοῦ λιλούσιος, & quàm procul aberrent à ſcopo ſuo, & qua pœna digni ſint, qui talia moliuntur. Item opuſculum aliud iambico carmine conſcriptū, cui inditus eſt titulus, HOMO NEMO. Quod & ipſum partim in carcere, partim nauigādo effutiui. Carcerem meum, opus (ut ſpero) candidiſſimo ac eruditiſſimo cuiq; gratū futurū, polliceri nondum audeo. Epigrammata Græca uel iniuſſu meo prodire geſtiūt. Atq; hæc quidem omnia Nugarum titulo: præter Carcerem

terẽ et duas Syluas ad duos reges, quòd in eis ſcribẽdis me ſuperaſſe ipſum mihi uidear: perſuaſum q́; habeam, ſeriò mihi Muſam adfuiſſe, hoc eſt, opem domini CHRISTI, *cui totus ſeruire uolo, dum uiuam. Set iam uereor, ne in me quadret illud* Horatij: *Parturient montes, naſcetur ridiculus mus. Quare deſino plura polliceri. Quæ parturio, qualia qualia ſunt, ut pariã tandem, faxit Deus optimus maximus, uertat q́; bene omnia in honorẽ ſanctiſſimi ſui nominis. Non me latet eſſe fucos quàm plurimos, ignauũ uidelicet pecus, atq; adeò noui ego eos ſciolos ac iactanticulos quoſdã, qui aliena carmina uulgò pro ſuis oſtentãt, neq; uerẽtur dictitare ſeſe ſcribere libros epigrãmaton. Qui ſi mihi ſtomachũ facere inſtiterint, facilè efficiam, ut eos pudeat ſui: ne quid dixerim acerbius. Hìc mihi in mentẽ uenit diſtichi, quod in huiuſmodi corniculas luſi. id tale eſt:*

Sunt bona qui faciant alieno epigrammata Marte:
Solus ego has Nugas ſcribere malo malas.

Non loquor de bonis ac bene doctis, qui hodie ſeriò epigrammata componere dicuntur. Tametſi & ijs quoq; ultro tantũ cedimus in ipſa inſcriptionis laude, quantũ cura, elegãtia q́; carminis cedere oportere nos agnoſcimus. Quin ut ingenuè dicã, uereor multũ, ne Nugarũ titulus grauior excellentior q́; eſſe uideatur, quàm cui ſcripturæ meæ leuitas, humilitas q́; reſpondeat. Atque ita eſſe cognoſcent omnes, quicunq; eiuſdem Muſæ uel tantillum ſtudioſi, hoc genus uigiliolas aliquando uigilarunt: ſi modò unquam in ſcripta mea inciderint.

Abſit

Abſit enim hæc inſania procul à me, ut ulla in re glorier, hoc eſt, efferar animo, niſi in cruce domini CHRISTI, *qui ſolus eſt gloria, & ſalus mea.* N*æ is uerè ille unus eſt, ſi modò credimus, in quo nos placere nobis debemus ipſi: & cui acceptum ferre nos oportet, quicquid immenſa illius bonitas uirtutũ & honeſtarũ rerũ nobis homunculis largiri dignatur.* N*imirũ is ille eſt, inquam, qui animas noſtras uelut* αὐγειοῦ βασασίαν *effuſo ſanguine ſuo perpurgauit.* Hoc *nobis glorioſum, hoc palmarium eſſe debet. Verùm de his hactenus. Si ueſtẽ haberẽ pellibus ſuffultam, ſi abundarem mutatorijs, ſi eſſet mihi luculẽtus in cubiculo focus, ſi multa alia ſuppeterent ſtudioſis, nedũ adflictis, & ægris neceſſaria, fortaſſe plura ac meliora præſtare poſſem. Set ipſe nouit* Deus *quid mihi opus ſit.* Ei *honor et gloria in omne æuum. Superiore anno, cùm agerẽ in Gallia, pecuniæ neſcio quid habebam in cellula libraria: habebã & induſia linea aliquot, munuſcula matris meæ, & thoracas duos, tunicas treis, pileos aliquot, lectulum portatilem perelegantem, luſciniolam in caueola ſuauiſſimè modulantem, par crepidarum & manicarum, citharã bene canoram, & ab amico non uulgari mihi dono datam, nomiſmata aliquot ærea et argentea eximiæ notæ & peruetuſtæ.* Lictorũ, *apparitorumq́; hæc omnia, et flagitioſorum nebulonum, qui me nec opinãtem in carcerem coniecerunt, prædæ fuerunt. Sic perijt mihi paulo momento, quicquid ex benignitate quorundam mihi acceſſerat, quorũ liberos pro uirili mea parte, honeſtis*

cum

cùm moribus, tum literis inſtitueram. Hæc mea fuêre præmia bene nauatæ tot annos operæ: ut interim nihil dicā de libris meis, flagitioſiſsimè diuēditis, in aleâq;, me captiuo, & in ſcorta profuſis: quorū iactura, atq; deſyderio, magis ac magis in dies diſcrucior. Tantum abeſt, ut ſummo illo ſubſidio fruar, quo literati ferè inſtructi gaudent, librorū ſupellectile ſcilicet. Ego quibuſdam familiariter conuixi, qui doctrinæ neutiquam uulgaris fama commendabantur. Ii ſi quando epiſtola ſcribenda, aut carminis aliquid faciendum erat, continuò ſeſe in bibliothecam ſuam conijciebant, haud aliter quàm ſolet teſtudo ſeſe in teſtam ſuam, imminente periculo aliquo, recipere: eq; librorum theſauris, tanquā è penu, non uerborum modò copiam, ac ſermonis lumina, uerùm etiam rerum omnium argumenta, & concinnitates, & cætera ornamenta, petebant: Nimirum apûm in morem, quæ, ut ait Homerus *noſter, floribus inſidunt uarijs, &c. Mihi uerò huiuſmodi facultas negata eſt, ut ſi cuiquam alij artis Muſicæ ſtudioſorum. Quapropter à te petitum impetratumq; uelim lector, in gratiam* CHRISTI *domini, ut æqui boniq; cōſulas, quicquid ab hoc uix mediocri ingenio profectum uides. Iam tēpus appetit, uelim, nolim, ut finem faciam. Neq; enim fidem mihi unquā facient gnatones iſti, qui mihi* Nugas *meas ita prædicant, ut ijs nihil neq; addi neq; adimi poſſe uideatur. Nugatū eſt iam plus ſatis: & alioqui manum cogor de tabula tollere. Tanta uis eſt huius frigoris, cuius, ut ſæpe dixi, natura etiam ſum*

impatiẽtiſſimus. frigus autem quàm iniquum ſit tenuibus ac macris corporibus, ex illo Euripid. pulcherrimo ſenario liquet:

ψύχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον.

Quem uerſum Latinè ſic utcunque reddere conati ſumus.

Nil corpori tenui frigore inimicius.

Vt autem, more meo, epiſtolã uerſibus claudã, & quoniam in frigoris mentionem incidi, accipe decaſtichon noſtrum, quod hoc ipſo frigore, quod faciendo patior, meritò frigidius eſſe dixeris.

Sæuit hyems: hyemi grates age, quiſquis inepti
Ludi huius finem, lector amice, cupis.
Algeo iandudum, & pendet mihi ſtiria naſo:
Frigore torpentes obriguêre manus.
Horrifer ecce furit Boreas: ego pauper, & æger,
Et macer, à ſtudijs cogor abeſſe meis.
Si mihi largiri uitam dignabitur ille,
Omnia qui inuicto numine fata regit:
Doctior amotis tractabo ſeria Nugis:
Quid mea non præſtet Muſa, uolente Deo?

Hic, ſuſpenſo calamo, per cubiculum prodeambulabo: tantiſper dum miſerum hoc corpuſculum nõnihil recaleſcero. Iam, gratia Deo, ſatis caleo, ac meliuſculè habeo. En tibi hexaſtichon, quod modò prodeambulando feci.

Non dubito hunc, lector, quin indignere ſcatẽtem
Verborum fœda colluuione librum.

Ecquis

Ecquis enim tam leni animo fert omnia, quem nō
Hic lædat nimia garrulitate ſua?
Sic (fateor) ſic eſt: at tu legiſſe memento,
Vt ſapias poſthac, & meliora legas.

Set iam ecce rurſus inuadit me frigus: quod ni motu atq; agitatione aliqua propulſem, periculum ſit, ne ſtatim uerſus in lapidem obrigeam: ut de Niobe poëtæ fabulantur. Dominus CHRISTVS *te ſeruet, amice lector. Bene uale, & Borbonium pia aliqua precatiuncula Deo commenda. Quæ tibi ſum pollicitus, ubi ſatis maturuerint, in manus tuas (σὺν θεῷ εἰρήσθω) emittā. Londini, III. Nonas Maias,*

M. D. XXXV.

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis, Nugarum liber ſeptimus.

Ad Muſam, ut ſibi D. Hil. Bellaium cognomento Langium patronum ac fautorem conciliet. CAR. I.

MVSA, longorũ miſerere tan-
Quos tuo iuſſu ferimus, (dē
laborum:
Nam tui ſemper fuimus, ſumusq́;, &
Vſq; futuri.
Gratius nobis erit illud unũ
Supplices quod nunc, Dea, te rogamus,
Totius quàm ſi maris, atq; terræ,
Gaza daretur.
Langium nobis petimus patronum,
Langium, ueſtri Charitumq́; cœtus
Principem: & de quo tibi polliceri
Omnia poßis.
Fronte perfricta potero uideri,
Huius oblitus mediocritatis:
Qui petam, quod uix meruere magno
Nomine uates.
Quicquid eſt, nunquàm mea mens quieſcet,

Antē

Antè nec theca citharam recludam,
Quàm tua nobis prece(diua)pectus
Iunxeris illud.
Tunc opus linquam puerile Nugas,
LANGII *factus melior fauore:*
Cygnus ut ſupra uolitans relicto
Aethera nido.
Illius dicam ſimul & pudicæ
Coniugis laudes uterum ferentis:
Quæ breui pulchra faciat maritum
Prole parentem.

Ad eundem,& Iac.Tuſanum præceptorem. CAR. II.

Saluete,ò Tuſane,& tu clariſſime Langi,
Quos ueluti geminos,quos ut duo lumina mundi
Suſpicio ſupplex,mecumq; hæc ſuſpicit ætas:
Saluete,& memores(ut uos decet)eſte malorum
Tantorum,queis me immeritum fortuna nouercans
Cæca Dea ut uaſtis inuoluere fluctibus inſtat.
Set quid ego hæc uobis?quur hæc tam triſtia porto
Verba?perinde quaſi oblitos uos ſuſpicer amens,
Promiſi:nec ſat mihi de candore,fideq;
Conſtet adhuc ueſtra:quare mera bellua dicar
Auſus uos taleis interpellare,neceſſe eſt:
Vos inquam,quorum alterius nunc Gallia florens
Munere,Romanamq; tenet,Graiamq; Mineruam:
Alterius, proceres noſtri,reſpublica noſtra
Pendet ab ore pio:hoc audito interprete,reges,

Tot populi, firmo coniungunt fœdere dextras,
At uos audaci ueniam mihi detis oportet,
Dum legitis laceræ carmen miſerabile Muſæ.
Spero fore, ut ueſtra uates ope ſydera tangam,
Famaq; anus omneis me uincere dicat olores.

Ad Deum opt. max. pro dentium doloribus, θρῆνος. CAR. III.

Audi pater, pater, meum
Clamorem, & exaudi preces:
O CHRISTE IESV, *per tuam*
Crucemq; & omnia uulnera,
Per quicquid unquam paſſus es,
Oro, miſerum me liberes
His dentium cruciatibus,
Doloribus furialibus.
Nam morbus hic inutile
Totum mihi corpus facit:
Ita inſtat, urget, enecat.
Ni reſpicis, periclitor.

Ad Iacobum Turnonium, Valentiæ antiſtitem, Calendarum Ianuariarum die. CAR. IIII.

Ille pater Ianus, cuius de nomine nomen
Prima dies anni, menſis & huius habet:
Præfuit Auſonijs quondam feliciter oris:
Nomine quo, ſummos æquat honore Deos.
Tu longè ſuperas omni uirtute bifrontem:
O te, poſt cineres, gloria quanta manet.

Gens

Gens hodie, tua gens, & Gallia tota, & Apollo,
Et Muſæ, exoptant omnia fauſta tibi.

Ad Franc. Cardinalem Turnonium. CAR. V.

Dum peregrè abſentem pietas, & amœna uireta
Te retinent, & uer, & philomela canens:
Tunc tua, tunc etiam ſentimus numina, præſul:
Corpus abeſſe poteſt, neſcit abeſſe fauor.
Set uixdum reducem, diſcedere cerno paratum
Rurſus, & Auſonium uiſere uelle ſolum.
Scilicet, huc illinc migrent ut te duce Muſæ,
Galliaq́; ut tumeat munere clara tuo.
At te (oro) ſerua: quid quæſitum ire neceſſe eſt
Tam procul hinc, certum eſt te quod habere domi?
Quid ſperare poteſt, te ſoſpite, Gallia maius?
Aut tu, quid teipſo maius habere potes?

Clariſsimo uiro Philippo Cabottio, Franciſci Regis apud Henricum Angliæ regem oratori. CAR. VI.

Qui ſim, quid' ue petam, ſi quæras, accipe paucis:
Te Gallum cupio cernere Gallus ego.
Ardeo diuinum coràm iſtud cernere pectus,
Egregiæq́; ſimul coniugis ora tuæ.
Audiui quanto CHRISTI *flagretis amore,*
Scilicet ambo animis & pietate pares.
Quare ego permotus fama pauperculus iſta,
Hos temere uerſus bis tibi quinq; dedi.

Ne me igitur ſpernas,ò admirabilis heros,
Me,cuius uoluit CHRISTVS *amore mori.*

Ad Lud. Carinum Heluetium,hoc ſcripſit mox rus migraturus cum Rubella ſua. CAR. VII.

Quid ruri faciam,rogas Carine?
Amplexabor amicam,& oſculabor,
Indulgens genio,cutemq́; curans:
Et chartas uetereis humi iacenteis
Collectas redigam in uolumen:ipſa
Muſa præſide,& arbitra Rubella.

Ad N.puerum filium eius, in cuius prædiolo unà cum Rubella ruſticabatur. CAR. VIII.

Expectate diu nobis,puer auree,ſalue:
Inq́; tuos hortos,pulcher Adoni,ueni.

Ad Thomam Crammarum Cantuarien. Archi. in fine epiſtolæ.
CAR. IX.

Scribere quur auſim toties tibi,Crammare præſul,
Nominis in cauſſa eſt ſplendida fama tui.
Eſt nimium diues te heroë Britannia tanto:
Quo latium,quo nil Græcia maius habet.
Tantus es,ut nequeas maior,uel clarior eſſe,
Ni teipſum ſuperes,& Deus eſſe uelis.
A' patre cœleſti talem te,præſul,habemus:
Tale ſuo populo te dedit ille caput.

Ad

Ad eundem. CAR. X.

Hoc uoluis,quod fata uolunt te uoluere,ſaxum:
Sic patrem populi,ſic decet eſſe pium.
Illum oro,ſemper tibi,Crammare præſul,ut adſit:
In cuius portas aurea uaſa domum.

Εἰς τὴν παῖδα εὔμορφον. CAR. XI.

Dum natura marem'ne fœminam'ne,an
Neutrum edat,dubitat,repentè neuter
Penè,aut factus es,ò puer,puella.

E' Græco τοῦ Σαμίου. CAR. XII.

Non eſt honeſtum petere ab amicis,quod tibi
Præſtare,ſi uelis,queas.

Ad Nicolaum Companum,in comeſſationes, εἰς τοὺς κώμους. CAR. XIII.

Venter cibo tumens,meroq́; exæſtuans,
Deſpumat in libidinem.
At corporis uigor perit libidine:
Animiq́; lux extinguitur.
Pecudum illi non hominum ſunt digni nomine,
Qui pro Deo uentrem colunt.
Hos,Nicolaë,amicorum integerrime,
Fuge,angue peius,& cane.

Ad Reginam Britanniæ heram. CAR. XIIII.

Coruorum pullos plumisq́; ciboq́; carenteis
Optimus è cœlo ueſtit alitq́; Deus:
Nec me ille(ut ſpero)extorrem,miſerumq́;,relinquet:
Qui pater adflictis gaudet adeſſe ſuis.

Quid mihi deeſſe poteſt illo, Regina, uolente
Vt mihi ſis præſens numen, opemq́; feras?

Ad eandem. CAR. XV.

Tu mihi formandos pueros, Regina, dediſti,
Conor in officio quemq́; tenere ſuo.
Faxit CHRISTVS, *ut huic poßim par eſſe labori,*
Aetherea fingens uaſcula digna domo.

Paupertas. CAR. XVI.

Neceßitas telum & quidem durißimum eſt:
Set uincit indigentia.

Ad D. Catilium Regis Franciſci
apud Anglos oratorem.

CAR. XVII.

O Catili, ô decus, & priſcæ uirtutis imago,
Cuius noſtra ferè Muſa reuixit ope.
Felix illa dies, niueoq́; notanda lapillo,
Dextra fuit dextræ qua mea iuncta tuæ.
Contigit hoc nobis opera & candore Macrini,
Qui te hodie lyricis tollit ad aſtra ſuis.
Qui nũc legatum ad Regem, populumq́; Britannum,
Te ſequitur uotis, flebilibusq́; modis.
Te gemit abſentem uates: qualis Philomela
Deflet inhumana pignora rapta manu.
Set reducem te (ſpero) breui cernemus, & ipſe
Humida ſiccabis coniugis ora piæ.
Et me, Macrinumq́; *hilari ſolabere uultu:*
Et, ueluti præſens Muſa, duobus eris.

In Hircium, è Græco τοῦ Σαμίου.

CAR. XVIII.

Iratas habeam Muſas, irataq; Phœbi
Numina, & iratam Pallada, quicquid agam,
Dij me omnes perdant, niſi mox oſtendero qui ſis:
Vita mihi pergit ſi malè olere tua.

In eundem impuriſs. Hircium.

CAR. XIX.

Hircius à ſcortis prurigine perditus illa,
Cui ſcabies nomen Parthenopea dedit,
Se uidet infelix ſentitq; amittere linguam,
Hac ſolitus mediæ lingere membra lupæ.
Se uidet ac ſentit uiuum geſtare cadauer:
Se uidet ac ſentit nocte dieq; mori.
Corpore tam impuro, nihilo mens purior illi:
Hoc dictu fœdum eſt, & memorare pudet.
Amiſſa propè luce, ſpecilla ocularia quærens
Naſum inter medias gaudet habere nates.
Et quæ ſemeſa eſt cancro, ne mentula deſit,
Pædicat digitis flagitioſa manus.
Ne uacet infandæ pars ulla libidinis expers,
Quod cunno meretrix, Hircius ore facit.
Sancta parens tellus, quid differs (oro) dehiſcens
E medio nobis tollere tale caput?

D. N. Pompilio uiro præclaro.

CAR. XX.

Virtutem, ingenium, candorem, & talia multa,
Vis uno dicam nomine? Pompilius.

Ad

Ad Rubellam. CAR. XXI.

Si quid liberius ſcribam tibi, quæſo, Rubella,
Ne mihi ſuccenſe, neu tibi ſcripta puta.

Ad Poſtellum. CAR. XXII.

Abs te editus, Poſtelle, nuper eſt liber,
Opus nouum, opus perutile,
Perlegi ego: ò quanto deſyderio tuum
Videndi os iſtud ardeo.

In Plancũ prædelicatum atq; effœminatũ adoleſcentem. CAR. XXIII.

Tu bene ſemper oles unguenta, & odoribus halas,
Plance: at uir malè olet, qui bene ſemper olet.

Ad N. P. iuuenem. CAR. XXIIII.

Vt pulchrum citius uer tempore præterit omni,
Vtq; nitor breuis eſt floribus atq; roſis:
Aurea ſic hominum fluit irreuocabilis ætas:
Iam ſenium, iam Mors obſidet ecce fores.
O` ſtultum cæcumq; animi, quicunq; priuſquàm
Marceſcat cupido non legis ungue roſam:
Intereà & ſine fructu ullo ſinis ire iuuentam,
Quam mox elapſam ſerò querare tibi.

Ad eundem. CAR. XXV.

Vis uernet, fructumq; tibi tuus adferat hortus?
Et ſtudium, & crebram poſtulat ille manum.
At gignet tribulos & ſpineta aſpera, ſi non
Curaris, quamuis ſit tibi pingue ſolum.
Sic animus diſciplinis excultus honeſtis
Perpetuos fructus edit, & uſq; nitet.

At ſi tranſieris iuuenile ignauiter æuum,
In tenebris deges, & uitioſus eris.

Ad And. Caſtronouanum Tarb. præſulem, Chriſtianiſs. q; Gal. Regis, apud Britannos oratorem, Anno Chriſti 1535. CAR. XXVI.

Expectate diu noſtris orator ab oris,
Interpres regum, maxime præſul, aue:
Sis felix: & ne uitio mihi uerte, quòd auſim
Te tantum, qui ſum nullus, adire uirum.

In Plancum adoleſcentem luxu perditum. CAR. XXVII.

Qua te fronte audes heroa, uirumq; uocare?
Ingenium & mores qui meretricis habes?

Iul. Camillo. CAR. XXVIII.

O' lux Italiæ, Camille Iuli,
Vindex artium & arbiter bonarum,
Quem nuper mihi contigit uidere, &
Coràm audire, ſimulq; fabulari
De cœleſtibus arduiſq; rebus:
O' me quanta tui tenet cupido
Spectandi illius, illius theatri:
In quo ſpes & opes reconditarum
Cauſſarum retulit, Macrinus eſſe
Tuſanuſq; meus, fidemq; fecit.
Nobis, Daneſiuſq;, Brixiuſq;.
Set te, res ita ſerias agentem,
Obturbare ego nec uelim, nec auſim.

Vnum

Vnum te peto,perge: Galliamq́;
E ſomno,eq́; luto,e ſitu,e tenebris,
Ereptam adſere: nec time caninos
Latratus. Erit,& breui futurum eſt,
Cùm ſe liuor edet: niſi experiri
Malit iudicium nefariorum
Gibborum,exiliumq́; morte peius.

Ad amicum quempiam. CAR. XXIX.

Delitijs iſtic frueris,Bacchoq́; datore
Lætitiæ,multoq́; bibens te proluis auro:
Conuictuq́; hominum gaudes quos patria tellus
Edidit,& quorum Charites tibi pectora iungunt,
Et Muſæ,& CHRISTVS ueri largitor amoris.
Felix,ò nimium fœlix,tua ſi bona noris.

Ad eundem. CAR. XXX.

En mitto & fratrẽ,& famulũ,ex queis diſcere poſſis,
Quid ualeam,quid agam,qualia uina bibam.

In Charidemũ Barbatulũ. CAR. XXXI.

Si tibi barbatus ſapiens,Charideme,uideris,
Barbatus caper eſt: Et caper ergo Plato eſt.

In quempiam gibboſum. CAR. XXXII.

Monſtrũ hominis poſtq̃ noſtra depulſus ab urbe eſt
Therſites,populi peſtis,& ira Dei,
Nunc bene habet: ſet uos ſuperi prohibete,nefandus
Ne redeat tandem Gibbus ab exilio.

Εἰς τὸν αὐτόν. CAR. XXXIII.

Seditioſus homo,& cœleſtis luminis oſor,
Qui uitij inuexit Gallia ſi quid habet.

Qur noſtro hæc peſtis non longius exulat orbe?
Bellua inhumanos uiſere digna Getas?

In eundem, qui bonas literas earumq́; cul tores inſectabatur. CAR. XXXIIII.

Vulpes uafra fuit, quæ, cùm cauda una careret,
Sic ſe alias uulpes fallere poſſe putat:
Quæq́; ſuam in cœtu abijciant, ut nullius uſus
Vtq́; grauem, ſuadet: reſtitit una, & ait.
Mentiris: nec cauda grauis, nec inutilis ulli
Eſt noſtrum: ſet te hac parte carere doles.
Sic hodie quidam Græcæ linguæ atq; Latinæ
Inſcius, occultis uexat utranq; modis.
At Regis pietas ſtat contrà: & utriq; Mineruæ
Conſulit, & Gibbos corrigit exilio.

In eundem. CAR. XXXV.

Gibbus ab exilio reuocatus fortè, putabat
Flagitijs diuos uelle fauêre ſuis.
At nunc carnificem expectans, & clauſus opaco
Carcere, quàm uellet mille pati exilia.

D. Latimero cōcionatori opt. CAR. XXXVI.

Contigerit nondum licet iſta tua ora tueri,
Te tamen his oculis, ô Latimere, fero.
Te hic animus præſens præſentē auditq́;, uidetq́;,
Sic tua ſtat cordi gratia fixa meo.
Gratia, diuinum munus, qua flammeus ardes,
Inq́; tuo ſanctus ſpiritus ore tonat.
Felices rex & regina, ô corda beata,
Quos recreat linguæ ſuada medulla tuæ.

Felices.

Felices.quis enim auditis clangoribus iſtis
Aeterni dubitet te patris eſſe tubam?
Sermo Dei uiuus per te,mucrone coruſco,
Vrit corda uolans,currit utrinq; ſecans.
Hæc ego rurali ludebam obſcurus in umbra:
Dum ſtupeo genij raptus amore tui.
Te,ſimul atq; mihi dederit ſe occaſio,uiſam:
Deſit equus,nauis nulla ſit,ibo pedes.
Quamuis ſim nihili,ſim pondus inutile terræ,
Spero tamen pectus poſſe uidere tuum.
Sis felix, ô ſancta anima:& mihi parce,quòd auſim
Tam grauibus ſtudijs obſtrepuiſſe tuis.

In Mercurium, è Græco
Σαμίϋ. CAR. XXXVII.

Furta doliq; Deos faciunt:Deus ecce uocatur
Mercurius,furtis ſcilicet,atq; dolis.

In Gibbum. CAR. XXXVIII.

Vſq; adeò uitijs malè uis,ut ad omnia dicas,
Tolle:ſet hoc uideo quid ſibi tolle uelit.
Nempe, ut te è medio tollas,ut te ipſe peroſus:
Tollere qui mauis quàm tolerare malos.

Ad D.Dudlæum nobiliſs. equitem
Anglum. CAR. XXXIX.

Non ſat habes,nec tu,tua nec pulcherrima coniunx,
Ampla mihi larga dona dediſſe manu:
En,etiam mittis liquidi duo dolia uini,
Gignit apud Celtas quale benignus ager.

Ne

Ne qua reuiſendi patrem patriamq; cupido
Me capiat:neu ſit quin tuus eſſe uelim.
At nequeo uinclis retineri talibus:una eſt
Machina,qua totum me retinere queas:
Nempe,amor,& pietas,qua tu,& tua nobilis uxor,
Ornatis ſancti fœdera coniugij.
Viuite felices ambo,& ſperate ſupernas
Sedes:& CHRISTI pergite ſigna ſequi.

Ad C.P.M.in Britannia mecum agentem. CAR. XL.

Librum quem dederas mihi legendum,
Ornatiſsime uir,remitto tandem:
Quo pro munere,cæteriſq; multis
Erga me meritis tuis,erit cùm
(Vt ſpero)tibi gratias refundam.
Quòd ſi regia me in meam reuerti
Maieſtas patriam ſinet,libenter
Tecum(ſi pateris)renauigabo:
Illic ut cupidum mei parentem
Conſoler,patruumq;, amiculoſq;
Qui nunc me ueluti in maris profundo
Merſum gurgite,mortuumq́; lugent.

Franc.Boleni Mediolanen.epitaph.iuſſu Baptiſtæ fratris uiri inclyti, apud Londinum.1535. CAR. XLI.

Hanc tabulam fratri,Franciſco extrema Boleno
Munera Baptiſtes hac ſacra fixit in æde:
[illegible] ipe,pium lugens & acerbo funere raptum

 Germa-

Germanum, & Mediolana cui nomen in urbe
Nobile, qui inſignis uirtute excelluit omni.
Non obiiſſe igitur talem, ſet abiſſe, putandum eſt.

De ſeipſo. CAR. XLII.

Conditione mea contentus uictito, uoluens
Hoc ſaxum, quod me uoluere fata uolunt:
Reclamat quidam, & lucroſas ſecter ut artes,
Admonet, & Muſas ſerò ualere ſinam.
Is bene uult fortaſſe mihi. ſet nouerit idem
Lora pati uetulum non bene poſſe canem.

Epitaphion N. R. amici ſingularis.
CAR. XLIII.

Nunc tua quur mœſti lugemus funera frater?
Qualiter à CHRISTO *gens aliena facit?*
Quur tibi non potius pacem gratamur? & illa
Gaudia, quæ ſolis ſunt adeunda piis?
Nam qui ſic uixêre ut tu, ſuper aſtra uolare
Conſtat, & exemptos omnibus eſſe malis.

In quempiam, è Græco ἀδήλου.
CAR. XLIIII.

Cui pulchra eſt ancilla domi, & deformior uxor:
Hanc ſuffert, illam ſubigens: hac gaudet, & illa.

In Rubellam iocus. CAR. XLV.

Bella es, bella, Rubella, bella certè
Bella es, crede mihi puella: nam quis
Quis non pruriat ad tuos ocellos?
Ad collum? adq; ſororculas papillas?
Quis non ardeat iſtud oſculando os?

Ecquis non pereat libenter, iſti
Hærendo femori cuniculantis?
Quis? uel Beda? ſeuerus ille cenſor?
Et noſtri Rhadamanthus alter æui?
Nam dum nuda genu ſalis, chorosq;
Geſtis ducere, nos doces abundè,
Quàm ſis digna, Rubella, nympha amari.

Ad eandem. CAR. XLVI.

Si quid liberius ſcribo tibi, quæſo, Rubella,
Ne mihi ſuccenſe: neu tibi ſcripta puta.
Quæ ſcribo, mihi dictat Amor. quis pugnet Amori?
Ni tu? quam Venus, & quam reueretur Amor?
At metuo rumorem (inquis) linguasq; malorum:
Stulta tace, & perfer: ſic Dea, non homo, eris.

Salm. Macrini poëtæ laus, è Græco partim Oppiani, partim ſuo.

CAR. XLVII.

Quantum inter uolucres Aquila eſt inſignis honore,
Vtq; feris reliquis præſtat natura Leonum
Regia, letiferisq; draco ſerpentibus ingens
Imperat, & piſces celeri anteit impete delphin:
Tantum, inter paucos hac noſtra ætate poëtas,
Excellit lyricis illa aurea Muſa Macrini.

Oppianus de nat. piſc. lib. II.

Ὅσον περ κούφοισι μετ' οἰωνοῖσιν ἄνακτος
Αἰετοί, ἢ θήρεσσι μετ' ὠμηστῆσι λέοντος,
Ὅσον ἀεξεύουσιν ἐν ἑρπυστῆρσι δράκοντος,
Ὅσον καὶ δελφῖνος ἐν ἰχθύσιν ἡγεμονῆος. Hactenus Oppianus

Τόσσον ἦ, ἐν παύροις θ' ὅττι ὀχεῖνοιο ποιηταῖς,
Χρύσεια τῆς λυρικοῖς βασιλίδι Μοῦσα Μαρίνου.

In Fluſcũ Gibbi exulis colluſorem.

CAR. XLVIII.

Nuper in exilium Gibbos qui miſerat, idem
Fluſce, facit Gibbos ut comitere, furor.
Prorſus idem quod tu fecere: at ab urbe notati
Ceſſerunt: eadem te quoq; pœna manet.
Rege abſente furis. ſet mox placabere, & eſſe
Principis oblongas experiere manus.

Quæ linguarum ſit præſtantiſsima, ad Michaëlem Deſmontiliũ D. Io. Lauallii Armoricæ præſidis à ſecretis, iuuenem humaniſs.

CAR. XLIX.

Si quando ſurgit (ut fit) inter pocula
Contentio, quænam ſit optima omnium
Linguarum: & eſſe alius pulcherrimam tonat
Hebraicam, adſerit alius Græcanicam,
Alius Latinam, nec deeſt qui Gallicam
Excellere oſtendat, ſono atq; gratia,
Germanicam ſunt, ſuntq; qui Britannicam,
Aliiq; ſunt linguas alias qui præferant.
At ego (ubi tandem facta loquendi eſt copia)
Sic dico: Quæ Deum ſonat, & cœleſtia,
Neq; mentitur uolens, ea lingua eſt optima,
Et digna, quam linguæ loquantur cæteræ.

In

In Morgarum. CAR. L.

Das mihi equum toties, & ſpe me ludis inani.
At citò qui dat equum, Morgare, bis dat equum.

Ex uernaculo Petrarchæ, de Laura. CAR. LI.

Parua, uiatores, hæc eſt, quam cernitis, urna:
Nil tamen hoc maius, quod capit, eſſe poteſt.
Vicit amata ſtylum, linguamq́;, omneisq́; labores,
Et quicquid potuit uerus & acer amans.
O felix anima, ecquis te laudauerit unquam
Talem? nemo, niſi qui tacet, atq; ſtupet:
Nam niſi laudantis ſermo, id quod laudat, adæquet,
Ingrata hæc nullum gratia pondus habet.

Δίστιχον, ἐκ τοῦ Παύλου. ad Io Perrellum. medicum doctiſs.

CAR. LII.

Φεύγει καὶ παράγει τούτου κόσμοιο τὸ χῆμα,
Καὶ τοῦτ' οὐ μήν πω τυφλοὶ ἐπιβλέπομεν.

Θρῆνος. CAR. LIII.

Ah neſcio miſer quid aggredi uelim,
Animus ſic fluctuat meus:
Fer opem, Deus mihi, Deus depellere
Tu ſolus hoc mali potes.

Ad Chriſtoph. Richerium Senonem poëtam. CAR. LIIII.

Accipe caſeolum noſtro de rure profectum,
Vel potius noſtro, Chriſtophore, ex animo.
Set uereor, tibi quum plura, & meliora ſuperſint
Munera, ferre mari dicar ineptus aquam.

N.Iureconſ.opt.uiri epitaphion.

CAR. LV.

Sit licet exigua atq; humilis, quam cernitis, urna,
Clauſa tamen magni continet oſſa uiri.
Hic opera officijsq; omneis obſtringere ſuetus,
Sponte ſuis moriens dat ſua, ſeq; Deo.

De ſeipſo ægrotante, & medico, ad C.Pucrium. CAR. LVI.

Quidam ad me nuper medicus qui uenerat ægrum,
Quæſijt inſpecto quid doleam lotio:
Reſpondi, latus. at facilè hoc curabitur, inquit:
Mox mihi præſcripta eſt potio: manè bibo.
Quid uerbis opus eſt? ſolum latus antè dolebat,
Nunc caput, & cruciat cætera membra dolor.
Et triduum iam expecto miſer, quid fortè uelint Dij
Me fieri, Aſclapio non redeunte meo:
Vt tamen euadam ſpes eſt, & dicere poſſim,
Euaſi fato, non medicantis ope.

Ad Guliel.Bellaium cognomento Langium. CAR. LVII.

Dicendi uenerem uel Dij mirantur: at ipſe
In primis, Maiæ filius atq; Iouis:
A ſuperis homines capiunt uenerabile donum,
Quod nunc, ſi quis habet, Langius illud habet.

Idem Græcè utcunque.

CAR. LVIII.

Θαυμάζουσ᾽ ἐπέων μορφὴν θεοί, ἀλλὰ μάλιστα,
υἱὸς ὁ τῆς Μαίας καὶ μεγάλοιο Διός.

Οὐρανίθεν

Οὐρανόθεν δ' ἀνδρὸς θαυμαστὸν τοῦτο δέχοντα
Δῶρον, νῦν ὃ ἔχεις λαγχει, εἴ τις ἔχει.

Ad eundem. CAR. LIX.

Curis obrutus, & dolore nuper,
Muſam conſului, an mihi liceret
Te, Langi, auxilium rogare: dixit
Reſpondens Dea: non licet. quid ergo
Infelix faciam? ſet ut gementem
Vidit me, & miſerabilem poëtam,
Extemplò indoluit: genasq; iêre
Per pulchras lachrymæ: bonoq; iußit
Fortiq; eſſe animo: oſculumq; iungens
Dilecto ſolet ut mari columba,
Solatur, reficit: fidemq; firmat,
Me, de te omnia poſſe polliceri.

In quempiam. CAR. LX.

Se queritur quidam perſtringi carmine noſtro,
Nomen habens fermè, quod Charidemus, habet.
Nomine ſi par eſt Charidemo, & moribus, iſte,
Ne mihi, ſet uitio uertat uterq; ſibi.

Εἰς τὸν αὐτόν. CAR. LXI.

Quando aſſeris tu, atq; adeò pertinaciter
Contendis, in te me torſiſſe illa omnia
Quæcunq; ludit hic in Charidemum, liber:
Euge bone uir, ne digladiemur amplius.
Cedo tibi: quid tum? tu Charidemus ſies
Ipſißimus: ſic cera es dignus cerite.

Ad D. Batum amicum intimum, Reginæ heræ cubiculariū,

CAR. LXII.

Errant qui Batum patrio te nomine dicunt:
Litterula nomen longius eſſe uolo.
Iſta animi pietas facit, ut dicare beatus,
Quæ tibi ſola iſtam conciliauit heram.

Εἰς τὰς γυναῖκας, è Græco Σαμίν. CAR. LXIII.

Valete cunni, quid mihi cum fœminis?
Quando omnis eſt mulier malum?
Puer lyram da, poculumq; uitreum,
Merumq; funde largiter.
Valeant omnes profanum uulgus mulieres,
Durum, improbum, inconſtans genus.

Ad Reginam heram. CAR. LXIIII.

Si te ſuſpiciunt, & tanquam numen adorant,
In quibus & CHRISTI uiuit, & ardet amor:
Parce illis, Regina: nihil peccare uidentur:
Nempe, Deo qui te finxit, habetur honos:

Ad Muſam, & Cupidinē: imò ad D. Chriſtum, de Iac. Tuſano præceptore ruſticante. CAR. LXV.

Redde Tuſanum mihi, redde, Muſa,
Redde, nec noſtram ſine ruſticari
Tandiu uitam: mihi redde, Diua,
Lumen ademptum.
Set precor fruſtra, uideo, nec ultrà
Muſa adeſt. Ad te fugio uolantum

O' decus, cuius toties amica
Numina ſenſi:
O' puer, pulchræ Veneris propago,
Redde Tuſanum mihi: ſat ſuperq́;
Luſit, & docta procul urbe ſaltus
Vidit amœnos.
Cumq́; Budæo ſatis egit, illo
Quo nihil maius melius'ue priſcis
Floruit ſeclis, nec, opinor, ulla
Adferet ætas,
CHRISTE ſet tu qui Deus es Deorum,
Has preces audi, ualearq́; Muſa:
Quiq́; contemnit mea, ſet nec audit
Vota, Cupido.
Vnus es, per quem pater ille ſummus
Supplicanteis nos leuat, adiuuatq́;:
Redde Tuſanum mihi, CHRISTE, redde
Lumen ademptum.

Ad Samium condiſcipulum.

CAR. LXVI.

Salue ò egregia mirabilis indole uates,
Et Phœbo, & Muſis, & Ioue digne puer.
Quàm mihi demulces, imò quàm accendis, & uris
Pectora, dum digitis nobile tangis ebur.
Nam tu, ſeu lætum cantas, ſeu flebile carmen,
Crederis indomitas poſſe mouere tigres.
Macte iſta uirtute eſto, puer aureæ: & uni
Fac uena æterno ſeruiat iſta Deo.

Ad D. Latimerum. CAR. LXVII.

Etſi profluuio decumbam debilis alui,
Nec poßim è tepido tollere membra toro:
Vt tamen audiui te nuper honoribus auctum,
Ecce meus cœpit mitior eſſe dolor.
Gratulor ergo tibi, noſtriſq; diebus, & ipſi
(Quem tibi committunt fata benigna) gregi.
Gratulor & regi, & reginæ gratulor Annæ:
Qui indignos reprimunt, promeritoſq; uehunt.

De miſeria poëtarum, ad Paulum Anton. Gadagnium. CAR. LXVIII.

Quotus quiſq; eſt hodie hominum prædiuitum,
Qui non bonum coquum, aut equum, aut tibicinẽ, aut
Malum ſcortum, bono poëtæ præferat?

Sententiam illam Ioan. Chryſoſtomi, in Homil. XXVI. Sufficiat diei ſua adflictio. ἡ κακία, ἢ, ἡ κάκωσις αὐτῆς, &c. ſic carmine ligauimus. CAR. LXIX.

Quæq; dies adfert multos ſatis ipſa labores:
Ne qua futurorum adfligat nos cura malorum.

Demoſth. ſententia carmine utcũq; reddita. CAR. LXX.

Τῶν ἀγαθῶν ἤθους ἀνδρῶν φαύλους ἀποβαίνειν
Οἴδαμεν, ἢ γενεῇ πολλάκις, εἴτε τύχῃ.

Ad Sal. Macrinum poëtam. CAR. LXXI.

Ingenio felix, & uena diuite uates,
Macrinus: poterant hæc ſatis eſſe duo.

Hoc

Hoc tamen adijciam,fœlix uxore pudica:
Illa etiam fœlix,carmine dicta uiri.

In ſophiſtas,ad Gabrielem Læſtriū.
CAR. LXXII.

Sophiſtæ de ſuis ſuggeſtibus tonant,
Oracla nobis grunniunt, ſua ſomnia.
Breui at futurum eſt,monſtra ut illa deſinant
Dominarier:bonis nimirum literis
(Beneficio Dei) repullulantibus.
Tenebræ faceſſent: lux orietur cœlitus.

Iuuenis quidam,& Venus colloquuntur, è Græco. CAR. LXXIII.

Hoc carmen ſcribebat puer, iuſſu præceptoris Auſonium imitans, ad Godefridum Grangerium medicum.

Hāc quæ me odit,amo:ſet quæ me amat,improbus,odi.
Huic liti finem,ſi potes,adde Venus.
Perfacile eſt.mores unà & mutentur amores:
Hæc amet,hæc contrà:ſum uelut antè fui.
Vis utranq; ut ames,ſi te colat utraq;?uellem:
Quod petis,intus habes:uis ut ameris?ama.
Tun',Dea,ſuaſiſti Glyceras amplectar ut ambas?
Neutra amat:ergo aliud conſule,diua,mihi.
Vince utranq; datis.deeſt quod dem.munera largè
Promitte:eſt inopi ſcilicet ulla fides?
At ſuperos teſtare.nefas eſt fallere.ad ipſum
Limen peruigila, non amo nocte capi.

Flebile

Flebile fac carmen. non poſſum. ergo incute clauſis
Vim foribus. tetrici iudicis ora tremo.
Vis demens ab amore mori? non propter amorem?
Malo miſer dici, quàm reus atq; miſer.
Conſului, ut potui: nunc quoſuis conſule. quæſo
Quos? gladium Didò, Phædraq; det laqueum.
Aut da præcipitem ſaxi te è uertice in æquor.
Conſilium miſeris, ò Dea, tale datur.

De immenſa Dei bonitate in omneis, ad Antonium Auguſtum, Aruernũ.

CAR. LXXIIII.

Ecce boniſq;, maliſq; ſuum illuceſcere ſolem
Dat Deus, & terræ fructum his indulget, & illis.
Quare, & amare bonos, & mores ferre malorum
Debemus: dum ſumma dies ſua reddat utriſq;
Præmia: dum CHRISTVS *iudex adpareat orbi,*
Nos illum intereà, dominumq; ducemq;, ſequamur.
Auguſte, & ſanctis uitam hanc peragamus in actis.
Speq; alacres, totiſq; animis rapiamur ad aſtra.

Alluſio ad illud Homeri de fato, ὢ πόποι, οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται, καὶ τὰ λοιπά. uide Aul. Gel. cap. III. lib. VI.

CAR. LXXV.

Hei mihi quur ſuperos nihil incuſare uerentur
Mortales miſeri? tribuunt incommoda fato.
Qui ſua: quum peccent ipſi, pereántq; uolentes.

Ad

Ad Lælium. CAR. LXXVI.

Hæc ego cùm ſcripſi, præſente Cupidine, Læli,
Et biberam, & rurſus mox bibiturus eram.

De tribus Parcis, ad Io Pelliſſonem Turnonij gymnaſiarcham. CAR. LXXVII.

Μοῖραι τρεῖς, Κλωτὼ, Λάχισις καὶ Ἄτροπος, αἳ δὲ
Θνητοῖς ἀνθρώποις ἀγαθόν τι κακόν τι δίδουσιν.

Sermo Dei uincit omnia, ad D. Iacobum Albretum Niuerneñ. præſulem. CAR. LXXVIII.

Feſtinanter abit tempus, mala plurima uoluens:
Noſq; ſimul ſecum, cunctaq; noſtra rapit.
Sermo Dei uiuus manet, æternumq; manebit:
In quem longa nihil tempora iuris habent.
At (nos huic uerè ſi credimus) & caro, & Orcus,
Tempus, mors, nobis omnia uicta iacent.

Ad Mercurium, uti Dampetrum poëtam amicum ſibi concilìet. CAR. LXXIX.

Mercuri uirga, citharaq; clare,
Quem Ioui fertur peperiſſe Maia,
Maia Iunoni tamen una ſemper
Chara Dearum:
Qui nigro manes reuocas ab Orco,
Et trahis ſurſum, patre ſic iubente:
Nec reuerſuros inamœna Ditis
Ducis in antra:
Sis fauens nobis, precor, atq; proſper,

Dexter, ac felix: aliquidq́; tandem
Lætus adride, neq; ſemper atro
Reſpice uultu.
Nil moror quæſtus ego, nil honores,
Quæ poteſt ætas abolere: quiddam
Te peto maius, mihi fac poëtam
Lucrer amicum:
Nempe Dampetrum, decus huius ingens
Seculi: cui tu tribuiſſe plectrum
Diceris. magnum peto munus, & quod
Iure negaris.
Set Deus quum ſis, hominis fauere
Commodis par eſt, ſpecioſa & ampla
Dona largiri, facilemq́; uotis
Te decet eſſe.

Thomæ Gadagnio laudatiſsimo uiro. CAR. LXXX.

Pignora, diuitiæ, famuli, domus, uxor, & illa
Cætera, quæ longum commemorare foret,
Largiter hæc, ſi cuiquam alij, tibi fata dedere
Munera, ſet quæ ſunt interitura ſemel.
Aſt animi dotes, cœleſtia dona, manebunt:
Quæ non mors, quæ non auferet ulla dies.

Ad fratrem iratum. CAR. LXXXI.

Succenſere mihi noli, precor, optime frater,
Nil me in te peccaſſe puto: ſet ſi quid (ut omnes
Labimur) aut feci, aut dixi, quod diſplicet, oro,

Vt mihi condones, in ſummi patris honorem.
Qui ſermone ſuo carnis ſub imagine miſſo,
Nos cœlo aſſeruit, domito Orco, & morte ſubacta.

Ad eundem. CAR. LXXXII.

Iraſceris frater? caue ſol occidat
Tuam ſuper iracundiam.
Quid fecerim, aut commeruerim, aut peccauerim,
Vel teſte CHRISTO, *neſcio.*
Mali nullius mihi ſum conſcius: tamen
Mi frater, oro, deſine
Mihi ſuccenſere, & domini CHRISTI *in gratiam,*
Ama me mutuò, ut ſoles.

In quempiam cognomento Græculum. CAR. LXXXIII.

Græculus eſt quidam ſic dictus homunculus: illi
Detrahe uocalem, graculus ut ſit auis.

Ad Margaretam à Francia, Nauarræ reginam. CAR. LXXXIIII.

Cùm me ad colloquium nuper, regina uocares,
Obſtupui, attonitus numine, diua, tuo:
Et trunco ſimilis, lapidiq́;, obmutui, & hæſi:
Extra me, infelix, & ſine mente fui:
Nec tamen (ut merui) tantum auerſata pudorem,
Nec nimia offenſa es ruſticitate mea.
Quin mihi diuino, non humano ore loquuta,
Das aurum, & ſperem plura, benigna iubes.
At ſatis his poteras me confirmare duobus
Verbis, atq; animum reddere: noſter eris.

Ad Petrum Pyralrum Nanneteñ. D. Io. Lavalli Armoricæ præſidis à ſecretis, amicum præcipuum.

CAR. LXXXV.

Vt CHRISTO *placeas, cura: placuiſſe uel uni,*
Viuere: CHRISTO *uni diſplicuiſſe, mori eſt.*

Lucio Stellæ. CAR. LXXXVI.

Non ſumus ut pingues Epicuri de grege porci,
Nec nimium cute curata, nec honore, nec ullo
Diffluimus luxu: tamen huc ubi ueneris, omneis
Inuenies lætos, hilareisq́; , & ſorte beatum
Quemq; ſua, & CHRISTI *(ueræ pietatis) amantẽ.*
Huc igitur, Stella, huc dignare uenire: uidebis
Pectora multa tui flagrantia amore uidendi.
Et quia te cantu memini gaudere, frequentes
Quattuor hic aderunt pueri, lyra & ore canentes
Mellitos modulos: fidibusq́; & uoce placebunt.

Galliæ laus, ad D. Menaldum Marthorium Coſeranum pontificem ampliſs. CAR. LXXXVII.

Natus ego illic ſum, tellus ubi fertilis omneis
Delicias profert, ubi mira eſt undiq; cœli
Temperies, ubi ſunt fontes, & amœna uireta,
Et nemora, & ſaltus, ubi ſedem Bacchus, & ipſa
Alma Ceres poſuêre: ubi ſunt pulcherrima mundi
Lumina, ab antiquis fundatæ regibus urbes,
Turreſq́;, arceſq́;, & caſtella minantia cœlo.

Quid dicam maria? & portus? quid gentis honeſtos
Mores? quid leges? quid fortia pectora bello?
Quid regem fama & meritis ſuper æthera notum
Franciſcum? antiquo Priami de ſanguine cretum?
Totq; duces? & tot populos? ſet iam ecce moleſtus
Vt tibi ſim, uereor: tu parce mihi, optime præſul.
Dixi: at tu mecum dic, oro, Gallia uiuat.

Ad Deum. CAR. LXXXVIII.

Tabeſco infelix, odio languoris iniqui:
Solam opto mortem, quam mihi fata negant.
At tu (cuius in hoc ueni diſcrimen amore)
Alme Deus, dextram porrige, ne peream.

Ad Ant. Oliuarium clariſsimum iuuenem. CAR. LXXXIX.

Adflictus mihi plus ſatis uidebar
Atro hoc carcere clauſus, & profundo,
Humanaq; ope deſtitutus omni,
Inſons cum grege ſontium, atq; eorum,
Qui iam carnificem timent, crucemq́;, &
Quicquid ſupplicij ultimi eſt: & inter
Quos mater moriens, ſororq; luctus
Nobis attulit, & pater relictus.
Vltrà iam ſupereſſe nil putabam
Quod non perpeterer, miſer, malorum:
Nec quicquam, niſi nomen inuocabam
CHRISTI, qui mihi certa, & una ſpes eſt.
Dum conflictor ego his tot atq; tantis
Fortunæ iaculis, periclitanti

Præſtas auxilium, pecuniamq́;
Antoni, numeras benignus, arctè
Obſtringens tibi me aureis cathenis.
O' mens, ò amor, ò fidele pectus,
O' ſanctis anima ignibus relucens.
Quas grates tibi Muſa noſtra dignas
Vnquàm dixerit? at meus profectò
Vel noſter potius, Carinus ille,
Ille (inquam) optimus utriuſq; noſtrum
Cultor, quas ego gratias nequirem,
Acturum tibi ſe, idq́; perlibenter,
Primo quoq; die ſpopondit: & iam
Exoluiſſe fidem putamus illum:
Talis fallere quî poteſt amicus?
Spero autem eximar his ut è tenebris,
Ac nos pampinea ſub umbra, ut olim,
Atq; in gramine fabulemur unà
De cœleſtibus, arduisq́; rebus:
Liuore intereà crepante, & omneis
Ex Orco furias ſibi imprecante.
Quæ, ne nos nimium diu moretur,
Exoptata dies, ſet ut breui adſit,
Qui lux totius eſt, ſalusq́; mundi
CHRISTVS, *maximus, optimusq́;, faxit.*

Ad reginam. CAR. XC.

Pauper in hoc iaceo tenebroſo carcere clauſus:
Nemo eſt qui poßit ferre uel auſit opem:

Te præter, regina: potes nympha optima, & audes:
Vt quam rex, ut quam diligit ipſe Deus.

Ad Francum amicum. CAR. XCI.

Quòd tibi non ſcribam, iuuenũ pulcherrime, cauſſa eſt
In promptu: non ſum liber, ut antè fui.
Parce igitur, Muſasq́; meas in carcere uinctas,
Oblitasq́; ſui muneris eſſe puta.

Ad eundem. CAR. XCII.

Quod carmen legis, ò mea lux, tibi uenit ab illo
Omnia qui ex uoto, ſi moriatur, habet.
Iamq́; uale. miſerum pædor me carceris huius,
Et tenebræ, & cuſtos, ſcribere plura uetant.

Ad Deum patrem οξῦνος.
CAR. XCIII.

Vincula, pædorem, cuſtodem, opprobria, frigus,
Et quicquid tenebræ carceris huius habent,
Cuncta aduerſa mihi in cœlo, terraq́;, mariq́;,
Humano liceat ſi mihi more loqui,
Hæc Deus, hæc, quia ades, patior: quin inſtar oloris,
Ecce, tibi in media carmina morte cano.
Reſpice me ſemper: nam ſi te auerteris, actum eſt.
Non'ne ego ſum, tua quod dextera fecit opus?

Ad Franciſcum regem. CAR. XCIIII.

Iuſsiſti ut liber fierem, rex optime: ſet cui
Iuſsiſti, nondum paruit ille tibi.
Quare, tu potius uitæ me redde priori,
O' rex, inſontem: quod potes, oro, uelis.

D a Ad

Ad Deum patrem opt. max. εὐχή.

CAR. XCV.

Nullum'ne miſeriæ famulo
Tuo dabis, benigne pater,
Finem? precor miſerere mei:
Per filium te obſecro tuum.
Remitte iræ flagella tuæ:
Da paululum refrigerij.

εὐχή, ad Claudium à Maura Armoricum, iuuenem egregium, Sapph.

CAR. XCVI.

Dum nouem nuper toties uocari
Singulas fruſtrà uideo ſorores,
Lachrymans ſtratum peto, nempe longo
Carcere fractus.
Certa noſtrorum requies laborum
CHRISTVS, *hæc dixit mihi per quietem:*
Quid times iſtic, ubi nos adeſſe
Credere debes?
Multa fers, quid tum? uiden' ut ſceleſtis
Præda ſint mites aquilis columbæ?
Vt rapax paßim lupus innocenteis
Deuoret agnos?
Perfer, & dura, meliusq; ſpera:
Et fidem ſemper retine, meumq;
Nomen implora: Deus inuocanti
Proximus adſum.
Carceris nil te moueant tenebræ,

Nec

Nec grauis pædor, rigidusq; cuſtos:
Mox dabo finem, & meminiſſe te olim
Iſta iuuabit.
Crede, credendo ſuperabis omneis
Seculi peſtes, Stygiasq; laruas,
Nec tibi regis pietas, nec aura
Proſpera deerit:
Aura, qua fretus, poteris canendo
Vel Linus quicquid potuit, uel Orpheus,
Vel nepos quicquid potuiſſe uirga
Fertur Atlantis.

Ad Deum patrem. CAR. XCVII.

Volo quod tu uis, pater: ſet interim hanc meam
Carnem rebellem ſentio.
Hoc poculum licet ſit felle amarius,
Tibi ſi libet, bibam tamen.

Ad regem Franciſcum.
CAR. XCVIII.

Reſpice me, & miſerare tuum, rex optime, uatem,
Et me ſerua, alios qua pietate ſoles.
Per te ubi ſaluus ero, grates pro hoc munere Muſa
Noſtra aget, & memores experiêre Deos.

Πρὸς τὸν αὐτόν. CAR. XCIX.

Ὄντ' ἄκακον, βασιλεῦ κύδιστε μέγιστε, φύλαξον,
Ὅν τινα νηλειεῖς πάντοθ' ἄγουσι λυκοί.
Αἴσιμιον ἐν χειρῶ μερόπων σωτὴρ ἀνθρώπων,
Σόν τ' ἱκέτην εἴργεν, ὦ δέσποτα, Βορβόνιον.

Aliter idem. CAR. C.

Βουρβώνιον, βασιλεῦ κύδιστε μέγιστ', ἐλέησον,
Δέσμιον ἐν χισῷ, σὸν δ' ἱκέτην ἄκακον,
Δοῦλον τὸν σὸν, ὃν ἄνθρωποι λυκὲς ὠμοὶ ἄγουσιν,
Ὡς λαγὼς ἐν πεδίῳ πτῶκα, ἢ ὡς ἔλαφον.

Ad Ioan.cardinalem Lotharingum, heroa humaniſs. CAR. CI.

Audierat princeps nuper me in carcere uinctum,
Inſontem, & ſceleris nullius eſſe reum:
Indoluit, iußitq́; idem mox liber ut eſſem,
Redderer & ſtudijs, diſcipulisq́; meis.
Iußit, ſet cui iußit, adhuc me in carcere quidam
Detinet, & nihili Regia iußa facit.
At tu nobilium noſtri lux ſplendida ſecli,
Cui regem conſtat uelle negare nihil:
Illum ora, ſpero efficias ut liberer, antè
Quàm mihi reddiderit corpus inane dolor.
Hoc Deus officij tibi uel cum fœnore reddet,
Et memores Muſas experiere meas.

Ad Gilbertum Ducherium amicũ. CAR. CII.

Vt ſim forti animo, ſuades: hoc conor: at æger
Hic animus quum ſit, ſuccumbat uictus oportet:
Me gaudere iubes, ſcio & hoc ualde eſſe ſalubre
Conſilium: ſet nemo poteſt gaudere dolendo.

Θρῆνος, ad Nicolaum Bretonium Lingonem. CAR. CIII.

Terribilis mors eſt: ſet quæ mors carcere peior?
In quo uelle mori, nec tibi poſſe datur?

Ad

Ad patrem cœleſtem. CAR. CIIII.

Pater, pater, quæſo tuum me reſpice
Famulum, pater me reſpice.
Immanis obſidet meum pectus dolor.
Inenarrabilis dolor,
Dolor longè omnibus grauior doloribus,
Ineuitabilis dolor.
Dolor haud ferendus: qui miſellum me modis
Miris, nouisq́; conficit.

Ad dominum Chriſtum θρῆνος.

CAR. CV.

Corpus in hoc miſerum tot tantæq́; undiq; peſtes
Inſurgunt, uotorum ut ſit mors ſumma meorum:
Fac tandē (oro) tibi, Chriſte optime, maxime, iungar:
Aut da robur, ut huic poſſim par eſſe dolori.

Ad Ludouicum Carinum Heluetiū.

CAR. CVI.

Tres mihi ſunt pulchro ſignatæ ſole coronæ,
Paruula ſumma quidem, ſet graue pondus habet.
Has mihi captiuo clàm dono miſit amicus,
Qui mihi nec nomen uult aperire ſuum.
Iſte tuus candor, uel te indignante, Carine,
Indicio noſtri carminis ecce uolat.

Ad eundem. CAR. CVII.

Qui mihi captiuo furtim munuſcula mittis,
Suppreſſo ſcribens nomine multa tuo:
Quiſquis es, oſtendis non hæc tibi ſecla placere,
Set potius cauſſæ uelle fauere meæ.

Cauſſa mea eſt Chriſti ſtudium,rerumq; bonarum,
Cauſſa mea eſt ueræ relligionis amor.
Poſt tenebras lucem expecto:prodêris,& olim
Iſte meo candor carmine notus erit.

Ad Deum patrem. CAR. CVIII.

Quis Deus,niſi tu,mihi
Inuocandus?& intimo
Corde,& aſſidua prece
Excitandus?ut hoc miſer
Liberer cruciatu?
Nil meus ſine te poteſt
Hoſtis,hic tibi,non mihi
Vult male:hic ueluti leo
Rugiens,animam meam
Percupit laniare.
Veritas tua talibus
Me tuum implicuit malis.
Tu,pater,mihi teſtis es,
Cauſſa quòd tuaq; & tui
Filij,mea cauſſa eſt.

Ad reginam. CAR. CIX.

Diſcutit ut triſteis noctis ſol aureus umbras
Et facit exorto cuncta ſerena die:
Sic,regina,tuis noua lux tu reddita Gallis,
Et cuncta exhilarans, aurea ſecla refers.
Sordeat & quamuis longo mea carcere Muſa,
Te tamen exultans auſpice,durat adhuc.

Viuite,

Viuite, tu & coniunx, quos ſeruatoris IESV
Vrit honos, iungit gratia, nectit amor.

Regi ac Reginæ. CAR. CX.

Qui me à gurgite liberauit Orci
Per CHRISTVM, *optimus ille, maximusq́;,*
Idem me eripuit, tuo, tuæq́;,
Rex, ſponſæ auxilio, & periclitantem, &
Vinctum in carcere, ſqualidumq́; nuper:
Illi gloria ſit, ſalusq́; uobis.

Ad libellum ſuum. CAR. CXI.

O mi libelle, quò fugis?
Quò tendis? ecce non queo
Retinere te: ecce iam uolas:
Set quò uolas? quò te miſer
Is perditum? ſet quis furor,
Hoc ſeculo tam ferreo,
Vt ſic abires compulit?
Nihil paues? nihil times
Tibi? at tibi ſi nil times,
Libelle, at autori tuo
Time: is tam multa paſſus eſt,
Patiturq́;, iure, iniuria,
Vt feſſus optet ſe bono
Requieſſe in ocio domi,
Malitq́;, quàm ſic fabulis
Dediſſe ſeſe Muſicis,
Quod ceßit infeliciter.
O mi libelle, iam fugis?

Audi precor:ſet iam fugis?
Fugis miſer:ſet quò fugis?
Perire digne,quò fugis?

Ad Ioan.cardinalem Bellaium.

CAR. CXII.

Viſendi ſtudio confectum ætate parentem
Ardeo:quò parui me uehet æris equus.
Carcere me exhauſtum meminiſti,& uincula paſſum.
Hoſtibus & prædam penè fuiſſe meis.
Quare,ut equi pretium numeres,oro,optime præſul:
Qui tibi cum multo fœnore reddet,erit.
Nã & Muſam,& Chriſtũ memorẽ experiere:roganti
Et mihi quod dederis,ſponte dediſſe uoles.

Ad Vuil.Buttum regium medicum.
Scripſit in littore Britannico.

CAR. CXIII.

En tibi,quem per te rex longo è carcere traxit,
O' noua lux oculis,Butte,recepta meis.
Mecœnate meo,& patria,& ſene patre,relictis,
Adſum,& ab inſuetis fluctibus æger adhuc.
Sic mare,ſic uentos in me ſtimulauerat omneis
Alectò,uiuum me ſupereſſe dolens.
Huc tamen inuitis furijs me CHRISTVS *adegit,*
Numine quo flagras, & tua tota domus.
Tu patria,& requies igitur,finisq́; malorum,
Tu mihi Mecœnas,tu mihi,Butte,pater.

Ad

Ad Rubellam. CAR. CXIIII.

Hodie,Rubella,te uidi,cuius diu
Carui miſer præſentia:
Dolui ſupra modum,dolui:ſet hanc dies
Ademit ægritudinem.
Felix dies,qui cœlitus nobis datus
Mihi te,Rubella,reddidit.

Ad eandem. CAR. CXV.

Liuori laqueum manda,uulgoq; loquaci:
Teq; bono totam crede,Rubella,Deo.
Nam ſolus Deus eſt,bene qui ſibi conſcia corda
Seruat,ei noſtrum notus uterq; ſatis.

Θρῆνος,ad Pet. Bunellum uirum doctiſs. CAR. CXVI.

Doleo,& doloris huius cauſſam neſcio,
Adeò eſt reconditus dolor,
Adeò ſtat infixus penitus præcordijs,
Fibriſq; inhæret intimis.
Doleoq;,quòd doleam:aut ſic alitur pectore,aut
Dolor dolore pellitur.
Reſtat nihil:niſi ut dicam,ter,& quater,
Ego ſum miſer,miſer,miſer.

Ad R.D.Ioan.Card.à Lotharingia. CAR. CXVII.

Poſtquàm me pietas reſpexit principis, ecce
Viuere nunc uideor,qui modò nullus eram.
Set niſi Franciſci in conſpectum uenero regis,
Atq; illi,duce te,flexero utrunq; genu:

Nullus

Nullus ero rurſus: precor ergo, ô noſter Apollo,
O' Muſarum ingens pontificumq́; decus,
Ne dedigneris me regia ducere ad ora:
Neu mihi præſentem ferre graueris opem.

In fortunam, è Græco ἀδήλου, ad Io. Carboſtum Camicam, principis Lautreci Achatem. CAR. CXVIII.

Eſt fortuna, ſtatu quæ nunquàm inſiſtit eodem:
Semper in incertas itq́; reditq́; uices.
Ima facit plerunq́; ut ſint, quæ ſumma fuerunt:
Si lubet, ex ſummis protinus ima facit.
Illa tuum tamen ingenium, Carboſte, ueretur,
Virtutiq́; tuæ dat Dea uicta manus.

Ad Annam Angliæ Reginam.
CAR. CXIX.

Nullius ſceleris cauſſa, ſet crimine falſo
Quorundam, atq; odio, carcere clauſus eram.
Qui me adfligebant, ijs omnia fauſta precabar:
Nempe, inconcuſſam ſpemq́;, fidemq́; tenens.
Cùm tua me extremo pietas reſpexit ab orbe,
Adflictum eripiens omnibus, Anna, malis.
Quod ni eueniſſet, tenebris ego uinctus in illis
Languerem infelix, & retinerer adhuc.
Dicere nunc grates, nedum, ô Regina, referre,
Qui poſſum? fateor non opis eſſe meæ.
Set, qui te igne ſuo totam inflammauit, IESV
Spiritus, ille, ſatis quo tibi fiat, habet.

Pericula

Pericula aliena, ad Eligium Vergeriū.
CAR. CXX.

Felix ter & quater, quiſquis periculo
Alieno cautus eſt, carpitq; commoda
Ab amici iuxtà & ab inimici incommodis:
Moneri quàm monere longè præſtat, &
Sapere altero docente, docere quàm alterum:
Doctrinaq; eſt hæc ſapientum ueterum utilis.

In malos τυπογράφους μονόστιχον.
CAR. CXXI.

Bonos libros librarij uitiant mali.

Pſalmus τοῦ Δαβίδ.λ.xxx. παραφραστικῶς, ad D.
Robertum Dauacurtium Catalau-
num pontificē digniſs. CAR. CXXII.

Te dominum regemq; meum, dum uita manebit,
Laudibus aßiduis, ò Deus alme, canam.
Per te ego ſum ſaluus, iacet & meus impius hoſtis,
Cui propè ridenti fabula factus eram.
Nam ſimulatq; tuum imploraui ex pectore numen,
Haud mora, præſenti ſum releuatus ope.
Quod niſi feciſſes, labebar uiuus in Orcum,
In puteum præceps, in foueamq;. dabar.
Ergo omnes ſancti, atq; pij, uos pſallite mecum:
Hunc, dominum talem, carmina noſtra ſonent.
Huic domino, breuis eſt furor, & placabilis ira:
Aſt eiuſdem, omni tempore durat amor.
Triſte aliquid dederit ſi ueſpera, protinus orto
Lætitiam referet craſtina ſole dies.

Olim

Olim ſtultus eram,atq; mihi florere uidebar:
Quis mihi par?(dixi) quis'ue nocere poteſt?
Sic in me ingenti firmaras robore montem,
O' Deus,immenſa pro bonitate tua:
Verùm ubi me pietas tua caſtigare parumper
Cœperat,hîc mœrens,hîc ſine mente fui.
Hîc iterum clamore tuas animus meus aures
Verberat,& querula talia uoce refert:
Quæ,quæſo,utilitas fuerit,ſi ſanguine fuſo
Hæc anima extremum pergat ad interitum?
Num,domine,expectas aliquas à puluere laudes?
Num ſunt in media qui tibi morte canant?
Ergo mei miſerere,exaudi uerba precantis,
Mitior adflicto da mihi,quæſo,manum.
Ecce meos ſubitò luctus in gaudia uertis:
Lætus ſum,ſacco qui modò tectus eram.
Quare,ego te,mi ſeruator,dum uixero,dicam:
Nulla animæ linquens otia,nulla lyræ.

Ad Claudium Dodiæum Lugdun.uirum ſumma exiſtimatione præditum,Calend.Ianuarijs,Anno à Chriſto nato 1537. CAR. CXXIII.

Poſtquàm te reducem nobis pia fata dederunt,
O' Lugdunæi lausq; decusq; ſoli:
Officij eſſe mei duxi tibi ſcribere carmen
Hoc breue:quod læta perlege fronte,precor:
Ianua fœlicis lux hæc tibi luceat anni:
Et domui eueniant omnia læta tuæ.

Ὀψὲ

Διψῶν, ad Deũ patrem opt. max.
CAR. CXXIIII.

Deus, Deus Deorum,
Nunquam'ne tu meorum
Miſereberis laborum?
Nunquam'ne tu hunc dolorem
Pelles? meumq́; dentem
Furore liberabis?
Hac nocte ſi quis hauſtum
Liquidæ obtuliſſet undæ,
Illum Camœna noſtra
Tuliſſet uſq; ad aſtra:
Illumq́; dedicaſſem
A' poculis Tonanti:
Ganymede pulſo, eoq́;
Fruſtrà querente, cuius
Vrnam toties uocaui
Nequicquam: ita enecabar
Siti, atq; ita æſtuabam,
Præcordia ut creparent,
Vix faucibusq́; haberem
Anhelitum tepentem.
Set quò rapis furentem
Dolor? reuertor ad te
Mea ſpes, Deus pater mi,
Miſerere: nam tuus ſum
Manuumq́; opus tuarum.

In Molorchum Tyrannum immaniſs. ode Sapph. ad Richerium poëtam. CAR. CXXV.

Qui tot inſontes, Rhadamanthus ille,
Morte mulctauit, ſecuitq́; uiuos,
Occidit nuper ſubito Molorchus
Fulminis ictu.
Senſit infelix homo, ſenſit acrem
Senſit (ô factum bene) ſenſit inquam,
Exacerbati totiesq́; læſi
Numinis iram.
En iacet latro, iacet en tyrannus,
Carnifex quondam metuendus ille:
O' Deus, ſtrauit tua ſola tale
Dextera monſtrum.
Ergo, quo CHRISTI *cecidit flagellum,*
Hunc diem læti celebremus omnes:
Et pios imis domino canamus
Cordibus hymnos,

Ad Helyen. præſulem. CAR. CXXVI.

Ὦ ἱερεῦ, ἐμὸν ἀσπασίως τόγε δέχνυσο δῶρον,
Ἐς' ὀλίγον δῶρον, θυμὸς δ' ἐστὶ μέγιστος.

Latinè utcunq;.

Hæc mea, quæſo, hilari, præſul, munuſcula uultu
Accipias: poſſem ſi meliora, darem:

Lectori. CAR. CXXVII.

Si quis fortè hominum ocioſulorum
Cui Nugas uacet haſce lectitare,

Miretur,

Miretur, dubitet, rogetq́; cauſſam,
Quur hæc editio ſecunda noſtra,
Sit tam dißimilis priori ab illa:
Sic reſpondeo: Vir meos relegi
Verſus, quos ego luſeram puellus.
Quod dum facłito, diſco non quibuſuis
Dextram (ut dicitur) eſſe porrigendam.
Nam quoſdam editio prior uocarat
Claros, eximios, pios, amicos,
Patronos, lepidosq́; candidosq́;:
Quos longè eſſe alios, meamq́; falſam
Euenta ipſa docent opinionem.
Tam mens uſq; fuit mihi in parandos
Prona, & cerea, & incitata, amicos.
Quare, nil tibi, lector, eſſe mirum
Debet, quòd nouus hic meus libellus
Quædam nomina reſpuit: bonis fit
Summa iniuria, quando in immerentes
Laus effunditur: & mali inſoleſcunt
Laudati, tacitos pudet relictos.

In corruptiſs. quempiam iudicem, eumq́ Tyrannum crudeliſsimum. CAR. CXXVIII.

Iudicis integri longas componere lites,
Officium eſt, & ius reddere cuiq; ſuum.
At tu quotidie lites & ſpargis, & auges:
Criminibus falſis eſt tua zona grauis.

Innumeros capitis damnas, doctosq́; , piosq́; :
Deq́; horum ſpolijs eſt tua plena domus.
Sic tibi res creſcit, cumulusq́; accedit honorum,
Inq́; dies toto clarior orbe uolas.
At caue, & hoc iterum dico, caue: & illa memento
Funera, quæ ſocij dira tulêre tui.
Alter raptus equo, ſubito ictu fulminis alter
Occidit: at multò peior utroq; furis.
Quid calamum hunc timeas? æterno à iudice Chriſto
Iudicium, ô iudex, ſuppliciumq́; time.

Ad R. Epiſcopum nuper factum. CAR. CXXIX.

Felicem ô populum, cuius tibi credita cura eſt:
Si modò præceptis pareat ille tuis.
Ne ſuccumbe oneri, ſet CHRISTI *intentus honori*
Ad domini uigila paſtor ouile tui.

Ad Franciſcum Regem. CAR. CXXX.

Clarus Amphion citharæ ſonoras
Dum fides pulſat, coiêre ſaxa:
Thracius mores hominum ferinos
Lenijt Orpheus.
Græciæ magnum decus eſt Homerus,
Bella qui regum cecinit, ducumq́; :
Et Latinorum Maro prima fertur
Gloria uatum.
At tuus poſtquàm mihi nutus omneis
Abſtulit curas, & ab inuidorum

Me tuum linguis famulum redemit,
Optime regum:
Ecquis illorum mihi conferendus?
Aut nouem quam non ſuperem ſororum?
Omnibus coram ſuperis, uel ipſo
Iudice Phœbo?
Nunc olor tanquam Zephyro fauente,
In Dei laudem modulor, tuamq́;,
Poſteri carmen quod ament, nec ulla
Deleat ætas.
Patris excelſi, dominiq́; CHRISTI
Spiritus præſtò tibi ſemper adſit:
Teq́; cum natis, populoq́;, cumq́;
Coniuge ſeruet.

Ad eundem Calend. Ianuarijs,
M. D. XXXV. CAR. CXXXI.

Hanc Iani primam tibi ſæpe recurrere lucem
Faxit, quem lingua promis, & intus habes.
Viue diu, tu qui rabiem inſultusq́; luporum
Reprimis, & quo omnis Gallia rege tumet.

In Charidemum. CAR. CXXXII.

Multi, qui nuper tecum, Charideme, fuerunt,
Edere uelle nouum te retulêre librum:
Credibile eſt iſthuc: quid ni? nam emittere libros
Conſueſti iam olim, magnaq́; fama tua eſt.
Set quo argumento illud ſit, Charideme, futurum
Quod moliris, adhuc dicere nemo poteſt.

Arcana expectant alij, de nomine Ieſu,
De magica arte alij, de cacodæmonibus.
De genijs alij gemmarum, de omnibus aſtris,
Quo captanda Venus, quo fugienda die.
De fungis alij, de beta & uiribus eius,
Deq; fabis alij, deq; leguminibus.
De lepra, aut fœda ſcabie, te ſcribere quidam,
Quòd mala ſat tibi ſint hæc duo nota, putant.
Crede mihi, hoc melius, quàm ſi horrida bella gigantũ,
Aut caneres montes montibus impoſitos.
At ſi nil horum eſt: audi quid ſuſpicer ipſe,
Quæſo, te, ut liceat dicere, pace tua:
De gruibus ſcribes: olim quàm fortiter illas
Pygmæi patres corripuêre tui.

In eundem. CAR. CXXXIII.

Scribere te dicis, Charideme, immane uolumen,
Qualeq; uiderunt ſecula nulla prius.
Set tibi ſcribenti quum ſaucia mens ſit in ægro
Corpore, quod ueluti putre cadauer habes,
Lector emax librorum auidè tua ſcripta legendo
αὐτίκα εὑρήσει οὐ νέον, ἀλλὰ νόσον.

In quempiam. CAR. CXXXIIII.

Rogare me non deſinis, ut nomen tuum
Nugis legatur in meis:
Impure homo, quid tecum mihi? nil te pudet?
Quur ſic moleſtus es mihi?
Putas'ne Muſas uelle lucro, & pecuniæ, &
Seruire tuæ libidini?

Agè

Agè fiat,ecce citò,& ut in tabula,tibi
Te pingo,tuis coloribus.
Auarus,litigioſus,mulierarius,
Mendax,rapax,fur,aleo,
Celebrarier cupit:celebretur omnibus
Igitur modis,ut dignus eſt.

Ad Ioan. Dintauillum inclytæ urbis Trecarum prætorem ampliſs. & Polyſij Toparchum. CAR. CXXXV.

Etſi immaturo raptum tibi funere fratrem,
Annos iam totos lugeo quinq; miſer,
Fratrem(inquam)ò heros Lodoicum,cuius imago
Quotidie ante oculos itq; reditq; meos:
Aduentu tamen ecce tuo recreatus,& ore,
Me ſpe fortunæ proſperioris alo.
Te Mecœnatem mihi,te mihi ſpero patronum,
Te uice defuncti fratris habere uolo.
Nanq; mihi quid non generoſo pectore ab iſto
Pollicear? quid non à pietate tua?
Sis ſaluus:carmenq; meum lege fronte ſerena:
Meq; tuos inter ſcribe,tuumq; uoca.

Ad eundem. CAR. CXXXVI.

Dies mihi hic illuxit,heros inclyte,
Numerandus inter candidos,
Quo pectus iſtud contigit optatiſſimum
Videre coràm,& alloqui.
Nam frater ille tuus Lodoicus,quem inuida
Amicum Mors mihi abſtulit:

Tanquam alterum ſe,te reliquit,ut loco
Sui,memor ſores mei.

Ad Rubellam. CAR. CXXXVII.

Multa in te ſcribens,mentiri malo Rubella,
Quàm ut dicar nudæ concubuiſſe tibi.

Ad D.Antonium à Burgo,magnũ Franciæ Cancell. CAR. CXXXVIII.

Si quenquam ſtudio pietatis Gallia clarum
Nunc habet,& dignum quem mea Muſa canat,
Is tu ille,Antoni,qui prole,& coniuge,fœlix
Aethereum merito tangis honore polum,
Vt taceam regni quæ ſumma negotia tractas,
Et tua quas uirtus accumulauit opes.

De morte,è Græco Σαμίυ. CAR. CXXXIX.

Mors finis rerum eſt,& ineuitabile telum:
Hanc hominum metuit ſapientum nemo,nec optat.

Iocatur in ſeipſum,& in quendam Paraſitum,ad Stephanum Albreolum Corforalti Toparchũ,principisq; Lautreci heri Oeconomum.

CAR. CXL.

Vt meas Nugas patiar uolare
Conſulens quidam paraſitus,inquit:
Nil tuis Nugis adimi nec addi
Poſſe uidetur.
Set tibi nunquàm,paraſite,credam:
Iam uale longum,ualeatq;,dixi,
Quiſquis ex noſtris opulenta captat
Prandia Nugis.

Im-

Improbos huius calidus iuuenta
Seculi mores calamo notaui:
At meæ merces operæ, pericla
Mille fuerunt.
Si tot acceptis reſipiſco tandem
Cladibus, quur me paraſitus urget?
Conſulens fracta repetam ſonanteis
Naue procellas?

De ſeptem planetis hanc fortè inter legendum formulam reperimus in ueterum monumentis.

	Ἥλιον		Χρυσός.
	Σελήνην		Ἄργυρος.
	Ἄρη	Ἀνὰ	Σίδηρος.
Εἰς	Κρόνον	γε	Μόλυβδος.
	Δία	τι	Ἤλεκτρος.
	Ἑρμῆν		Κασσίτερος.
	Ἀφροδίτην		Χαλκός.

Vnde hoc τετράστιχον luſimus ex tempore, ad Thomam Sertinum Florentinum. CAR. CXLI.

Aureus ut Sol eſt, ſic Luna argentea, ſic Mars
Ferreus, & triſti Saturno cedere plumbum,
Electrumq́; Ioui conſtat: ſtannumq́; ſubeſſe
Mercurio gaudet: Venus eſt quæ præſidet æri.

Literæ,ſeu eruditio,quid:ad Noreſium & Careum pueros egregios. CAR. CXLII.

Quid litteræ ſint,& quid homini conferant,
Dicam:quæſo animaduertite.
Iuueni ſunt calcar ad uirtutem litteræ,
Seniq́; ſunt ſolatium:
Miſero uerò,atq; pauperi,ſunt refugium:
Adduntq́; honorem diuiti.

Poëta calamum ſuum alloquitur. CAR. CXLIII.

Heu calame infelix,quur uulſus ab anſeris ala
In digitos geſtis te cecidiſſe meos?
Quur gaudes niueis committere plurima chartis,
Tutius & melius quæ tacuiſſe foret?
Olim cum uolucrem ſuſpenſus in aëre ferres,
Ille ſua dignus laude uolatus erat.
At nunc ſublimem quò te rapis æthera ſupra?
Nec modò te,ſet me quò,furioſe,rapis?
Icarus,Icario qui fecit nomina Ponto,
Sic perijt,ſet non perdidit ille patrem.
Tu me,teq́;,amens,& uulnere conficis uno,
Et gaudes caſu me cecidiſſe tuo.
Set ceſſa:ſi non ceſſaueris,ibis in ignes:
Gratior exuſto te mihi ſomnus erit.

Calamus reſpondet, ſe,impellente uero, ſcribere omnia. CAR. CXLIIII.

Quid mihi ſuccenſes? me cogit ſcribere uerum:
Eſt uerum,quod me cogit,& uſq; regit.

Me

Me uerum inflammat, mihi ſuggerit omnia uerum:
Ne mea, neúe manus culpa ſit ulla tuæ.
Culpa ſequi uerum non eſt, ſet ſi qua uidetur,
Crede mihi, noſtrum neutrius eſſe poteſt.
Scribendo quoties chartæ percurrimus æquor,
Impellit uerum meq́; tuamq́; manum.
Quid uero melius? quid uero fortius uno?
Quid uerum eſt, ſi non ſpiritus ipſe Dei eſt?
Set tradar rapidis (dum uero ſeruio) flammis:
Verum, cum flammis, me ſuper aſtra feret.

Ad Ioan. Duperatium Lugdun. ſuppiæ fectum. CAR. CXLV.

Alluſio ad nobilem M. Catonis ſententiam, de homine & ferro. uide Aul. Gel. lib. 11. cap. ſecundo.

Eſt homo perſimilis ferro: Rubigine ferrum
Exeditur, longoq́; magis conſumitur uſu:
At citius, quàm uſus, rubigo interficit illud.
Ocia ſunt igitur fugienda, laborq́; ferendus.

Idem aliter, ad eundem.

CAR. CXLVI.

Qui ſeſe exercet, tandem ſe conterit ipſum:
Qui piger eſt, languet, citiusq́; abſumitur. ergo
Noſtra laborando exerceri corpora præſtat.
Nam citius, quàm uſu, teritur rubigine ferrum.

In Charidemũ, nouum aſtronomũ.

CAR. CXLVII.

Nuper cùm procus eſſet, & puellam
Ambiret Charidemus elegantem,

Iucundum ſatis & ſatis facetum
Se præbebat amiculis ſuis: at
Nunc uxore potitus expetita,
Conſpectum fugit omnium. unde multis
(Vt fit) ſæpe rogantibus, quid ille, &
Quam bellè ualeat maritus, illa
Dicit, neſcio, totus eſt in aſtris.

Matris C. Caligulæ Cæſaris epitaphion, è Græco, in libro peruetere repertum. CAR. CXLVIII.

Cæſaris hic iaceo mater, populiq́; nouerca:
Flet Cæſar, populus ridet, luo perdita pœnas.

In fures carminum ſuorum, ad Carolum Serram Tullen. CAR. CXLIX.

Oſtentant hodie quidam mea carmina fures,
Pennisq́; alterius iam nimis alta petunt.
Has ego uulnificis lacerabo iratus Iambis
Harpyias: fruſtra uertere terga uolent.

E' Græco τοῦ Σχμὶν. CAR. CL.

Proferet in lucem peccata latentia tempus,
Inijciet laqueum furibus una dies.
O' homo, qui peccas, hominum ſi lumina fallis,
Te'ne putas oculos fallere poſſe Dei?

Ad huius libelli lectorem. CAR. CLI.

Pone ſupercilium, lector, tenuemq́; libellum
Conſule, quæſo, boni.
Seria rugoſa perpende poëmata fronte,
Mente tenens memori.

Hic

Hic præter Nugas nihil eſt, niſi ſeria Nugis
Dicere mixta uelis.

Ad Rubellam carmina mihi ſolito frigidiora obiectantem. CAR. CLII.

Dicis carmina noſtra & inuenuſta, &
Mirè frigida nunc tibi uideri.
At ſi, quid patiar, Rubella, ſcires,
Quæ nunc uina bibam, quibusq; amicis
Nunc utar, ueniam dares, Deosq;
Vt me reſpicerent tuum, rogares.
Dicam cætera coràm, at interim tu
Gaude ſi potes, ò Rubella, gaude.

De Venere fugiēda, ad Ioan. Papilionem. CAR. CLIII.

Ne ſenium accerſas, & ne reſipiſcere ſerò
Incipias, Veneris gaudia falſa fuge.
Virtutemq; Dei uenerandum amplectere donum,
Quod facis, & toto pectore numen ama.

In Lorpium. CAR. CLIIII.

Aßiduè incedit per totam ſplendidus urbem
Lorpius, & tota non habet urbe domum.

In Ollum nebulonem impuriſs. CAR. CLV.

Olle, qui tecum cubuēre noctes
Plurimas, de te retulēre quædam
Monſtra, uah, quorum nimio grauatur
Pondere tellus.

Quiſquis

Quiſquis effundit genitale ſemen
(Liberè dicam,licet hæc relatu
Fœda ſit res)& uenerem nefando
More laceſsit:
Quiſquis eſt,qui ſic homo peccat,inquam,&
Liberis dandum quod erat creandis,
Mittit in uentos,alioſq́;(demens)
Vertit in uſus:
Ille,quas pœnas dabit?ecce clauis
Ferreis fixus Stygias ad undas,
Flebit,æternis reſupina uinctus
Membra catenis.
Flebit,at ſerò:nec erit Megera
Hinc procul:cuius furiatus anguis
Vnus inuadet,ſalietq́; paſtus
Carne iacentis.
Geſtiet lambens inhianſq́; prædæ:
Set (quod in primis amat)illud inguen
Mandet,accumbens ſuper,& cruento
Inſeret ori.
Sic erit quiſquis facit,Olle,quod tu:
Et dies CHRISTI *domini propinqua eſt,*
Quæ ſuis reddet ſua cuiq; digna
Præmia factis.

Lectori. CAR. CLVI.

Ὅσις ὁρᾷς ἐμὰ ταῦτ' ἔπεα, βροτοῖσι μεθεῖναι,
Οὔτις ἀναίτιος εἶ, οὔτις ἀεὶ φρονέει.

κὐρ

Νῦν δὲ ὁ φείδου ἐμοῦ, μετὰ ταῦτα δ' ἀμείνονα τούτων
Ἔλπου, σὺν μούσαις, σὺν δὲ θεῷ ἀγαθῷ.
Κἂν σπεύδοντι καλῶς ἡ μοῖρα κακὴ φθονέουσα
Πράττει, ἕως δύναται, μύρια πράγματ' ἐμοί.

Idem Latinè ὅπως δύνατι. CAR. CLVII.

Quiſquis ades, lector, mortalem me eſſe memento:
Nemo ſapit ſemper: crimine nemo uacat:
Quapropter, mihi parce, precor, melioraq; ſpera,
Auſpicibus Muſis, imò, fauente Deo.
Quanquàm, dum bene curro, negocia mille faceſsit
Obturbans quantùm Parca maligna poteſt.

De morte picta à Hanſo pictore nobili. CAR. CLVIII.

Dum mortis Hanſus pictor imaginem exprimit,
Tanta arte mortem retulit, ut mors uiuere
Videatur ipſa: & ipſe ſe immortalibus
Parem Dijs fecerit, operis huius gloria.

Nicolao Barptolemæo Lochienſi, poëtæ & amico. CAR. CLIX.

Iſtud quæ tibi, Nicolaë, nomen
Sacro à fonte, & idem mihi, indidêrunt
Muſæ, quur, tibi quas dedere abundè
Dotes ingenij, mihi negarunt?

Ad G. Vercellanum hominem doctiſsimum. CAR. CLX.

Sic libris inhias Græcis, inhiasq; Latinis,
Noctes, diesq; peruigil:

Vt,

Vt,quur doctorum celebreris ab ordine toto,
Iam deſinam mirarier.

In fronte carminum à Gilb. Ducherio editorum. CAR. CLXI.

Huc huc,lector,ades:lepidosq; euolue libellos,
Quos tibi perpoliјt Docheriana manus.
Inter tot uates,quos Gallia noſtra canoros
Nunc habet,huic non laus ultima iure datur.

De Rob. Buliodo, & Ben. Buaterio uiris eximijs. CAR. CLXII.

Si quod amicorum par uſquam nobile uidi,
Dignumq; laude maxima,
Id mihi apud claram Lugdûnum contigit urbem,
In Gryphianis ædibus:
Muſa Buaterium mea Buliodumq; loquetur,
Dum ſtabit orbis machina:
Eſſe ſciam clarum quamuis utrunq;,nihilq;
Noſtris egere laudibus.

Iano Guttano. CAR. CLXIII.

Fama licet fingat plerunq;,ac uana uocetur,
Mentiri ſemper non tamen illa poteſt.
Nullum eſt oraclum fama ueracius illa,
Quæ canit ingenij lumina,Iane,tui.

Ad Godefridum Beringium. CAR. CLXIIII.

Qur te,Beringi,maceras
Curis edacibus?ueni

Huc,

Huc,oro te,& ſalubribus
Sub uitis huius frondibus
Bibamus unà largiter:
Curæ ualeant,durum genus.

Auari cuiuſpiam tumulus. CAR. CLXV.

Ne mirêre huius molem,ſumptumq́; ſepulchri,
Viator:hîc diues iacet:
Cuius in hoc tot opes uarijs creuêre rapinis,
Et ipſe in hôc uixit miſer,
Hoc opus ut fieret:quicquam ultrà quærere noli:
Scitu ſupereſt dignum nihil.

Simoni Gryneo uiro undecunq; doctiſsimo. CAR. CLXVI.

Felix & eſt,& dicitur,
Meritò hodie Germania,
Grynee,te tali uiro,&
Te litterarum principe.
Χαῖρ' ὦ κεφαλὴ μούσαις φίλη,
Χαῖρ' ὦ σοφίης πάσης ἄναξ,
Χαῖρ' αἰεὶ, ἐπάλληλον δ' ἐπὶ
Ἔρωτα σὴν θεοφιλῆ κράτει.

Ioanni & Franciſco Frellæis germanis fratribus,apud Lugdunum bibliopolis. CAR. CLXVII.

Caſtora ſi Pollux alterna morte redemit
Germanum,& toties itq́; reditq́; uiam:
Nulla illud meritò ueterum non fabula uatum
Nobile fraterni cantat amoris opus.

Frellæos

Frellæos fratres geminorum fama Lacônum
Sic premit, ut uictam cedere uelle putes.

Magdalenæ Lacheneæ Pariſienſis puellæ epitaphion. CAR. CLXVIII.

Hunc, ô puellæ, ô uirgines Lutetiæ,
Tumulum ueſtris ita irrigate lachrymis,
Vt hortulus fiat, qui perpetuis roſis
Abundet, æternisq́; uernet floribus.
Nam Magdalenam (quæ ordinis ueſtri fuit
Magnum decus) Parcæ hîc poſuerunt inuidæ.

Εἰς τὰς γυναῖκας, è Græco ἀδήλου.

CAR. CLXIX.

Si qua bona eſt mulier, communicat omnibus illa
Quicquid habet: quicquam nec putat eſſe ſuum.
Si qua mala eſt, uult ſe precibus, donisq́; teneri:
Vir, qui extra ſortem uiuit utranq;, ſapit.

Ioan. Cornelij, & Nyſie coniugis epithalamion. CAR. CLXX.

Qui Deus in thalamo duo corpora iungit amantum,
Idem animos firmo iungat amore duos.

Ad eoſdem coniuges. CAR. CLXXI.

Viuite, Corneli, quot cornix ſecula uiuit,
Tuq́;, & tua uxor Nyſia.
Viuite felices: & CHRISTO *gignite prolem,*
Vobisq́; dignos liberos.
Viuite, ſed bibite: & me ueſtrum ſemper amate,
O coniugum par nobile.

Ad

Ad parentum Manes. CAR. CLXXII.

O' pater,ò utinam iubeant ſic fata benigna,
Vt tibi morte mea ſit redimenda ſalus.
O' mater,quur me,quur non Iouis ira redegit
In cinerem,potius quàm raperêre mihi?
Vos'ne mihi taleis inuidit Parca parentes?
Quur functis uobis uiuo ſuperſtes ego?
At moriar certè,& reliquum quod reſtat agendum
Vitæ huius,mœſtus,ſolus,& æger agam.
Et lucem poſthac fugiam,potumq;,cibumq;,
Vt uos præcipiti per Styga morte ſequar.

Manes reſpondent. CAR. CLXXIII.

Deſine te fruſtra lachrymis adfligere,fili,
Parce etiam Manes ſollicitare pios.
Quur cor inutilibus rumpis iuuenile querelis?
Fata'ne te luctu poſſe mouere putas?
Viximus.hæc omneis homines manet ultima rerum
Linea.mors nulli parcere nouit adhuc.
Tu,fili,potius nobis gratare,quòd alta
Pace frui noſtrum ſemper utriq; datur.
Viue tuum tempus.cùm te tua fata uocabunt,
Huc uenies:erit hæc ſat tribus una domus.

Lingonum laus. CAR. CLXXIIII.

Lingones in libris ueterum quum ſæpe legantur,
Clari ſint,clarum Gallia ſi quid habet:
Quid mirum eſt,hodie ſi Muſæ & Apollo uidentur
Lingonicos ſaltus præpoſuiſſe ſuis?

Ad Rubellam. CAR. CLXXV.

Da iam, Rubella, da lyram,
Vt paululum me recreem
Pſallens. at antè, ſi placet,
Da baſiolum, da, ô lux mea.
Sat eſt, quieſce iam, ſat eſt,
Sát eſt, Rubella, da lyram.

SEPTIMI NVGARVM LI
BRI FINIS.

NICOLAVS BOR BONIVS VANDOPE

ranus Paulo Antonio Gadagnio iu ueni doctißimo S.

SAEPENVMERO *mihi cõmemorauit Athenodôrus noſter, quàm utriuſq; linguæ, atq; adeò omnium optimarum artium ſtudijs addictus eſſes, quàm modeſtus ac liberalis, deniq; quàm propenſus ad conciliandos tibi ſtudioſorum animos. Quare faciendum mihi duxi, ut te ad amicitiam prior inuitarẽ, nihil ueritus ne nos repelleres, neu Athenodôri candidißimi uiri teſtimonium fefelliſſe uiderêre. Adſcribe me igitur iam nunc inde amicorum tuorum albo, & utere opera noſtra, ubicunq; eam tibi uſui eſſe poſſe cognoueris.* Ego cer*tè* πάσῃ μηχανῇ *præſtare enitar,* καὶ πάντα κινήσω λίθον, *ut omnes intelligant me amicitias non temere adpetere, &, ubi cõſequutus ſum, diligentißimè atq; religioßißimè tueri. Vt autem ſpecimen aliquod tibi dem amoris erga te mei, en ad te mitto Nugas meas, Gryphianis typis recens excuſas: in queis tuum & fratris tui Thomæ Gadagnij clarißimi uiri nomen inuenies. Tui fuerit candoris, æqui boniq; conſulere hoc munuſculum, Muſamq; Borbonij, quoad dignitas tua patietur, omni ſtudio, beneuolentiaq; proſequi. Vale, ornatißime iuuenis, Lugduni in ædibus Gryphianis,* 1538.

NICOLAI BORBONII VANDOPERANI poëtæ Lingonenſis, Nugarum liber octauus.

Ad lectorem pium, Chriſtophori Richerij Senoneñ. diſtichon.

Qui teſtamenti uult ſummam utriuſq; uidere,
Borbonij hæc centum carmina culta legat.

SVMMA VTRIVSQVE INſtrumenti, *hoc eſt, ueteris ac noui teſtamenti (quæ ſacra* Biblia *uocant)* κεφάλαιον. CAR. I.

PRO *bonitate ſua Deus eſt, qui cuncta creauit:*
A' quo ut inexhauſto promanant omnia fonte.
Quo ſine, nil quicquam eſt: ſolus qui iuſtus, & æquus,
Deus. *Cuius uult miſeretur: & omnia in omnibus ut uult,*
Vnus agit: qui quicquid agit, reprehendere nulli,
Aut, quur ſic, quid agat, uel ſic, inquirere, fas eſt.
Adam. *Hic primum formauit Adam, qui ipſius imago*

Et foret, & dominus rerum, quas terra ferebat.
At Stygij inuidia graſſante ſatellitis, & cùm — Stygius ſatelles Satanas.
Iuſſa patris ſummi infelix uiolaſſet Adamus, — Noxia, ſeu peccatum.
Noxia mox mundum inuaſit: mox noxia mortem — Mors.
Aduexit ſecumc omitem: hæc peſtis in omneis (dè. — Omnes per Adam peccauerunt.
Bacchata eſt: nemo eſt per Adã quin peccet abun-
Hinc promiſſus Adæ atq; Abrahæ ſeruator IESVS — Chriſtus patribus promiſſus
Et reliquis patribus: qui labem abſtergeret omnẽ
Credentũ ex animis: Mortiſq; aboleret, & Orci
Imperium, cui primus Adam ſubiecerat omneis.
Promiſſam intereà populo expectante ſalutem,
A ſummo lex lata Deo eſt, qua quiſq; uideret — Lex.
Peccatum, erroremq; ſuum, & ſe noſceret ipſum:
Quò magis arderent lucem, Chriſtiq; ſitirent
Aduentum, fœdas maculas qui tolleret ipſis.
Tandem ubi ſic illi uiſum eſt, qui tempora cunctis
Præfigit rebus (ſicut promiſerat olim)
Chriſtum factũ hominem miſit: quo tempore totũ — Aduentus domini Chriſti.
Horrida contages uitiorum infecerat orbem:
Ne quis fortè putet meritis ueniſſe uel actis
Cuiuſquã adductũ: nã culpa obſtrinxerat omneis:
Set potius, quia uerax eſt: nobiſq; uolebat
Theſauros aperire ſuæ bonitatis, & ipſum
Se præbere ſuis, iuxta promiſſa, parẽtem.
Ergo agnus uerus CHRISTVS, uera hoſtia, uenit, — Chriſtus quid
Verus homo ex Maria illibata uirgine natus,
Sermo Dei uiuus, mortalis imagine ſerui
Indutus, factuſq; caro (quis crederet unquam

Talia, ni Deus adſpiret?) uera hoſtia uenit,
(O magnū, ô ſanctum, ô uenerabile ſacramentū)
Noſq; reconcilians patri, ſe ſanguine fuſo,
Obtulit, & pœnas pro nobis in cruce pendens
Perſoluit, domita, fractaq; tyrannide Ditis:
Et patrij hæredes regni nos fecit adoptans,
Pace data fidei, quam dat pater ipſe, fauendo,
Nos ad ſe Chriſtumq; trahens: nam credere, donū
Illius eſt: diuinum opus eſt, huc credere Chriſtum
Veniſſe, ut nos ablueret. uis deniq; tanta
Eſt almæ fidei, ut qui illa donantur, amando
Igneſcant, Chriſtiq; ſequi ueſtigia flagrent,
Vt uideas illos, ſtudio geſtire iuuandi
Omnibus officijs omneis. nam ſpiritus ille
Accepto fidei ſe indulget munere nobis:
Quo ſignamur, & æternum quod pignus habe-
Qui nos eſſe Deo natos (mirabile dictu) (mus:
Spiritui noſtro teſtatur, & ampliter idem
In noſtros animos illum diffundit amorem,
De quo Paulus agit, pergens formare Corinthum,
Paulus, Olympiaca uates demiſſus ab arce.
Hancce fidem propter, quæ uiua ardenſq; per illū
Cuncta bona in nobis operans ſe prodit, amorem,
Efficimur iuſti: noſq;, ut ſua pignora, charos
Approbat, & nobis delicta haud imputat ulla,
Qui pater eſt domini Chriſti, noſterq; per illum.
Venit, & ut ueluti nos gemmea uaſcula patri
Offerret, puroſq; per ipſum, carne ſubacta:

Fides Dei donum.
Fidei uis.

Fideliū ardor & ſtudia.

Diuus Paulus

Vt ueteris poſthac hominis ſordente farina,
Liberè eũ exq; animo, & ſyncera mente colamus:
Et uitæ reliquum ſanctis peragamus in actis,
Quæ nobis curanda dedit, quæq; ipſe parauit:
Vtq; ita uiuamus, nos ut teſtemur ad illam
Eſſe fidem tractos: ſinè qua, nec Chriſtus habetur,
Quippe, Dei donũ, alma fides, eſt arboris inſtar
Frugiferæ, ſuauemq; ſuo fert tempore fructum.
At ſceleratum hominem cùm flatu aboleuerit oris,
In ſumma CHRISTVS rex maieſtate ſedebit,
Omnibus ut præſit iudex, cunctisq; rependat
Iuxta facta ſuo quæ quiſq; in corpore geſſit.
Tum uerò à dextra fuerint qui parte, Venite
(Inquiet) ò fratres, ò terq; quaterq; beati,
Accipite hoc regnũ, quod prima ab origine mundi
Vobis, ipſe pater, ueſterq;, meusq; parauit.
Vos autem (ijs dicet fuerint qui in parte ſiniſtra)
Ite in Tartareum, gens execrabilis, ignem,
Ignem, infelici Satanæ, aſſeclisq;, paratum.
Tunc, & finis erit: tunc, & regalia patri (det.
Sceptra dabit CHRISTVS, regniq; inſignia tra-
Hæc igitur noſtrum ne ſint incognita cuiquam,
Tradita ſunt nobis quæ Biblia ſacra uocamus:
Spiritui ſancto quæ accepta feramus oportet.
Tradita ſunt (inquam) eſſe Deũ credamus ut unũ,
Omnia cui parent, & cognoſcamus eundem,
Et Chriſtum dominum, nobis quem miſit, IESVM:
Vt per adorandum illius & uenerabile nomen

Opera bona Chriſtianis exercenda.

Fides arbor bona

Spiritu oris ſui interficiet impium.

Chriſtus omnium iudex.

Iudiciũ Chriſti.

Sacra Biblia quur nobis tradita.

Viuamus,quorum iſta fouet perſuaſio corda.
Atq; hæc ſunt,præter quæ fundamenta locare
Nemo poteſt:ut Paulus eum execretur,& optet D. Paulus in epiſtola ad Galatas cap. 1.
Infandum ut caput,arceri,dirisq; uoueri,
Quiſquis ab his diuerſa docens,diſſenſerit unquã,
Siue homo,ſiue aliud quicquam: uel ſi angelus ipſe
E coelo fuerit.quia maximus optimus ergo
Eſt Deus,ex quo,in quo,per quẽ ſunt omnia, quæ Deo optimo & max. laus & gloria in ſecula ſeculorũ.
Laudibus aßiduis celebretur,et omne p æuũ(ſunt.

Ad Philippum à camera Card. Bolognium. CAR. II.

Si quiſquam eſt hodie mihi qui mala multa ferenti
Auxilium poßit ferre,Philippe,potes.
Quod potes,oro,uelis:reliqua hic tibi nuntius ultro
Dicturum ſe animi ſpondet operta mei.

Θρῆνος. CAR. III.

Deus pater,quando hoc à corpore liberum
Iunges tuo me filio?
Quando ex tenebris hiſce uocabis me,tuum
In lumen admirabile?

Ad Guliel. Maïnum, Belli loci coenobiarcham. CAR. IIII.

Ad te confugio ſupplex,ego uincula paßus,
O decus,ò populo præſul amande tuo.
Omnino exhauſtum eſt longo mihi carcere corpus:
Viſendus pater eſt,eſt & emendus equus.
Eximere his curis me parua pecunia poſſet,
Et facere,ut uidear liber,ut antè fui.

Quare

Quare,aliquid numeres,oro,ſaltem eius amore,
A' quo merces eſt certa repoſta tibi.
Nempe,ab eo,qui ſe pro nobis tradidit ipſum,
Nos faciens ſummo uaſcula digna patre.

Θρῆνος,ad dominum Chriſtum.
CAR. V.

Mihi emptus eſt hodie grandi pecunia
Equus ferox & calcitro.
Adeò ſum iniquo Mercurio natus,nec eſt
Me uno alter infelicior.
Nam ſic me herum inter equitandum excuſsit ſuum,
Ferè ut crus fregerit mihi.
Nunc & per agros impetu magno uagus
Surſum deorſum curſitat.
Quò perſequar miſer?quid agam?nam ſacculumq́;
Aufert,librosq́;,& manticam.
Perij,ſum ſolus in uia,& nox appetit:
O CHRISTE,*nunc me reſpice.*

Ad Margaretam à Francia Nauarræ reginam. CAR. VI.

Ergo ita Dijs uiſum eſt,ut ſim,dum uixero,tecum,
Regina,& uates te tuus uſq; ſequar.
Tu ſolamen eris ſtudiorum,ò diua,meorum,
Tu mihi Mecœnas,tu mihi uterq; parens.
Tu mihi non fictæ fungêris munere Muſæ,
Frigeat ut præ me,qui canit arma uirûm.
Extollam & dominũ pſalmis,& carmine:quale eſt
Quod canit Hebræa regia Muſa lyra.

Quòd ſi me opprimere inſtiterit fortuna nouercans,
Potio quantumuis hæc ſit amara, bibam.
Hac ego ſpe fretus meipſum conſolor: ut albus
Cantat olor, mortis nuncius ipſe ſuæ:

Ad Deum patrem. CAR. VII.

Si tua mortaleis odit natura ſuperbos,
Adflictos reficit, ſupplicibusq; fauet,
Huc pater, huc oculos flecte, & me reſpice uinctum:
Quid dicam, quid agam, perpetiarq;, uide.
Mures ecce mihi arroſere, pedesq;, manusq;,
Hîc, ubi ſunt, qui non antè fuiſſe uelint.
Hac mihi per ſomnum te nocte uidere uidebar,
Soluentem è pedibus uincula dura meis.
Tu potes efficere, ut non ſint mea ſomnia uana:
Effice, per CHRISTI *flagra, necemq; tui.*

Ad Regem FRANCISCVM.
CAR. VIII.

Squallidus in tenebris uitam uinctusq; trahebam:
Atq; odio longi carceris, æger eram.
Et gemitu, & lachrymis, moribundum corpus alebã.
Nunc lucem auerſans, nunc perijſſe uolens:
Cùm mihi ſe una nouem læto obtulit ore ſororum:
Deſine, nulla tibi cauſa doloris, ait.
Rex tuus ecce tuam ſortem miſeratus iniquam
Vt libertati reſtituare, iubet.
His abijt dictis. & mox mihi uincla leuantur:
Quoq; uelim, cuſtos mitior ire ſinit.

Quò

Quò fugiam? niſi rectà ad te, rex optime, cuius
Tam certam in dubijs ſentio rebus opem?
Set quid ſum, aut poßũ? quid te dignũ, optime prin-
Ingenij ſterilis proferet huius ager? (ceps,
O me ridiculum, ſi grates dicere dignas
Aggrediar, quod nec poſſe Marona putem.
Quid faciam? ſileam, maneamq; ingratus oportet,
Nulla à quo dici gratia grata poteſt.
Sis fælix FRANCISCE diu cum coniuge ſancta:
Vosq; ſuum CHRISTI dextera ſeruet opus.

De eodem. CAR. IX.

Si qua ſuum fert gens oculis hoc tempore regem,
Patriæq; patrem appellitat,
Tu, Franciſce, ille es, tu deliciæ atq; uoluptas
Superis es, & mortalibus.

Ad eundem Regem. CAR. X.

Ceruus, ubi euaſit laqueos in cornua ſurgens,
Inſidiasq; hominum luſit, & ora canum,
Victor tuta petit loca, amore quietis, & illic
In medio optatis fonte potitur aquis:
Sic ego, ſic, ò rex, ò clementißime regum,
Effugi auxilio uincula dura tuo.
Inſontem quamuis, me in carcere liuor habebat:
Iamq; neci dandus, more nocentis, eram.
Sicut ouis quondam cultro iugulanda, uel agnus,
Aut uitula ad ſacros hoſtia rapta focos.
At nunc ò princeps, uinclis elapſus ab illis
Gaudeo, ſubq; tuo numine, tutus ago.

Vt quondam inſidijs puerorum erepta columba,
Aut paſſer ruptis exiliens laqueis,
Et quamuis nequeam tanto te uertice digna
Carmina, compono qualiacunq; tamen.
Nec uitio (ut ſpero) Muſæ uertetur agreſti,
Si faciat, quod pro uiribus illa poteſt.

Ad Rubellam puellam. CAR. XI.

Laudarunt alij ſuas amicas,
Cantaruntq; ſuos poëtæ amores.
Tu per te ſatis es, Rubella, clara,
Es, uel ſi mea Muſa iam ſileret.

Thomæ Gadagnio uiro ornatiſs. CAR. XII.

Peſtilitas magna ſi quando ſæuit in urbe,
Quò fugient tanto corpora tacta malo?
Quò fugient? at certè aliò portentur oportet:
Ne ſimul & reliquos opprimat atra lues.
Tu, pie Gadagni, communeis natus ad uſus,
Ingentem ædificas egregiamq; domum:
Quò migrent, ubi curentur, qui peſte laborant:
Vidi ego, quà Rhodanum pigrior intrat Arar.
Perge uir, imò heros: quiſquis reclamet, & obſtet:
Perge, inſta, ut ſanctum perficiatur opus.

Ad Deum patrem. CAR. XIII.

Poëtarum miſerrimus,
Et omnium pauperrimus,
Diu fui: ſet tu Deus,
Deus Deorum maximus,

Et optimus, iuges tui
Preces audiſti ſeruuli:
Meumq; ſquallorem nouo
Repentinoq; gaudio
Tua abſtulit benignitas,
Measq; terſit lachrymas.
O, quas tibi grates agam
Dignas, pater? ſet tu meam
Mentem uides: ſcis quid uelim,
Scis nuper unde euaſerim,
Nihil ſum te ſine: ergo me
Tuum ſerua, tuum rege:
Tandemq; dic, huc Borboni,
Sat multa paſſus, huc ueni.

Ad R.D. Georgium, Rutenorum pontificem. CAR. XIIII.

Quod timeam, nihil eſt: exhauſtus carcere longo
Sim licet, & quauis pallidior ſtatua.
Nam, duce te, inuidiæ ſtimulos linguamq; malignam
Effugiam, & uertam ſponte, libensq; ſolum.
Reſpice me tantùm, ò clara ſate ſtirpe, Georgi:
O ſummi artificis nobile, præſul, opus.
Traijcienda mihi ſupereſt maris unda Britanni:
Huc ades, & ſpirans aura ſecunda, faue.

In ſeipſum, ad Henricum Cneuetum Anglum.

CAR. XV.

Qui tam multa tuli uſq; adhuc, & ecce

Qui tam multa fero, & feram libenter,
Renaſcentium amore litterarum,
Non laſſeſco: quis hoc Deus miniſtrat
Robur? quis mihi ſufficit miſello
Hunc inuictum animum? rogas? ab illo
Hoc ſum muneris adſecutus, omnis
Et qui fons boni, & ipſa ueritas eſt.

De nimia uerſificatorum noſtri temporis multitudine. CAR. XVI.

Nemo hodie uerſus temerè non ſcribit, & audet
Tractare illota Muſica ſacra manu.
Tam multos paſſim effutire poëmata cruda,
Et uideas fœtus præcipitare rudeis.
Talia Phœbeas lauros tetigiſſe nefas eſt
Ingenia, ad ſtiuam quæ magis apta forent.

Ad Gallum puerum. CAR. XVII.

Seu citharam pulſas, ſeu dulcia flatibus imples
Organa, ſeu tenero fundis ab ore melos:
Orphea tum uideor mihi, Galle, ferasq; uidere
Adſtanteis, ſiſti flumina, ſaxa ſequi.

D. Franciſcæ Fuxææ, Caſtri Briantij dominæ, heroidis incomparabilis tumulus. CAR. XVIII.

Viator, hoc ſaxum uide, ſta paululum.
Franciſca Fuxæa hic iacet: qua non fuit,
Dum uixit, altera melior, nec pulchrior,
In Gallijs mulier, nec relligioſior:

Vt cui Deus(ſi cuiquam alij unquam heroidum)
Naturaq́;,omneis prolixè,& larga manu,
Animiq́; dotes corporiſq́; indulxerāt.
Oſſa hic quidem cubant:at fœlix animula
Nunc cum ſuis maioribus,cumq́; inclyto
Heroē fratre Lautreco,fruitur Dei
Præſentia,æterniſq́; delicijs.Vale
Viator,multùm amice oculis debes tuis.

D.Henrico Lautreco Fuxæo hero. CAR. XIX.

Dum uis ingenij,corpuſq́; laboribus aptum:
Integer eſt æui dum mihi ſanguis adhuc,
Vtere me:ſpero,Lautrece,fateberis olim
Me talem notum ſerò fuiſſe tibi.
Atq; oneri ne ſim,ſet honori,Muſa cauebit:
Quæ per me in cœlum teq́;,tuoſq́; feret.

Carolo Stephano,& Michaëli Vaſcoſano, amicis neutiquam uulgarib. CAR. XX.

Quàm uos amem,quanti faciam uos,exprimi
Oratione non poteſt.
In te pudorem,& inſignem modeſtiam,&
Præclari acumen ingeni
Exoſculor,mi Carole,præter gratiam
Linguæ tuæ,& facundiam.
In te tuam,mi Vaſcoſane,maximam in
Amicitia conſtantiam,
Veneror:fidemq́;,& litteras.Videte uos
Ambo,ut me ametis mutuò.

In ſcortum quoddam iam uietum, ode Sapphica,

CAR. XXI.

O luparum grex Veneri dicate,
Quem tegit fornix, ades, & quod uſq;
Rideas, audi quid agat tuarum
Vna ſororum.

Ecce ſcortillum uetus, & priapis
Omnibus notum, furit: & repellit
Pauperes à ſe: recipitq; ſolum
Diuitis inguen.

Dum Iouem uultu poterat decoro,
Et genis diuos roſeis mouere,
Nulla tunc illi fuit arrigentum
Mentula uilis.

Tum rubens penis, ualidiq; lumbi,
Tum preces illam iuuenum mouebant
Supplicum: nunc, ut futuat, talenta
Grandia poſcit.

Nunc petit ueſtes, petit uniones,
Annulos, quid non? licet ulceroſus
Sit lupæ cunnus, facieſq; multis
Aſpera rugis.

Errat, infelix anus, & ueterno
Plena delirans olido: quis unquam
(Qui ſapit) uuluam ueterem recenti
Carius emit?

Clau-

Claudio Athenodôro medico & amico ſin gulari. CAR. XXII.

Athenodôre Claudi, amicorum optime,
Valere me cupis? tu fac ipſe ualeas.
Curas cor urenteis pone, & frequentius
Veni huc: bibemus largiter, & ridebimus.

In fronte cuiuſdam commentationis Theologicæ, à Florentio amico editæ, ad lectorē.

CAR. XXIII.

En (lector) en libellulum
Habes, habes opuſculum
Sacrum, Florentius meus
Vel, uerius, noſter calens
Diuino amore, & percitus,
Hoc dat tibi munuſculum.

Ad Iul. Cæſarem Scaligerum poētam. CAR. XXIIII.

Barbariem ſubigis Cæſar, non ſanguine fuſo,
Non ſtrage, non incendijs,
Vt quondam ille latro Gallorum regna ſubegit,
Gentemq; uinci neſciam.
Tu lingua, calamoq; potens, ſic conficis illud
Monſtrum, ut tibi iam det manus.

De nouem Muſis, ex Theogonia Heſiodi uerſus.

Ἐννέα θυγατέρες μεγάλου Διὸς ἐκγεγαυῖαι,
Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνιά τ', Οὐρανίη τε

καλλιόπηθ', ἡ δὴ προφερεστάτη ἐστὶν ἁπασέων.

Quos ita uertere auſi ſumus, penè uerbum uerbo reddentes. CAR. XXV.

Ter tres ſunt Muſæ, quæ magno ſunt Ioue natæ:
Clioq́;, Euterpeq́;, Thaliaq́;, Melpomeneq́;,
Terpſichoreq́;, Eratoq́;, Polymniaq́;, Vranieq́;,
Calliopeq́;: hæc autem alias longè anteit omneis.

Carolo Mariliaco. CAR. XXVI.

Falſum eſſe nunc demum experior, quod dictitant
Quidam imperiti rerum: non poſſe fieri,
Vt alterum quis amet, quem nunquàm uiderit.
Ego faciem uidi tuam nunquàm: & tamen
Amo te, mi Carole, amo te, ut qui ardentiſſimè.

Sebaſt. Gryphio typographo. CAR. XXVII.

Sunt hodie multi, & (ſuperis ſit gratia) docti
In Gallia typographi:
At meritò in tanta palmam ſibi uindicat arte
Sebaſtianus Gryphius.
Quippe fides cuius, pietas, ſolertia, uiuit
Vbiq; clara gentium.

D. Henrico Lautreco hero. CAR. XXVIII.

Quæ grauis argento tumuit mihi nuper, & auro,
Nunc pluma leuior facta crumena mea eſt.
Et niſi eam retines clauis, fixamq́; moraris,
Euolat, & uenti præda ferentis abit.

Ad Franc. Pucrium. CAR. XXIX.

Errabunda Venus puerum dum quærit amorem,
Ipſe ſub obſcura rupe latebat amor.

Feſſa

Feſſa,quieſcendi cauſa,Dea uenit in antrum:
Nam calor æſtiuo ſub Cane magnus erat.
Hîc procumbit humi,præſentis neſcia nati,
Candidaq; in uiridi gramine membra locat.
At limis puer obſeruans,ut capta ſopore
Senſit Acidaliæ lumina matris,adit.
In gremiumq; Deæ furtim eſt illapſus:at illa
E' ſomno excuſſa eſt: exiluitq; metu.
At puer attonitam ut uidit,Parce optima mater,
Si,dum te quæro,me quoq; quæris,ait.
Facta Venus mitis,proficiſcere,& ocyus illum
Quære mihi,pereo cuius amore,uirum.
Tu non antè dabis collo mihi brachia circum,
Nec tua coniunges antè labella meis:
Quàm iuuenem inuentũ huc ad me perduxeris illum,
Illum,quem hiſce oculis cogor amare magis.
Pucrius eſt olli nomen,quod ferre poëtæ
Laudibus in cœlum conſtituêre duo:
Et facient:Veneris præſens quia numen utriq; eſt:
Nam quid Macrino Borbonioq; negem?
Dixerat.ille celer liquidum ſecat aëra pennis,
Nomineq; ô Pucri te generoſe uocat.
Ergo ades,& puero Veneris mandata ferenti
Fronte hilari(ut debes)obuius ire para.
Quid dubitas?En, ecce Deus:pugnabis Amori?
Pugnabis Veneri?ſet capiêre tamen.
Captus es,& capto iandudum uincla parantur:
Obluctaris adhuc?ô homo,cede Deo.

Cede Deo, cuius uim nullus ferre gigantum,
Ferre Deûm nullus ſemideum'ue poteſt.
Cumq́; in conſpectum matris te duxerit, aude
Te præbere Deæ: ſe dedit illa tibi.
Ne timeas, aderunt comites tibi, ſuada medulla,
Et Muſæ, & triplici nomine grata Charis.
Iamq́; uale, Pueri, & poſtquàm perueneris illuc,
Fac ſis Macrini, Borboniiq́; memor.
Dum tibi ſudantes tali te digna patrono
Cudimus, & canimus te, Veneremq́; tuam.
I, ſequere hunc, qui te quæſitum uenit, Amorem:
I, felix dominæ præda futura tuæ.
Illius in gremio ludens abolebis Adonim:
Atq; alios, quotquot fertur amaſſe Venus.

De Virgilio, cæteriſq; poëtis Latinis, ad Merlinum Sangelaſium.

CAR. XXX.

Lucretium, Catullumq́;, & Propertium,
Tibullum, Horatiumq́;, amo:
Naſonem amo unicè, multosq; alios amo
Vates Latinos, ac lego
Sæpe, & libenter. Virgilium autem ſic amo,
Venerorq́;, ut æquè neminem.

Honorato Veratio Arelaten. iuueni utriuſq; linguæ ſtudioſo.

CAR. XXXI.

Quos mihi ſcripſiſti, iuuenis doctiſsime, uerſus
Et legi, & dixi cultius eſſe nihil.

Perge

Perge tamen, donec matura ætate, poëtis
Temporis in primis adnumerêre tui.

Ad eundem. CAR. XXXII.

Latinas litteras ſimul & Græcanicas
Amplecteris feliciter:
Facundiæq; utriq; addis modeſtiam,
Moresq; honeſtos: ſic ſapis.

Lucæ Copo Iureconſ. & Claudio Athenodoro medico, uiris candidiſs, & officij plenis. CAR. XXXIII.

Veſtris ego utriuſq; conſilijs libens
Vtor, quòd inueniam ſalubrius nihil
Prudentia ueſtra, quæ omnem ſuperat fidem:
Quòd deniq; intimos amicos uos mihi
Cœleſtibus uinclis Deus *coniunxerit.*
Mihi (inquam) & indigno patronis talibus.

In impios καὶ ἀθέους. CAR. XXXIIII.

Qui dicunt in corde ſuo, Non eſt Deus *uſquam:*
Lurida iam calcant limina, Pluto, tua.
Taleis iandudum Stygius canis, ore trifauci,
Et Furiæ expectant, & uocat Orcus hians.
O' homo, quur non te potius genitricis in aluo
Mors rapuit, talem quàm ſupereſſe ſinit?
Omni ſpe uacuus moreris miſer! ò miſer, ò quàm
Spiritus ex tali corpore triſtis abit.

De Dampetro & Macrino poëtis. CAR. XXXV.

Si quis temporis huius eſt poëta,

Cuius poſteritas perire nomen
Nulla unquam ſinet: is canorus ille eſt
Dampetrus, niſi fallor, aut Macrinus.

In picturam Hanſi regij apud Britannos pictoris & amici.

CAR. XXXVI.

Sopitum in tabula puerum meus Hanſus eburna
Pinxerat, & ſpecie qua requieſcit amor:
Vt uidi, obſtupui, Chærintumq́; eſſe putaui,
Quo mihi res non eſt pectore chara magis.
Acceſſi propius, mox ſæuis ignibus arſi:
Oſculaq́; ut cœpi figere, nemo fui.

E' Græco ἀδέσποτον. CAR. XXXVII.

Hæc duo ſcire, ſat eſt: Gaudere, & uiuere rectè:
Cætera ſunt Nugæ, ſomnia, uerba, nihil.

Ad Iacobum Oliuarium Cancellarium Alenc.

CAR. XXXVIII.

Tuæ iſtius fulgore magnitudinis
Conterritus, uix hiſcere
Apud te auſim, qui nobilium huius ſeculi es,
Et litterarum, ingens decus.
Quare, oro, da ueniam, ſi relligio eſt mihi
Adire te tantum uirum.
Vale, & Muſis apud Reginam heram meis
Faue, & qua gratia uales,
Studijs meis quietem, & otium, impetra:
Velis id oro, quod potes.

Ad

Ad D. Henricum Lautrecum Fuxæum, herum meum, cùm ei libellum quendam obtuliſſem.

dono. CAR. XXXIX.

Ὦ κλυτὲ παῖ, βίβλον τήνδ' οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ αὐτὴν
Δέχνυσο τήνδε τεοῦ Βορβονίου κραδίαν.

Ad eundem. CAR. XL.

Forma, genus, uirtus, res ampla, hæc quatuor in te
Sunt puero: & pergis creſcere: quantus eris?

Ad eundem. CAR. XLI.

Funebre carmen, quod meditor, in memoriam
Patris tui Odethi, olim magnanimi ducis,
Simul atq; perpoliero, ad te mittam, mi here,
Henrice, præſidium meum, & meum decus.

Ad Simonem Gryneum Baſilien.

CAR. XLII.

Quid Simon Grynee tibi doctiſſime ſcribam?
Niſi quòd te amo in dies magis?
Nam qui te talem norit, nec amauerit, illi
Ferro rigent præcordia.

Θρῆνος. CAR. XLIII.

Deus, Deus, finis quando hic bellorum erit?
Noſtras diu iam obſurduiſti ad preces?

Io. Vulteio Remenſi. CAR. XLIIII.

Qui malè uult nobis, uult nos committere, Vultei:
Diſſidij inter nos uirus ubiq; ſerens.
At ſceleratum hominem ſtabili fallamus amore:
Ille poteſt falli non meliore dolo.

In Laudem Salmonij Macrini poëtæ, & Gelonidis eius uxoris, ode Sapph. CAR. XLV.

Muſa, dic nobis lyricum poëtam,
Quò nihil multis fuit hinc ab annis
Doctius, quo nil generoſa maius
Gallia uidit.
Phœbe doctarum caput ò ſororum,
O' caballini pater alme fontis,
Dum tuum uatem celebro Macrinum,
Me'ne relinques?
Nec uiri tanti modò, ſet pudicæ
Coniugis laudes etiam canentur:
Ipſa ſit quamuis modulis mariti
Clara Gelonis.
Nam libris totus fruitur Macrini
Editis mundus, uolitant tot odæ,
Tot ſimul molles elegi, per ora
Docta uirorum.
Quæ tuam tellus Orientis horret
Lampadem Titan, ſet & Occidentem
Quæ tegit ponto, melici poëtæ
Nomen adorat.
Accolæ Rheni cupiunt uidere
Vatis os huius, cupiunt Iberi,
Quosq; Mæotis populos paluſtris
Irrigat unda.
Nulla tam cœli regio ſub axe

Diſtat

Diſtat à ſacris Helicônis umbris,
Galliam quæ non uocitet beatam
Vate Macrino.
Si qua Dircæum ſuper aſtra cygnum
Laus uehit, ſi quid numeris Horati
Gloriæ, ſi quid Latium Catullo
Nobile debet:
Noſter hic certè meritis, uel æquat,
Vel poteſt longè ſuperare: quòd ſi
Obſtrepet quiſquam, dolor acris illi
Ilia rumpet.
Pictonum fœlix plaga, ter quaterq́;,
Oppidum fœlix nimium (quod olim
Iulius Cæſar coluit, ſuoq́;
Nomine dixit)
Quod tuos ortus ſibi gratulatur,
Magne Salmôni, quod alit Gelonin,
Et tuo iunctam lateri, tenaci
Fœdere nectit.
Hæc domi nunquàm ſedet otioſa,
Set ſubit curas patienter omneis:
Et ſtudet ſancto ſimileis parenti
Reddere natos.
In Deum mira pietate flagrat,
Gaudet & Muſis, aliquodq́; ſæpe
A' uiro factum recitat canoro
Gutture carmen.
Gratiam formæ taceo: quis unquam

Te,decus noſtri muliebre ſecli,
Dixerit dignè,niſi corda cuius
Delius inflat?
Is tuus coniunx erit,is tuarum
Dotium famam faciet celebrem
Poſteris,& quæ fueris,tacebunt
Tempora nulla.
Lælias doctas memorent,crepentq;
Portias caſtas alij:Gelonis
Candidos poſthac imitetur omnis
Fœmina mores.
Nemini cuiquam dubitare fas ſit,
Illa quin uiuat,bonus ipſe qualem
Prædicat coniunx:ego teſtor eſſe
Sydera talem.
Dij diu par hoc ſupereſſe faxint
Coniugum:uiuant ſimul ut columbæ,
Gaudeant ambo,Pylijq; uincant
Secula Regis.
Hanc Hyantæi uenerandus antri
Fortè dictabat mihi cœtus oden:
Dum reconcinno chelyn,& recenteis
Torqueo neruos.
Plura iandudum pudor utriuſq;
Ne loquar de ſe,uetat.ergo lector,
Crede me iuſſum tacuiſſe multa
Digna relatu.

De Gelonide Macrini. CAR. XLVI.

Lesbia, ſcortillum, uerſu laudata Catulli,
Aeternum adepta nomen eſt.
Quid mirum eſt igitur, ſi fœmina ſancta Gelonis
Verſu Macrini ſit Dea?

De Fauſto Andrelino, Baptiſtaq; Mantuano, & Petro Roſeto poëtis, ad Ant. Perardum Rucianum.

CAR. XLVII.

Fuêre patris memoria mei duo
Celebres poëtæ: Fauſtus apud Lutetiam,
Apud Italos Baptiſta: & me puero fuit
In Gallia pridem Roſetus nomine.
Ii tres fuêre: nec ſunt iam: periere enim
Labore quæ multo poëmata ſcripſerant:
Quòd ſcabra adhuc, & inconcinna, ſeculi
Quandam ſui barbariem olerent Gotthicam.
Nos, quid futuri ſimus, ipſa uiderit
Rerum omnium poſteritas acris arbitra.

De ueneranda Senatus atq; magiſtratuum dignitate, ad D. Petrum Liſetū, in auguſtiſs. Lutetiæ Senatu præſidem primarium, uirū integerrimum. CAR. XLVIII.

Sancta magiſtratus res eſt, res ſancta Senatus:
Res iure nulla ſanctior:
Et, qui iudiciā exercent, qui legibus æquis
Magnas regunt prouincias,

Qui

Qui res maturè expediunt, plectuntq́; nocenteis,
Bonos prohibent iniuria,
Ii quoq; ſunt ſancti: ij patres, populiq; columnæ
Vocantur, & regum manus.
Talibus ipſe Deus uult nos parêre, & honorem
Deferre, miniſtris ut ſuis.

In doloſos καὶ κόλακας, ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ fere. CAR. XLIX.

Quiſquis amicitiam mentitur, maxima peſtis
Eſt hominum, & nunquàm res metuenda ſatis.
Non ſecus ac noſtri ſtudioſum amplectimur hoſtem:
Vnde fit, incautos lædat ut ille magis.

Item aliud ἐκ τοῦ Παλλαδᾶ ferè. CAR. L.

Non tam illum metuo, quicunq; minatur ut hoſtis,
Quàm, qui me ficto blandus honore colit.
Nam mihi perfacile eſt, illum cauiſſe minantem:
At, qui illum caueam, qui mihi dicit, amo?
Quare ego non ullam grauiorem cenſeo peſtem,
Quàm cùm quis lingua, corde quod odit, amat.

Mauricio Scæuæ Lugdun. CAR. LI.

Quæ ſcribis, eſſe lectu quàm digniſſima
Fatemur omnes omnia:
Fatemur, & ſcimus, nos, qui probè ingeni
Lumen tui perſpeximus.
Qur ergo fœtus exire tuos non ſinis?
Tantumq́; nobis inuides
Theſaurum? at addictus Deo, plauſum fugis,
Vanamq́; gloriam: ſapis.

Vandopera, natale poëtæ Borbonij ſolum. CAR. LII.

Si quis Lingonica migrarit ab urbe uiator,
Claram petens Lutetiam,
Antè Trecaßinos oculis quàm cernere poßit
Agros, amnemq́; Sequanam,
Vandoperam inueniet, caſtellum nobile Nugis
Natalibusq́; Borboni.

Ad D. Henricum Lautrecum Fuxæũ herum. CAR. LIII.

Os iſtud, Lautrece, tuum quicunq; tuetur,
Sanguine te claro iudicat eſſe ſatum.
Te monſtrant omnes digito: tibi fauſta precantur
Omnia: te laudant, ſemideumq́; uocant.
Ergo, ut cœpiſti, ad maiorum fortia facta
Nitere: quoq; uocant numina, perge ſequi.

D. Gulielmo Pogetio, in ſuprema Pariſiorũ curia præſidi. CAR. LIIII.

Quantum eloquentiæ ualuerint uiribus,
Priſca illa quondam totius orbis lumina,
Demoſthenes Athenis, Romæ Tullius,
Aetas loquetur omnis: at Pogetium
Nos Galli habemus hodie, qui facundia
Longè anteit Demoſthenemq́;, & Tullium.

In fronte epiſtolarum diui Pauli Νιϲίχον, ad lectorem. CAR. LV.

Felix es, quiſquis Paulina tonitrua, lector,
Audis, & memori pectore fixa tenes.

Ad Guliel. Scæuam Lugduneñ.

CAR. LVI.

Deſine me, Scæua, ad cœnam tam ſæpe uocare:
Δύσπεπτος στόμαχος καὶ κακός ἐστιν ἐμοί.
Rara tot adponis regali πέμματα *luxu,*
Βρώματα τῆς ἑλένης, καὶ Διὸς ἐγκεφάλους.
Spumeá καὶ σὸς ὁ παῖς *toties mihi pocula miſcet,*
Τῆς ἀφροδίτης γάλ. ϑι τὸ πάρεσι γάλα.
Hæc tibi conueniunt τῷ πλουσίῳ, εὖ τι τυχοῦντι,
Ἵππος γάρ σε φέρει, καὶ βασιλεύς σε τρέφει.
Ecce, uiden' ut adhuc tua cœna heſterna, καὶ οἴνου
Πλῆθος, ἀναγκάζει ταῦτα λαλεῖν με ἀκρίτως;
Quum ſim crudus, & (ut te ſcire arbitror) ἄυπνος.
Et planè exanguis, καὶ μονόγραμμος ἀνήρ,
Qur non me hortaris potius κώμων ἀπέχεσθαι;
Τῶν προιαφάντων σώματα τόσ᾽ ἀΐδης;

D. Henrico Lautreco hero. CAR. LVII.

Reginam, quæcunq; uelis, uelle omnia, certum eſt:
Et quæcunq; uolo, te quoq; uelle puto.
Quod uult illa, poteſt: tu ſcis fore quod uolo honeſtũ:
Illa igitur tu fac quod uolo perficiat.

Godefrido Beringio amico. CAR. LVIII.

Si uerum ingenuè licet fateri,
Qui non ingenio tuo, Beringi,
Delectatur, ei putamus eſſe
Ferrum in pectore, corneamq; fibram.

Ad Lyram, Ode Sapph. CAR. LIX.

Mentis ò feſſæ lyra recreatrix,

Dulce ſolamen, quoties edaces
Ingruunt curæ, ſubeunt & huius
Tædia uitæ.
Si tygres olim, ſimul & leones
Ad tuos iras poſuere cantus:
Si tua factus Nero *mitis unquam*
Voce quieuit:
Neruulis & nunc, agedum, recuſsis
Fac, ſub hac lauru uiridi ſonoris
Canticis ambo fera leniamus
Corda Rubellæ.
Inſtar iratæ furit hæc nouercæ:
Sæuit, ut iunix agitata ueſpis:
In caput noſtrum rabioſa diras
Inuocat omneis.
Facta ſi per te fuerit Rubella
Mitior, mox, ò lyra, te recenti
Lætus ornabo uiola, nouaq́;
Veſte nitebis.
Quin & Orpheæ *(mihi crede) nemo*
Conferendam te citharæ negarit:
Illius quamuis modulis retrorſum
Fluxerit Hebrus.

Alluſio ad illud diui Pauli, Spiritus ubi uult ſpirat, ad Anto. Ardillonē Fontis comitis cœnobiarcham. CAR. LX.

In locuplete domo, ſunt cara & uilia uaſa:
Cuncta tamen ueniunt uſibus apta ſuis.

Aurea

Aurea regaleis ornant & gemmea menſas:
Fictilis officio fungitur olla ſuo.
Olla ego ſum: crater puro tu purior auro:
Vna tamen noſtrum fecit utrunq; manus.
Nam Deus ex maſſa nos informauit eadem
Omneis: at non dos omnibus æqua datur.
Quos uult ipſe pater ſummus, ſuper æthera tollit:
Quos uult, Tartareos trudit ad uſq; rogos:
Nempe, ubi uult ſpirans: nihil eſt tamen æquius illo:
Imò, æqui fons eſt ipſe, & origo boni.

Ad Ioan. Cheradamum. CAR. LXI.

Qui tibi dixerunt, Charidemi nomine ficto
Carminibus famam me lacerare tuam,
Ii feciſſe fidem tibi ſi potuêre, quid ad me?
Credule? credulitas num tua, culpa mea eſt?

In quendam alienorum carminum ſuppilatorem, & corruptorem. CAR. LXII.

Quidam inſigniter impudens, & audax,
Linguarum rudis, ingeniq; craſſi,
Quum famæ ardeat impotenti amore,
Paßim carmina ſublegens, & auſu
Corrumpens aliena ſingulari,
Vendit (flagrio) pro ſuis, & edit.
Si pergit, canibus lauernionem
Obtrudam, lacerum meis iambis.
Aut certè miſerum hucagam furoris,
Vt ſe ſtrangulet, aut bibat uenenum.

Claudio

Claudio Boyſſonæo. CAR. LXIII.

Qui uir ſies,quo candore animi præditus,
Quàm non duplex,ſed integer,
Quàm liberalis in ſtudioſos artium
Bonarum,fama prædicat.
At fama mendax iſta non eſt,ut ſolet
Plerunq;,ſet malignior.
Nam te nimis parcè,nec pro meritis tuis,
Celebrat,Claudi uir optime.

Ad Paulum Antonium Gadagnium præclaræ indolis iuuenem.

CAR. LXIIII.

Quàm cupiam tecum dextram coniungere dextræ,
Quàm cupiam faciem,Paule,uidere tuam,
Dicere nec lingua,calamo nec ſcribere poßim:
Deniq;,nec te etiam credere poſſe putem.
Sic me uirtutum inflammauit fama tuarum,
Fama quidem paßim garrula,uera tamen.
Ergo ades,& tandem nobis te,Paule,uidendum
Indulge:aut me iſtuc(ſi lubet)ire iube.

Ad D.Henricum Lautrecum herum. CAR. LXV.

Hinc cùm migraſti nuper,mens omnibus ægra,
Atq; omnis ſolito triſtior aula fuit:
At nunc,te redeunte,omnes lætamur,& omnis
Gaudet delitias aula uidere ſuas.

Guliel. Bigotio uiro doctiſs. de nimia uerſificatorum huius temporis multitudine. CAR. LXVI.

Et docti, & indocti, poëmata ſcribimus
Hodie, & utriſq; eſt unus atq; idem ſcopus:
Sui uidelicet memoriam poſteris
Mandare: ſet falluntur indocti nimis:
Docti ſecus. Nam poſteritas, in morem apum,
Vtetur aptis, abſtinebit cæteris.

Ad Gillium Pomerarium nobiliſs. Aulicum. CAR. LXVII.

Communem dominamq;, heramq; noſtram,
Confido memorem mei futuram:
Set, qua te ſcio gratia ualere,
Vno me potis es beare uerbo.

In auaros. CAR. LXVIII.

Homo es, Menander ait, ut ſis miſer, hoc ſat eſt.
Nemo ergo homo eſt, quin ſit miſer: multi tamen
Miſeriores alijs: multi miſerrimi.
Cœlum nihil tegit homine auaro miſerius.

Franc. Piocheto, & Ioan. Rænerio. amicis. CAR. LXIX.

Non mage Lugdûnum eſt alio mihi nomine gratum,
Quàm quòd duos habet uiros
Egregios candore animi, & pietate, mihiq;
Amore coniunctiſſimos:
Alter Rænerius, Piochetus dicitur alter:
Ambos mihi ſeruet Deus.

In Marullam anum. CAR. LXX.

Si nil turpius eſt catulliente,
Hirciſſanteq; anu, Marulla, quur me
Sic urges? olidoq; lingis ore?
Luiuum procul, i procul cadauer.

Ad Nicolaum Beraldum Aurelium.
CAR. LXXI.

Laudauit Pylium poëta regem,
Illius quòd ab ore differentis,
Melle oratio dulcior fluebat.
At ſi ſecula priſca te tuliſſent,
Non una modò, Nicolaë, ut ille,
Lingua, ſet Latia Atticaq; promptum,
Maior Neſtore nunc, frequentiorq;,
Antiquis legereris in poëtis.
Quanquàm tu mihi clarior futurus,
Quàm quiſquam ueterum fuit, uideris?
Nam nemo eſt hodie poëta, quin te,
Summis laudibus, & tuos lepôres
In cœlum uehat: ecce te Macrinus
Quo deprædicat ore? quo'ue Eraſmus?
Et nos (ſi quid inops Camœna, & huius
Conatus ualet ingeni) Beraldum
Diuino eloquio uirum potentem,
Aetati quoq; poſteræ canemus.

Io. Glorierio, uiro forti. CAR. LXXII.

Oſtendit fortuna in te Dea quàm ſit iniqua,
Conata quæ te extinguere eſt,

Te,talem,tantumq́; uirum:at confide,uidebis
Illam breui mutarier.

In Fortunam. CAR. LXXIII.

Vt eſt mare inquietum,& æſtuarium,&
Modò huc,modò illuc ſemper fertur:ſic Dea eſt
Volubilis fortuna.ſi dignum eſt Deæ
Vocabulo monſtrum illud execrabile.

D.Iacobo Calliæ,& Aemaro à Bello ioco Lugdun. CAR. LXXIIII.

Riuales duo uos eandem amantes
Nympham,quî fieri poteſt,ut ambo
Sitis mutuo amore iunctiores,
Quàm ſi uno ex genitore mater una
Vos fratres peperiſſet,& gemellos?
In cauſa eſt bona nympha,quam ambo amatis:
Virtus eſt.ea ſe ipſa præbet ultro ijs
Quos nouit ſtudio flagrare pacis
Concordeis animos,Deoq́; plenos:
Et,qualeis decet eſſe Chriſtianos.

Ad CHRISTVM dominum.
CAR. LXXV.

Οὔτι μόρον ταρβῶ ὀλλύνημ πέρας ἔσχατον ὄντα,
Οὔτ' ἀΐδλω, σοῦ νῦ χισὶ παρόντος ἐμοῦ.

Iacobo Lodoico Remen. uiro doctiſs. CAR. LXXVI.

Bonarum ſi quis artium
Profeſſor eſt Lutetiæ,

Is es, Lodoice: cuius os,
Os aureum, nondum tamen
Mihi uidere contigit:
At (ſpero) continget breui.
Nempe, his Deus cùm me aulicis
Exoluerit moleſtijs.

Petro Caſtellano anagnoſtæ regio,
ἐπὶ ὁμοχωρίᾳ. CAR. LXXVII.

Si mihi Dij uellent letale infligere uulnus,
Quali Peliden interijſſe ferunt,
Te mihi, te eriperent, à quo iam ſcilicet uno
Expecto Muſis otia grata meis.

Ad eundem. CAR. LXXVIII.

Vt mihi te ſerues, communis patria mecum
Te rogat, & uideas multa cauenda tibi.
Nam Caſtellanum iuuenem ſic ſuſpicit aula,
Vt multi inuideant, inſidiasq; parent.

Ad omneis homines. CAR. LXXIX.

Ὦ βροτοὶ, ὦ θνητοὶ, βαδίζετε τὴν ὁδὸν ὀρθῶν,
Οὐ φιλέει ἀγαθὸς χέτλια τ᾽ ἔργα θεός.

Latinè. CAR. LXXX.

O' *homines, ò mortales, incedite rectè:*
Odit, qui bonus eſt, impia facta Deus.

Clem. Maroto, & Ioan. Sagoni.
CAR. LXXXI.

Parcite dentatis proſcindere nomina chartis
Veſtra, ò amici, parcite.

Qur calami rabie, & probris, fœdisq́; libellis
Laceratis alter alterum?
Parcite, rixarum ſatis eſt: coniungite dextras:
Redite tandem in gratiam.
Pulcher amat pacem Phœbus, doctæq́; ſorores:
CHRISTO *placet concordia.*

De ſeipſo. CAR. LXXXII.

Huius inauditos anni mea Muſa calores
Cantauit, quos me ferre neceſſe fuit:
Delphiniq́; obitum lugubri carmine fleuit,
Triſtiaq́; ereptæ funera nuper heræ.
At nunc ſæuit hyems, nec adhuc mihi contigit ullum
Nanciſci auxilij præſidijq́; locum.
Non plura Aeneas, non plura Ithacenſis Vlyſſes
Atq; ego, ſit quamuis clarus uterq;, tulit.
Illius errores Graius cantauit Homerus,
Huius item Latij gloria prima Maro.
Complureis iam annos uagor huc incertus & illuc,
Cum famulo infelix, cumq́; duobus equis.
Et mihi quos dederat regina Britannica numos,
Gallia nunc auida gaudet habere manu.
Pauper, & exhauſto ſum corpore, plurimus hoſtis
Vrget me indignis, perſequiturq́; modis.
Eſt hoſtis mihi qui CHRISTI *aduerſatur honori,*
Et falſas mundi ſuſpicit huius opes.
Terra gelu concreta horret, ſtagna atq; paludes,
Horrent marmoreo flumina dura ſolo.

Implicitos

Implicitos piſces glacies tenet:ipſe rigorem
Accelerans Boreas conduplicansq́;,furit.
Hoc ſi quis uideat macilentum corpus,& ægrum,
Ferre tot haud credet me potuiſſe mala.
Delitias uitæ nunquàm tamen huius amaui:
Sic ſum naturæ conditione meæ.
Heu quid agã? quò me, Deus optime maxime, uertã?
Tu nunc,tu uati conſule,Muſa,tuo.
Sum quondã ut rapta bis cõiuge, Thracius Orpheus,
Aut nido abſtractis fœtibus,inſtar auis:
Aut,ut qui extincta lachrymatur amator amica,
Quam iuueni iuuenem conciliarat Amor.
Hoc mihi fundenti lachrymabile carmen,ab alto
Cœlo,uox aures fertur ad uſq; meas:
Pone metum:Regina tui miſerebitũr,illa
Margaris,illa ſoror regia plena Deo.
Finiet illa tuos fletus,longosq́; labores,
Et reddet ſtudijs otia grata tuis.
Et faciet ne ſis immundo fabula mundo,
Vtq́; omnes dicant,ecce poëta redit.
Ecce redit noſter, noſter redit ecce poëta,
Alter ut à gelidis Naſo poëta Tomis.
Talibus ex alto auditis,confidere cœpi
Me fore,quod dixit Muſa,uel ipſe Deus.

D.Antonio cognomento à Leone,
ſenatori Pariſienſi. CAR. LXXXIII.

Mores bonos cum litteris

Bonis, quicunq; iunxerit,
Antoni, is admirabilem
Se præbet, ante cæteros.
Talem uidemus eſſe te,
Quo nemo litteratior,
Senatu in iſto maximo.
Nemo eſt eodem integrior.

Ad nobiliſs. heroa Hiler. Bellaium
Langium. CAR. LXXXIIII.

Si quis nobilium poteſt, amatq́;
Muſarum placidos fouere myſtas:
Si quis nobilium eruditus idem
Mauult & probus eſſe, quàm uideri:
Si quis nobilium ingeni ſtupendi
Pollet dexteritate ſingulari:
Si quis nobilium odit omne dictu ac
Factu turpe, flagratq́; amore honeſti:
Si quis nobilium ore gratioſo,
Et candore animi, elucratur omneis:
Si quis nobilium bonis amandum
Dat ſeſe omnibus, & malis uerendum:
Si quis nobilium eſt potens, honeſtè
Partis diuitijs, honoribusq́;:
Si quis nobilium dat, & libenter,
Et multum, accipiens nihil, niſi ægrè:
O heros, is es, ecce, te Minerua,
Et Pithò, & Charites, nouemq́; doctæ
Oſtendunt digito mihi, ſorores:

Te

Te oſtendit mihi & ipſe pulcher unà
Phœbus,meq́; iubent adire limen
Iam nunc inde tuum,& tuo fauore
Vti:ergo accipe me,ut tuumq́; ſerua
Tutum,numine ſub tuo,poëtam.

Otium conuenire Muſis,ad Ioan. Duperatium Lugdun.ſuppræfectum. CAR. LXXXV.

Otia amant Muſæ,ac pacem:tu publica curas
Munera,iusq́; ſtudes reddere cuiq́; ſuum.
Et tamen in medio ſtrepitu,turbaq́; forenſi,
Carmina uel ſummo digna Marone facis.

Poëtæ ad lectorem. CAR. LXXXVI.

Μωρὸς μωρὰ λέγει. οὗτος λόγος ἐστὶ παλαιὸς,
Πολλάκις ἀλλὰ μάλα καίρια μωρὸς ἔφα.
Αἴρκιο τοὺς λήρους, οὓς ἐγγράφω, ὦ σὺ χολαστὰ,
Μᾶλλον δ' ἐς κόρακας ῥίπτε, καὶ εὗδε βαθύ.

Idem Latinè utcunq;. CAR. LXXXVII.

Hoc dictum uetus eſt:ſtulta eſt oratio ſtulti:
At conſtat ſtultum ſeria ſæpe loqui.
Cui uacat,hæc lege tu,cui ſcribo,aut proijce coruis:
Securusq́; alto membra ſopore foue.

Ad quendam. CAR. LXXXVIII.

Cubiculo clauſus,quid agam totos dies,
Longasq́; noctes:quur rarò,aut nunquàm exeam,
Quur palleam,quur me ſtudijs ſic macerem,
Miraris: at mirari ut deſinas,ſcias.

Multa eſſe perferenda, multa deniq;
Vitanda ei, qui nomen æternum cupit.
Amore poſteritatis fugio inertium
Quicquid uoluptatum eſt, & abſtineo libens.
Amor hic honeſtus eſt, & qui decet uiros.
Amore quo qui non tenetur, bellua eſt.

Ad Franciſcum Tuanū Pariſieñ. D. Lautreci à ſecretis, Calendarum Ianuariarum die, anno 1538.

CAR. LXXXIX.

Imberbis iuuenis, multo pretioſior auro,
Virgineus tenero cui ſedet ore pudor:
Qui ſacra Muſarum ueneraris, amasq; poëtas,
Carmina qui cantas, ut moribundus olor:
Qui pulchris hominum mentes accendis ocellis:
Qui niueum niueo pectore uincis ebur.
Viuere Dij tibi dent multos feliciter annos,
Et primam Iani ſæpe uidere diem.

De ſeipſo, ad Hugonem Thomaſsinum Rhetorem. CAR. XC.

Cauebo iniuria quenquam laceſſere:
Diſcordiam odi, pacem amo.
Set ſi quis improbus laceſſierit prior,
Vindex mihi eſt præſtò ſtylus.

Godefrido Beringio, Antonioq; Perardo, & Paulo Galtero amicis iunctiſsimis. CAR. XCI.

Vos quum tres ſitis, tres unum ut ſitis oportet:
Qui ſic in uobis mens tribus una latet.

Ad eoſdem. CAR. XCII.

Treis uos amicos tres Deæ
Iunxêre pridem Gratiæ.
At oro uos, per treis Deas
Iunxêre quæ uos, Gratias:
Ad ueſtrum ut iſtum amabilem
Poſtremus accedam chorum.

In fronte Noui Teſtamenti, ad lectorem. CAR. XCIII.

Qui ſemper optas uiuere,
Nunquam mori, hunc librum lege, & Ediſce ſeduló, & uide
Quó ſermo uiuus te uocet,
Fons ille uitæ, & unicus
Salutis autor. at caue
Illos imiteris, qui Deum
Verbis crepant, factis negant.

Ad Ger. Ruſſellum Oleronen. præſulem. CAR. XCIIII.

Si quis apud populum diuino fulminat ore,
Et certam impauidus monſtrat ad aſtra uiam:
Si quis uerum hodie profitetur liberé, & audet:
Proferre in lucem quæ latuêre diu:
Si quis præſidijs linguarum armatus, & alto
Eloquio præſtans ignea uerba uomit:
Si quis idem ſentit, loquiturq;: & ſi quis abhorret
A' uitijs, CHRISTI ſi quis amore calet:

Si

Si commiſſa ſibi quis paſtor ouilia ſeruat
Peruigil, & tutum curat, alitq́; gregem:
Si quis in inſidias, Stygijq́; ſatellitis artes
Latrat, & erronum ſomnia ſpirituum:
Aut nemo, aut Ruſſellus is eſt: quem poſtera talem
Secula laudabunt, & ſupereſſe uolent.

In mulieres, ad Chriſtophorum, Richerium poëtam. CAR. XCV.

Ignauum mulier pecus, uirorum
Inſumit ſibi turpiter labores.

εἰς τὰς αὐτὰς, ad eundem.
CAR. XCVI.

Quicquid cura poteſt cumulare, laborq́; uirilis:
Inſumit mulier, uaſta uorago, ſibi.

In eaſdem, ad eundem. CAR. XCVII.

Ignauius nihil eſt mulieris podice:
Et (ſi ſapis) quod ames minus.

Ad Iac. Alnetum Vindocinen. poëtam & medicum, αὐτοσχέδιον ἐπισέλιον.
CAR. XCVIII.

Morte tua audita, uates clariſſime, cœpi
In fata, inq́; ipſos dicere multa Deos.
Mœrori indulgens, noctesq́;, diesq́; iacebam,
Et fugitans cœli lumina, ſolus eram.
Poſt longas lachrymas, ornare epigrammate ſaxum
Officij duxi protinus eſſe mei.
Quo facto, ecce nouus patrijs mihi rumor ab oris
Attulit Alnetum conualuiſſe meum.

Scilicet, & ſeipſum ſeruaſſe, inſtante periclo:
Vt Phœbea alios præditus arte ſolet.
Salue igitur rediuiue, immortaliſq́; poëta,
Meq́; ,ut amat fratrem frater amandus, ama.
Hoc meum epiſtolium qui fert, me ſcribere plura
Non ſinit, & uolucri iam pede carpit iter.

Ioan. Pithoo iuriſconſ. Trecenſi, eloquentiſs. uiro. CAR. XCIX.

Quæ ſub labellis ſeßitat Pithò tuis
Nomen tibi iſtud indidit:
Lepôris eſt domina illa, & flexanima Dea,
Cui docta Pallas it comes:
Quàm Gratiæ comitantur, & decens Venus,
Et candidi Cupidines:
Quam muſæ amant, ſororemq́; ſuam appellitant:
Felix es iſthoc nomine.

Ioan. Ligæo. CAR. C.

Carmen tuum legi: nihil uenuſtius,
Ligæe, ſuauius nihil,
Iucundius nihil unquam legiſſe memini:
Quare, oro, perge, quod facis,
Ornare communem patriam: quæ tandiu
Ignara Muſarum fuit.

D. Henrico Lautreco hero. CAR. CI.

Poſtquàm te talem Muſis ſum nactus in aula
Lautrece, patronum meis,
Quis mihi præripiet lauros, inſigne poëtæ?
Quis congredi mecum audeat?

In

In quendam iudicem. CAR. CII.

Πάντα ἀεὶ λήγης ὢν ἀδικεῖς, δωρητὲ δικαστά.
Ἀλλὰ θεοῦ θυγάτηρ παρθένος ἐστὶ δίκη.

In eundem. CAR. CIII.

Si iurâ te talem ſtatuêre iudicem,
Ius ſumma ſummum iniuria eſt.

In fronte libri Clementis Marotî, ad lectorem. CAR. CIIII.

Sæpe quod inſperſis mendis fœdauerat auſus
Quorundam,ut ſunt hæc candida ſecla parum,
En tibi nunc,lector,patria fornace recoctum,
Spectandumq́; nouo lumine, prodit opus.
Hic nihil eſt,quod non ſic elimauerit autor,
Vt metuat Momi iudicis ora nihil.

Noreſio amico. CAR. CV.

Dulce mihi cuius uerſatur nomen in ore,
Cuius amo ingenium,lumina cuius amo:
Lumina,quæ Phrygio pôcillatore relicto,
Ardentem poßint detinuiſſe Iouem.
Cuius amo niueum pectus,moresq́; pudicos,
Cuius amo Muſam,carmina cuius amo.
Carmina,quæ poßint (uel Phœbo iudice) dici
Digna cedro,& quæ non deleat ulla dies.
Noreſi,mellite puer,mellite poëta,
Quid ſolus ruri?men' ſine ſolus agis?
Me ſine,quid dixi?ab non me ſine:nanq; mei pars
Eſt tecum:careo ſic ego parte mei.

Parca

Parce,puer,partemq́; mei mihi redde:nec ultrà
Te ſine,Borbonium uiuere poſſe puta.

Ad Ioannam Coſſeiam clariſs. Nympham. CAR. CVI.

Coſſeia nympha nobilis,
Cuius mihi os uenuſtulum
Vidiſſe nondum contigit.
Set cuius eloquentiam,
Doctrinam & admirabilem,
Modeſtiam,& formæ decus,
Sic prædicat Salmonius,
Sic Paſcaſius meus canit,
Poëtæ maximi duo,
Viri duo integerrimi,
Mentiri & ipſi neſcij,
Sic te ſuo in cœlum ferunt,
Coſſeia Nympha,*carmine,*
Vt cogar ipſe incognitam
Laudare:& iſtum coniugem
Bintinum amabilem tuum,
Virum beatum dicere
Ter,& quater,uel amplius.
Beatum (inquam) ter,& quater:
Quare beatum? ſcilicet
Amore, & amplexu tuo,
Coſſeia Nympha nobilis.

Io. Vulteio Remenſi. CAR. CVII.

Vides, amice Vultei,quibus illi artibus

Nituntur impij homunculi conuellere
Noſtram neceßitudinem? ſet quo acrius
Inſtant, amemus inter nos flagrantius.

Ad ſeipſum, ode Sapph. CAR. CVIII.

Qur citis mœres abijſſe pennis,
Borboni, lætæ tibi uer iuuentæ?
Qur ſenectutis tibi ſors propinquæ
Dura uidetur?
Qur times letum uir adhuc? & æuo
Integro florens? ubi forte pectus
Illud eſt, nullus potuit quod olim
Frangere caſus?
Qui tot ærumnas animo tuliſti
Semper inuicto, & tot adhuc labores
Ferre (qui ſummo tibi ſint honori)
Poſſe uideris?
Qui poëtarum decus eſſe noſtri
Diceris ſecli, legerisq́; paßim?
Qui tuis omneis modulis canoros
Vincis olores?
Te uiri magni celebrant, Macrinus,
Dampetrus, Piſo, Samius, Coronus,
Sargus, Aſturix, alijq́;, quorum
Nomina uiuent.
Lingonum, qui te genuit, tibiq́;
Iunxit ardentem iuueni, Rubellam,
Vicus, & ſeruat patris oſſa, gaudet
Vandoperanus.

Vrbs

Vrbs Trecæ gaudet, puerum quòd olim
Te ſub humanis habuit magiſtris,
Et ſinu, Muſis ueluti dicandum,
Fouit amico.
Tun' is es, cui non Helicon negauit
Congredi ſacris toties Deabus?
Tun' is es, cuius caput ipſe lauro
Cinxit Apollo?
Gentium quò non penetrat tuorum
Carminum clangor? quid in orbe toto
Iam tuis Nugis, elegis, & odis,
Clarius extat?
Quid times ergo? quid, inepte, mœres?
Viue, non unquam moriture, uiue:
Et manu grata, tibi ſi qua dantur
Gaudia, carpe.

Ioan. Duperatio Lugdunen. ſuppræfecto uiro optimo. CAR. CIX.

Debet tibi Lugdûnum, opulenta ciuitas,
Debet, quis hoc negauerit?
Vidi ipſe, uidi nuper, qua prudentia,
Modeſtia, arte, gratia,
Compreſſeris Germanici impetum agminis,
Portas uolentis ingredi:
Adeò nihil tam barbarum eſt uſquam, tua
Quod non domet facundia.
Quid multa? te uigilante, ciuibus licet
Dormire in aurem utramlibet.

In fortunam. CAR. CX.

Qur non à cunctis Fortunæ numen amatur?
Hanc adamat diues, quam miſer odit inops.

Stephano Bruno Turonenſi, ueteri amico. CAR. CXI.

Colluſor olim qui puerulo adhuc mihi
Fuiſti, & uno in lectulo
Noctes hybernas concubuiſti plurimas
Acuti Montis in ſchola,
Meo fuiſti qui lateri iunctiſsimus
Semper, puero comes puer,
Mi Brune, ſanguinem, nedum pecuniam,
Pro te libenter funderem.

In fontani Cupidinis imaginem. CAR. CXII.

Hæc aqua, quam uiuo manantem flumine cernis,
Non terræ ex uenis, uiſceribuſ ue fluit:
Nō latere ex cocto aut plumbo eſt hic penſilis humor,
Humanæ hîc ullum non latet artis opus.
Tu fontem hunc eſſe ex lachrymis, ô hoſpes, amantũ
Noueris, immitis quas ciet ille puer.

Dei opt. max. ὑπόγραμμα. CAR. CXIII.

Ego ille ſum unus qui bona do petentibus,
Mala non petentibus, neq; ea petentibus.

In impios καὶ ἀθέους. CAR. CXIIII.

Omnia agi caſu, & temere, nulloq; mouente,
Eſſe nihil manes, & nihil eſſe Deos,

Impia

Impia uox hæc eſt hominum,quos luce ſuperna
Indignos,furiat numinis ira potens.

In meracum & dilutum.

CAR. CXV.

Natum recens Lyæum ardentem Naiades
Lauêre,reſtincto ſacri igne fulminis.
Tractabilis fit ergò cum Nymphis,ſine
Nymphis,ut antè,fulmine rurſum inceditur.

In Venerem & Cupidinem. CAR. CXVI.

O' Venus,ò ueſtris facibus telisq́;,dolisq́;,
Quot mala patratis,tuq́;,puerq́; tuus?

De P.Saliato,L.Querculo,C.Fontano amicis coniunctiſs.

CAR. CXVII.

Tres ſunt Saliatus,Querculus,
Fontanus.aſt ij tres tamen
Sic ſunt animis concordibus,
Treis unum ut eſſe dixeris.
Sic eſt profectò:tres quoq;
Sunt gratia una Gratiæ.

Ad Philippum Coſſeium Conſtantien. pontificem. CAR. CXVIII.

Quod cudo opus,pacem requirit & otium
Profundum,præſul optime.
At otium tale unde nanciſcar miſer?
Niſi ab inclytis heroibus?
Tuisq́; æqualibus?quare,oro te,tui
Generis per claritudinem,

Raraſq; per dotes animiq;,& corporis,
Quibus cumulauit te deus,
Meis ut & tu adſis fauens conatibus,
Ac largiare nonnihil.
Hoc fac, uoles feciſſe. Reddet enim pater
Summus tibi,& cum fœnore.
Muſæq; erunt memores:& omnia ſecula
Si quid benignè feceris,
Loquentur. nam comites (ut ſcis) tres Gratiæ
Chorum Aonidum gaudent ſequi.
Perit quod ingratis datur. poëta homo
Ingratus eſſe non poteſt.

Mortem bonis adpetendam, malis metuendam eſſe, ad Chriſtophorum Richeriũ poëtam. CAR. CXIX.

Qui ſanctè atq; piè uiuunt, ſuperoſq; uerentur,
Qui nihil intra ſe, quo crucientur, habent,
Ii deſyderio uitæ, quæ tempore nullo
Deficit, ardentes adpetiere mori.
At quorum non eſt ſibi mens bene conſcia: quiq;
Fœdant ſeſe ultro, dedecorantq; probris:
Ii Mortem metuunt: ut qui ſe præmia factis
Digna recepturos, impia turba, ſciunt.

In cæcum & claudum mendicos celebreis. CAR. CXX.

Memores uentris duo uictum quæritant uagi
Mendici, & alter cæcus, alter claudus eſt.
Claudus oculos cæco locat, cæcus pedes

Claudo:

Claudo: O magiſter uenter artium omnium.

Εἰς γυναῖκας., ad Ioannem Rænerių.

CAR. CXXI.

Felix uir nimium, ſuperi cui ſcire dederunt
Damnoſum mulier quàm ſit & acre malum.
Quod tamen acre malū eſt, dulceſcit tēporē: ſet dum
Dulceſcit, multo fit magis acre malum.

Εἰς τὰς αὐτάς. CAR. CXXII.

Credere dum nolunt ſenibus, quàm dura ſit omnis
Res mulier, iuuenes, ſponte perire uolunt.

De ſeipſo. CAR. CXXIII.

Si fata Reginam mihi Margarim meam
Heram diu ſeruauerint
Superſtitem, iuuenemq́; Lautrecum inclytum,
Amabilemq́; principem,
O quot poëmata edam, & quanta, & qualia,
Toto orbe quàm legar frequens.
Nanq; ut bona arbor, quæ quotannis uberem
Fructum domino profert ſuo:
Sic ingeni fœtus mei dabo annuos,
Nec uena laſſeſcet mea:
Suoq́; prælo annis aliquid nouum omnibus
Cratander edet, quod meum
Clebre iam nomen faciat celebrius,
Vtcunq; liuor obſtrepat.
Heroico Reges, & magnanimūm Ducum,
Verſu tonabo prælia.

Molleisq́; fundã elegos, fundam Hendecaſyllabos,
Aptosq́; Sapphicos lyræ.
Torquebo Iambos, & genus omne uerſuum
Ludam facilè & feliciter.
Nam ſacra Caſtalidum cohors nullum mihi
Negarunt carminis genus.

In Zoilum. CAR. CXXIIII.
Zoile, quum uideas te damna adferre tibi ipſi,
Nec mihi, nec Nugis poſſe nocere meis,
Cõſulo ut hinc migres: quò? (inquis) ubi, Zoile, cœnã
Viſcera dent coruis uulturibusq́; tua.

Ad Germanum Brixium uirum eloquentiſs. CAR. CXXV.
Si quiſquam orator bonus eſt, idemq́; poëta,
Delitium Graiæ Palladis, & Latiæ,
Hic ille es, Brixi, quem de tot uatibus unum
Quem mea præcipuè Muſa ſequatur, habet.
Te petit ante omneis, nec ſe ultra poſſe teneri
Clamitat, inq́; tuos geſtit abire ſinus,
Ni teneam: nec iam teneo, fugit ecce: benignè
Accipe, nam totam ſe dedit illa tibi.

In eundem. CAR. CXXVI.
Chryſoſtomi facundia
Latinis nota non erat,
Solisq́; Graijs nota erat.
At Brixio ille interprete,
Lingua Latinâ iam ferè
Valet, ut ſua, aut pluſquàm ſua.

De pace & bello, ad Lucam Copũ.

CAR. CXXVII.

Vt nihil eſſe poteſt magis execrabile bello,
Sic pace eximium nil magis eſſe poteſt.
Pax alit ingenia, & præclaras excitat artes:
Pax homini larga dat bona cuncta manu.
At belli rabies, quicquid pax alma miniſtrat,
Diripit incendens, cunctaq́; cæde replens.
Summa imis miſcens Mars ferreus, euocat Orco
Eumenides, terris inuehit omne malum.
Virga Dei irati bellum eſt: pax nobile donum
Placati eiuſdem, præcipuusq́; fauor.

Ad uirginem Deiparam.

CAR. CXXVIII.

O' Virgo Sole clarior,
Pulchraq́; Luna pulchrior,
O' Virgo mater, ò Dei
Cœleſte templum filij:
O' uirginum, ò heroidum,
O' fœminarum, ò omnium
Regina Nympharum Dea,
Salue: & tibi quæ carmina
Feſſus lyra cano, libens
Audi, precor: & mihi fauens
Sis, Muſa, præſens: & modos,
Dignumq́; te adſpira melos.

Ioan. Rænerio amico doctiſsimo.

CAR. CXXIX.

Quæ tribuis nobis, ſunt cæco ab amore profecta:
Hinc eſt iudicij regula falſa tui.
Immodicis igitur ne me obrue laudibus ultrà,
Meq́; tuum nihilo ſic minus eſſe puta.

Viri & roſæ comparatio, ad Henricum Tochetum, amicum ſing.

CAR. CXXX.

Vt roſa langueſcens, quam noxia beſtia roſit
Eruca, & circùm ſpinea ſylua tegit,
Eximium florem profert tamen, omne roſetum
Qui decoret: memorem ſic decet eſſe uirum:
Ante diem licet occumbat, producere claro
Facto aliquo famam tempus in omne ſuam.

Ad Palingenium poëtam. CAR. CXXXI.

Opus tuum, uates Palingeni optime,
Opus tuum editum recens,
Zodiacus cui titulum indidiſti, auidiſſimè
Percurri: & ut paucis tibi
Quid ſentiam, dicam: ingenium admiror tuum,
Et laudo diligentiam.
Set eſt, quod ſcire aueam aliquid ex te, & quod tibi
Dixiſſe in aurem peruelim.

Ad Ioan. Porgionem Sueſsionen. famulum ſuum, ſpectatæ fidei iuuenem.

CAR. CXXXII.

Terra mariq́;, qui pericula omnia, &

Omneis

Omneis labores,mecum obiſti fortiter,
Fortuna cùm modis me perdere omnibus
Studeret,& modò huc,modò illuc pelleret:
Vt turbo uenti paleam inanem,aut plumulam,
Solet rotare:tu mei iam particeps
Eſto otij:& ſi quid carminibus ex meis
Laudis mihi accedet,fruere mecum:& fide
Me,qua ſoles,herum obſerua,mi Porgio.

In quendam ψευδεπίσκοπον,& tyrannum immaniſsimum. CAR. CXXXIII.

Inſtanter rogitas,de te quid fama loquatur,
Reſponſum paucis hoc tibi,præſul,habe.
Plebs tua ſub tali te præſule ſe eſſe fatetur,
Vt ſub inhumano Rhomá Nerone fuit.

Franciſco Beraldo Nicolai filio. CAR. CXXXIIII.

Franciſce patre doctior doctiſsimo
Future,ſalue plurimùm.
Salue Beraldi imago uiua rhetoris
Aetate noſtra maximi.
Lutetiæ te lætor eſſe,& gratulor,
Apud clariſsimum uirum
Tuſanum: eumq; audire,adoleſcenti mihi
Præceptor olim qui fuit.
Virtute macte iſta puer eſto,& alacriter
Vtranq; linguam amplectere.
Vale,& Beraldillam tuam ſororculam
Puellulam belliſsimam,

Verbis meis ſaluta, & ei non deſore
Dic, epithalamion qui canat,
Cùm, proſpera Iunone, iungetur uiro
Matura facta, & nubilis.

Antonio Perardo iuueni ſtudioſiſs.
CAR. CXXXV.

Perarde, cuius unicè
Verſus amo pulcherrimos,
Perarde, cui uenam Deæ
Nouem dederunt auream,
Oro, tuis me ſæpius
Beare uerſibus uelis:
Malè peream, ſi quid mihi
Feciſſe gratius potes.

Ad Victorem Brodæum, Franciſci regis cubicularium, Reginæq́; Nauarræ à ſecretis. CAR. CXXXVI.

Si te docta mei celebrauit Muſa Macrini,
Cui paret quicquid fons Helicônis habet:
Quur mea te tacitum, Victor Brodæe, relinquet,
Quæ ſenſiſſe tuam Muſa fatetur opem?

Lectori. CAR. CXXXVII.

Εἰ δοκεῖ ὠφέλιμον βιβλίον τόδε, μὴ ὀλιγώρει.
Κἂν δοκεῖ ἄχρειον, ζήτει κρείττονά σοι.

De Franciſco Pucrio à Beneſtæa, & eius fratre Carolo. CAR. CXXXVIII.

Pulcherrimarum rerum amor, pietas, fides,
Opes, genus, facundia,

Vis

Vis ingeni, candor animi, oris dignitas,
Sunt Pucrij dotes mei.
Hanc adde, nemo eo accipit illibentius,
Dat nemo liberalius.
De fratre Carolo, ſit iunior licet,
Quis poſſe dici idem neget?

Ad Luciam Chriſtoph. Richerij poetæ amicam. CAR. CXXXIX.

Crede mihi, quàm ſis fœlix, ſi Lucia, ſcires,
Felix Chriſtophori uatis amore tui:
Tu, quod es in terris, longè eſſe id, Lucia, malles,
Quàm quod apud ſuperos dicitur eſſe Venus.

Ioanni Frotæo, Reginæ Nauarræ à ſecretis. CAR. CXL.

Multi ambigunt, ueſtrum ſit uter beatior,
Tu'ne, an tua uxor: aſt ego
Par coniugum uos nobile eſſe iudico,
Et eo nihil beatius.
Nam coniugum uulgus quæ perpetitur mala,
Ad uos nihil prorſum attinent.

Paulo Galtero Matiſconen. CAR. CXLI.

Quid tuum nobis, generoſe Paule,
Sapphicum carmen placuiſſe mirum eſt?
Quum tuis ambas modulis Apollo
Commodet aures?
Adde, quòd mores ueneramur iſtos,
Qui tuam Muſam decorant: ſet, oro,

Sæpe

Sæpe ne taleis lyricos graueris
Mittere nobis.

Ad Petrum Pyraltum Nanneten.

CAR. CXLII.

Quantum tua cauſa uelim, ſi ſcire aues,
Pyralte, fac periculum, &
Tuum ut in me amorem agnoſco ego, ita tu mutuò
A me te amari exiſtima.

Ad Luc. Stellam & Lauſam eius uxorem, in digreſſu, ex tempore.

CAR. CXLIII.

Stella, uale, & genio indulge, cum coniuge Lauſa,
Viuens, bibens, ſuauiter.
Et ſtudijs moderare tuis: nam te edere nolo
Plureis libros quàm liberos.
Et, cùm me cœna accipies, fac luxus ut abſit:
Cœnam uolo, non nuptias.

Pulcherrimam Menandri ex Stobæo ſententiam diſticho ſic clauſimus.

CAR. CXLIIII.

Εἰς τό σε δύστηνον καὶ οἰζυρὸν καλέεσθαι,
Εἶ βροτὸς, ἐξαρκεῖ τοῦτο, Μένανδρος ἔφα.

Latinè idem. CAR. CXLV.

Infelix ut ſis, ærumnoſusq; uoceris,
Sufficit hoc, hominem te eſſe: Menander ait.

Ad Album amicum candidiſsimum.

CAR. CXLVI.

Qui quereris, finemq; doles me imponere Nugis,
O anima, ò oculis charior, Albe, meis:

Parce

Parce queri,quantum exhauſto ſim corpore,noſti:
Noſti quàm metuam frigus,& acre gelu.
Si uitam dederit CHRISTVS,*uolitare uidebis*
Nugarum titulo ſeria multa ſatis.
*Quot folia in ſyluis,*Borea *ſtridente,uel* Euro,
Autumni primo frigore lapſa cadunt:
Tot mea prodibunt in lucem carmina, ut omnis
Zoilus ægreſcens iam perijſſe uelit.

Sibyllæ illud nobile τετράστιχον, φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, &c. his ſenarijs adſtringere cõnabamur.

CAR. CXLVII.

Cultus iniquos fuge. cole uiuentem Deum.
Adulter ne ſies: V*enerem auerſam fuge.*
Ale liberos tuos. occide neminem.
Pœnas Deo *dabit, quiſquis peccauerit.*

Ad Deum opt. max. CAR. CXLVIII.

Vſq; huc qui fuerim,qui nunc ſim,olimq; futurus,
Tu ſcis,tu,cui ſunt omnia nota,pater.
Si ſpatium uitæ dederis mihi longius,oro,
Quicquid agam,id laudi cedat ut omne tuæ.
Effice(nanq; potes)licet hæc ſint ferrea ſecla,
Vt canat in medijs te mea Muſa *malis.*
Sin minus:hanc animam cœleſtibus accipe regnis,
Quæ mihi ſunt nati ſanguine parta tui.

Lectori. CAR. CXLIX.

Εἴ τι καλῶς εἶπον, Χριστῷ συγχαῖρε δοτῆρι.
Εἴ τι κακῶς, φείδου. τίς γὰρ ἀεὶ φρονίμος;

Idem.

Idem Latinè. CAR. CL.

Si bene quid dixi, CHRISTO *gratare datori:*
Sin malè,da ueniam.nam quis ubiq; ſapit?

Rubella Borbonium ſuum commendat Gul.Paradino Belgæ uiro candidiſs. CAR. CLI.

Hunc aliqua noſtrum cumulare coronide librum
Vt creſcant Nugæ,nil opus eſſe uides.
Verſibus hiſce tamen bis quattuor ecce,Rubella
Orat te,Muſas per,Paradine,tuas,
Borbonium ut pergas redamare tuumq; ſuumq;.
Vtq; illi præſtò ſemper adeſſe uelis.
Nam rabioſorum uatem circundedit ingens
Turba canum:inſequitur liuor & urget edax.

Ad huius libri emptorem.
CAR. CLII.

Quiſquis emis noſtras,ratus eſſe opus utile,Nugas,
Oro,caue culpa decipiare tua.
Sunt operis titulus,Nugæ: ſunt ludicra Nugæ:
Sunt,ut ſcripta legas talia,non ut emas.

Ad Rubellam CAR. CLIII.

Quid fles,Rubella? quid doles?
Amica quid mœres mea?
Abire me neceſsitas
Cogit,ſet huc tamen breui
Ad te redibo,ò lux mea,
Rubella, adeſdum,da genas
Iſtas madenteis oſculer:

Da turgidulis ocellulis
Os adprimam.quid fles adhuc?
At ſiſte lachrymas precor.
Breui redibo,& adferam
Aliquid tibi,quo gaudeas.
Tu te interim oblecta domi,
Cum matre,cumq́;,ancillula,&
His cum tuis æqualibus,
Acu,colu,cantu,lyra,
Alijsq́; honeſtis luſibus,
Qui uirgines taleis decent.
Caue autem,& in primis caue,
Caue(inquam)ut iſti ſanctuli,
Fraterculi,dicaculi,
Cucullo amicti,& funibus
Cincti,ſuis te blandulis
Verbis,ſuisq́; melleis
Fallant ſuaſionibus.
Te probro ab omni,& crimine,
Ab omni turpitudine,
Puram mihi ſerues uide.

AD OMNES LECTORES.
CAR. CLIIII.

Tu,Lector,qui Borbonij iuuenilia quædam
Pluris quàm ueterum ſcripta ſeuera facis,
Ne fallare,caue,niſi falli te iuuat ultro:
Scis opus hoc titulo ferre,quod intus habet.

At tu, qui lingua, & calamo, rabieq́; canina
Oblatras, audi pauca, memorq́; tene:
Quo peiora uomes conuitia, peius habebis:
Et facies, ut amer, ſuſpiciarq́; magis.

Ad eruditos. CAR. CLV.

Hoc ſi Nugarum uos perlegiſſe uolumen
Pœnitet, erraſtis: ueſtraq́; culpa fuit.
Frons huius operis Nugas, non ſeria præfert:
Nugas pro titulo (ne quis aberret) habet.
Præterea, ò docti, non uobis luſimus iſta:
Set quibus ad Nugas conſenuiſſe uacat.

Ad amicos ignotos. CAR. CLVI.

Vos, qui Borbonio ignoti bene uultis, amici:
Quos Nugæ tacitos prætériere meæ:
Parcite, & expectate aliud, quod cudo, uolumen:
Et facite intereà nomina ueſtra ſciam.

NVGARVM LIBRI OCTAVI FINIS.

ἐς καλὸν, σὺν ταῖς Μούσαις.

NICO-

NICOLAVS BORBONIVS D. Margaretæ à Francia, Nauarræ Reginæ, fœminæ incomparabili, ſalutem.

SI poëtica illa ludicra, quæ puer olim luſi, optimo et eruditiſſimo cuiq; grata fuêre, quãtò gratiora futura ſunt, quæ à me iam uiro proficiſcentur? Si, quæ in tenera ac ludibũda illa ætatula iocatus ſum, mihi uni diſplicent, literatis omnibus placent, atq; adeò ſtudioſiſſimo cuiq; ſunt in delicijs, quantò plauſibiliora erunt, quæ uir in lucem proferam? olim quæ fuit herba, nũc eſt ſeges, eaq́; falcem iam poſtulans. Ver præterijt, nunc Aeſtas eſt, & appetit Autumnus, uberem fructum, & quoddam quaſi κέρας Ἀμαλθείας ſecum adferens. Ad colligendum autem fructũ, ſerenitate temporis opus eſt. Tu, Regina, tu cœlũ mihi ſerenabis nutu tuo, perficiesq́;, ut de te uerius, quàm de ſuo Cæſare Virgilius, dicam, Deus nobis hæc otia fecit. Vale principum fœminarum immortale decus.

AD EANDEM.

OTIA, quæ peſſum reges, urbesq́; dedere,
Diuino ut uates ore Catullus ait,
Non ea ſunt, quæ opto, ſed honeſta, et idonea Muſis
Otia: quæ ni ſint, tabe poëta perit.

Otia qui faciunt dignis, præclaraq; ſeruant
Ingenia, humanum non operantur opus.
Diuinum re uera opus eſt, aluiſſe poëtam,
Cœleſti cuius ſpiritus igne calet.

AD EANDEM.

Quinq; & ter denos numero qui plus minus annos,
Nondum me memini ſuccubuiſſe malis.
Quos ego non caſus, quæ non incommoda uici?
Aut, quæ non toties aſpera fata tuli?
At nunc proſpiciens curuam aduentare ſenectam,
Et finem curſus non procul eſſe mei,
Ardeo, quod uitæ reliquum eſt, impendere Muſis,
Moliri & nunquam quod moriatur opus.
Tu modò, tu, regina, tuo fac otia uati:
Dulcius Oebalio carmen olore canam.

AD EANDEM.

Magno dum facit otium Maroni
Cæſar, quid facit? ut Deus uocetur.

AD EANDEM.

Otia Virgilio quæ ſunt à Cæſare facta,
Fac, regina, mihi: ſis ut & ipſa Dea.

AD EANDEM.

Non opes à te peto, non honores,
Sct meis pacem, requiemq; Muſis:
Da tuo uati Dea, da, dediſſe. Quod iuuet olim.

AD EANDEM.

Deſino nugari, ne ſim, regina, moleſtus:
Ex his, dum tibi ſit mens mea nota, ſat eſt.

AD D. IOANNEM A' LAuallo, Caſtri Briantij Toparchum, Armoricæq; prouinciæ præſidem max. &c. Nicolaus Borbonius.

SI magnitudinis tuæ fulgoribus
Deterritus, non audeo
Te, Heroa tantum, tãtum adire uerticem,
Tot, ac tantis negotijs
Intentum: at huic timori ut ignoſcas meo
Oro, obſecroq;, per tuum
Genus, quod à Dijs ducis immortalibus:
Rurſusq; te oro, & obſecro, ut
Muſis meis faueas Reginam apud optimam,
Herumq; Lautrecum meum:
Quando unus es, quem autoritate, & gratia,
Conſtat ualere plurimùm.

NICOLAVS BORBONIVS D. Henrico Lautreco Fuxæo, hero ac Mecœnati ſuo, ſummæq; ſpei adoleſcenti, ſalutem.

INEPTE' facerem, ſi uerboſa epiſtola tecum agerem, Henrice here, præſertim quum in ea aula ſis, in qua, uel ipſi parietes plura quàm ego, atque ornatiora loqui poßunt. Et alioqui Laconiſmũ tibi placere memini:

quare uerba quantum potero(ut Plautus ait)ad compendiũ conferam. Nunc tandem me à te amari uideo, atque ita uideo, quaſi id quod cernitur oculis. Quid igitur (inquis) antea? Equidem uidi ſemper, atque adeò expertus ſum, tuam in me beneuolentiam: ſet nunquam illuſtrius quàm nunc, nunquam magis in tempore. Audi, ſi placet, Muſam noſtram illius calamitatis memorem:

Squallidus in tenebris,ſolusq́;,latêre uolebam:
Nox pérgrata mihi,ſol odioſus erat:
Nullæ epulæ,nulli cantus,non ulla puella,
Nulli me poterant exhilarare ioci.

Obtunderem, ſi totam elegiam perſcriberem. ut numero dicam,languebam(ut ſcis)ac propè diſtabeſcebam Muſarum deſyderio,quarum conſuetudine nihilo facilius carere poſſim, quàm aqua & igni. Quapropter,ago tibi gratias immortaleis, quòd mihi etiã abſenti conditionem meam ſarctam tectam eſſe uolueris,ſtipendioq́; non pœnitendo me, quoquò gentium proficiſci,ubiubi locorũ agere uoluero, proſequendũ eſſe duxeris: Id quod ut faceres, profectò nulla res alia magis, quàm naturæ tuæ benignitas mouit. D. Margareta à Francia Nauarræ regina, nunquam ſatis laudata princeps,& D. Ioannes à Lauallo,Caſtri Briantij dominus,idemq́; oræ Britonicæ,hoc eſt, Armoricæ præſes,uir omnibus modis clariſſimus,quantum hac in re mihi commodauerint,non ſum neſcius. Egerunt illi tecum ſcilicet, ut tuorum domeſticorum

Margareta Nauarræ regina.

Ioannes a Lauallo, Caſtri Briantij dominus,oræ Britonicæ præfectus.

albo iam nunc inde adſcriberer: atq; id ex animi mei ſententia confectũ eſt. Set quid aliud, quàm currentē (quod dicitur) incitarunt? Crede mihi, here, ſi quingentorum aureorum ſalarium in ſingulos annos mihi decreuiſſes, idq; nõ tua ſponte ac liberaliter, ſet cuiuſuis alterius impulſu feciſſes, emoriar, ſi id libentius recepiſſem, quàm quod modò ultro & ingenuè obtuliſti. Itaq; iam ego ſpe boni otij plenus, fortunæq;, quã tua mihi amplitudo pollicetur, ſecundioris expectatione excitatus, Nugis finē imponere ſtatui, hoc eſt, puerilibus poëmatijs, in quibus uſq; adhuc multas bonas horas malè collocaui. Iam enim in eam ætatē ingreſſus ſum, quæ (ut pulchrè monet comicus) aliam uitam adfert, alios mores poſtulat. Scis quid iam moliar? uix audeo dicere. Gallorum huius ætatis principum laudes. Dicentur à me omnes heroico carmine, &, quoad eius fieri poterit, ſinguli ſuis dotibus ac titulis ornabuntur. A Franciſco rege iam orſus ſum in hunc modum:

Principum Gall. ætatis noſtræ encomia.

Ille ego, qui luſi iuuenilia carmina quondam
Plurima, et æternum Nugis ſum nomen adeptus,
Nunc heroa cano, & regum decus. Ocyus omnes
Vos mihi adeſte Deæ, quæ ſacrũ Helicôna tenetis,
Vos mihi adeſte omnes Muſæ, quæ principis huius
Solæ, & uirtutes memorare, et facta poteſtis, &c.

Vides, ut Nugarũ mentionē faciam in principio? Sanè de induſtria hoc facio. Quod ſi quis improbauerit, manũ non uorterim. Opus meum optimo atq; doctiſſimo

cuiq; gratum fore non dubito. Momos iſtos ac mordaces neſcio quos nihil moror: qui quum ignauum pecus ſint, nihilq; egregium præſtare queant ipſi, aliorum labores malignè uellicant, atq; inſectantur: efficiuntq; plerũq; male dicẽdo, ut eruditi atq; ingenioſi homines eſſe uideantur. Cæterùm in ordine principũ noſtrorum, quem tibi locum deſtinauerim, here, nondum ſcire potes: ſcies propediem. Hæc res, quũ tanti ſit momenti, & longũ tempus, & profundum otium poſtulat. Alterum à Deo optimo maximo, alterũ à te expecto. Imagines & elogia generis uniuſcuiuſq;, tot ac tam diuerſas familias exequi, haudquaquam parui negotij fuerit. Set τί ἐςι χεὶρ ὃ οὐκ ἂν ἐργασαίατο; *qui prouerbialis ſenarius Latinè ita reddi poteſt non incommodè.*

Quid eſt tandem quod non effecerint manus?

Vtut erit, ſpero diuinam opem induſtriæ meæ non defuturam: &, quemadmodũ pridem luſi his uerſibus:

Audeo, quod multos ſcio non audere poëtas:
Audeo, quod temere nemo ſubiret onus.
Set Deus hunc animum mihi ſi inſpirauit, eodem
Auſpice, quod cœpi, perficietur opus.

Proinde quos iſtic apud te mihi patronos delegi, non dubito, quin officium faciant, meiq; memoriam identidem tibi quaſi refricent. Ii ſunt Bernardus Badetus iuriſconſultus, fidei homo ſpectatiſſimæ, & Io. Carboſius Camicas, Achates tuus, iuuenis cãdidiſſimus. Præter eos ſunt Ludouicus à Haya, & Steph. Dalbreolus huma-

humaniſsimi uiri, itemq; Claudius Maurus Armoricus, & Franciſ. Bræius Follouij dominus, iuuenes ad unguem facti: & Franc. Tuanus, Arnoldus Gaſsiſſanus, Franc. Grymoaldus, Draco Leſcobillius, Petrus Stephanus, Anto. à Gutta, Iac. Gaueo, inſigni probitate præditi, officijq; pleni omnes: Quorũ perſuaſum habeo neminem eſſe, quin mihi impensè & ex animo faueat. Præterea nobiliſsimũ adoleſcentẽ D. Vidonem Lauallũ fratrem tuũ, eiuſq; præceptorem Gul. Lateranũ ueterem amicũ meum: præterea D. Ant. Caſtronouanũ Tarbellorũ pontificẽ, uirũ multis, ijſq; eximijs dotibus ſuſpiciendum: præterea alios non parũ multos, qui ſe mihi omnẽ præſtaturos operã ſpoponderunt. Vereor autẽ ne crebra, imò aſsidua mei mentio ne tibi moleſti ſint. Quid enim opus eſt toties eandem canere cantionẽ, præſertim apud memorem? Vale bene, uale princeps bene nate: & Muſas noſtras, quæ ſe tibi totas dediderũt, fouere, ut cœpiſti, atq; ornare perſeuera. Set antè quàm manũ de tabula: quatuor & uiginti elegiacos uerſus ad te mitto, & ſapphicã oden, eamq; breuiculã: quibus heſterno die à cœna luſi, in ripa fluuij Araris (ſicuti ſoleo animi gratia) deãbulans. Venerat enim tum fortè mihi in mentẽ patris tui, uiri fortiſsimi, cuius memoriam gratiſsimam tibi ſemper, atq; ſacroſanctam eſſe certò ſcio. Deus te ſeruet, generoſiſsime adoleſcens. Lugd. anno Chriſti domini 1538. Calend. Octob.

AD D. HENRICVM LAVtrecũ Fuxæum herum ac Mecœnatem ſuum, N. Borbonius.

QVO'D tibi Lautrecus pater eſt tam multus in ore,
Quo uiuo, timuit Gallia noſtra nihil,
Qui uirtute ſua Italiam tremefecit, & omnem
Europam, & cuius gloria uiuit adhuc,
Viuit adhuc, uiuetq; hominum dum uita manebit,
Dum celeri Rhodano ſe piger addet Arar.
Quòd tibi tam gratũ eſt (inquã) audire, atq; referre
Illius inuictæ fortia facta manus:
Eſt quur ſperemus de te, puer, omnia ſumma:
Creſcis enim, ut iam ſis patris imago tui:
Creſcis, & exerces corpus, fers frigus, & æſtum,
Omnia uel ſummo principe digna facis.
Artium honeſtarum ſtudijs incumbere gaudes,
Et diuos mira religione colis.
Das multa, atq; libens: magna eſt tibi cura tuorum,
Inq; tua uitij uis nihil eſſe domo.
Creſce here, creſce puer, uotorum ò ſumma meorum,
Creſce, & perge ſequi, quò tua fata uocant.
Cùm poteris patriam aut æquare, aut uincere famam,
Tunc alio nobis ore canendus eris.
Tunc Helicon mihi, tunc Muſarum ſacra patebunt:
Tunc ero uirtutis buccina clara tuæ.
Tunc nemo audebit mecum certare poëta:
O' utinam iamnunc adforet ille dies.

AD EVNDEM.

Si quid eſt artis mihi,ſi qua uis eſt
Ingeni,ſi quid ſacra turba Muſæ
Commodant,ſi quid pia largiuntur
Numina Phœbi,
Id tuæ totum,generoſe princeps,
Seruiet laudi:tua clara nuſquam
Fama non creſcet:ſet eam nec ulla
Opprimet ætas.
Dum mihi fautor modò ſis,& altum
Otium preſtes.quid enim poëtæ
Arduum,cui tu Zephyrus canenti
Sis ut olori?
O' boni faxint ſuperi,patronus
Vt diu talis mihi ſit ſuperſtes,
Vt uirum cantem, uideamq; pulchra
Prole parentem.

Σὺν ταῖς μούσαις.

NICOLAI BORBONII *de pace carmen.*

FRacta diuturnis ſquallebat Gallia bellis:
Tu ſimul exhauſtus, Carole Cæſar, eras:
At Deus è cœlo populũ miſeratus utrũq;,
Pace data,Martem ferreum abire iubet:

Coniungitq; animos, manſuro fœdere, regum:
O quàm optata diu lux hodierna micat.
Nunc tandem gaudete omnes iuuenesq;, ſenesq;,
Tu mea, tu lætos accine, Muſa, modos.
Vosq; poëtæ omnes, redeunt quibus otia, mecum
Vos hunc carminibus concelebrate diem.
Præcipuè grates autori dicite pacis:
Nulla licet dignas dicere lingua queat.

DE EADEM PACE, AD POE-
tas omneis Gallos, carmen
eiuſdem.

Docta cohors uatum, quos cœleſti igne calenteis
Gallia materno confouet alma ſinu,
Sumite ſcribendi quam non ſine numine diuûm
Materiem uobis lux hodierna dedit.
Ecce nouem, toto patefacto Helicône, ſorores
Ad ſacra uos alta flumina uoce uocant.
Franciſci regis pietas cum Cæſare Carlo
Fœdus init, fœdus quod Deus ipſe ligat.
Pacem igitur, miſſum è cœlo uenerabile donum,
Dicamus, nos qui nil ſine Pace ſumus.

AD FRANCISCVM GALLIA- rum Regem, & Carolum Cæſarem, N. Borbonius.

QVO magis inter uos nuper furialis Enyo
Graſſata eſt, nimiũ peſtis utriq; nocẽs,
Poſtquã cõcordes inijſtis amabile fœdus,
Arctior hoc iam uos iungere debet amor.
Iungat amor fratres. Vobis concordibus, ecquis
Hoſtis ſub cœlo, quem timeamus, erit?
Vt tamen inuicti ſitis, cunctisq; tremendi,
At ſine diuina ſtare nequitis ope.
Ergo qui ſolus reges infirmat, & idem
Roborat, illius numina ſuſpicite.
Inq; pios uſus ualidas conuertite uires
Vnanimes, & ius reddite cuiq; ſuum.
In ſceleroſorum facta intoleranda, ſeueri,
Inq; malas artes, eſte: fauete bonis:
Et facite, ut cultus ritè inſtaurentur honeſti,
Vtq; ſuus CHRISTO reſtituatur honos.
Vera renaſcatur pietas, omnisq; faceſſat
Vana ſuperſtitio, ceſſet ut ira Dei.
Hæc curate, ò rex Franciſce, ò Carole Cæſar,
O duo uos, ò quos lumina mundus habet.

IOANNES BORGIO SVES-
ſionen. Lectori εὐπράττειν.

EN *tibi, lector, indicem carminum toto hoc opere contentorum, quanta potui maxima diligentia contexui, ut ſuo quodq; loco carmen minore negotio reperias. Quem laborem meum æqui boniq; cõſulas, oro. Habebis breui,* θεοῦ θέλοντος, *plura poëmata, habebis Syluas, habebis* Har*pocratem, & alia opuſcula tibi tum uſui, tum uolupta*
ti futura: quibus autor ſummam manum non-
dum impoſuit. ἔῤῥωσο, *et doctiſſimas*
Borbonij, heri mei, Nu-
gas in bonam par-
tem accipe.

INDEX

INDEX PRIMI LIBRI NVGARVM.

AD lectorem carmen I.
Ad doctos car. II.
Ad coſdem car. III.
De ſeipſo car. IIII.
Ad Rubellā amicā car. V.
E' Græco Σαμίε. car. VI.
Ad lectorem car. VII.
Ad Muſam car. VIII.
Muſa reſpondet car. IX.
Ad quendā iuuenē car. X.
In Zoilum car. XI.
In quendam car. XII.
Puerperæ Margaretæ N. epitaphion car. XIII.
E' Græco τοῦ Ἀντιφάνους. car. XIIII.
In Hugonem car. XV.
In eundem car. XVI.
In quempiam impium car. XVII.
Ad Carolum Pucrium car. XVIII.
Ad Rubellam car. XIX.
Ad eandem car. XX.
Alluſio ad Græcum τοῦ Παλλαδᾶ, in auarum quempiam car. XXI.
In Probum car. XXII.
Ad citharam car. XXIII.
In Canoppū car. XXIIII.
Ad Draconē Budæi filiū car. XXV.
In quempiam car. XXVI.
In eundem car. XXVII.
In eundem car. XXVIII.
In Marcum auarum car. XXIX.
In Gargiliū, celebrē quidem illū, ſet tamen inepti pictorē car. XXX.
E' Græco Luciani: uel potius Auſonij imitatio car. XXXI.
Ad L. Stellā car. XXXII.
Ad Caßiam puellam car. XXXIII.
In auaros car. XXXIIII.
De Aulo puero car. XXXV

Ad Deſ. Eraſmũ Roterodamũ car. XXXVI
In Lopidẽ Eraſmi obtrectatorẽ car. XXXVII
In eundẽ car. XXXVIII
Serui cuiuſpiã epitaphion car. XXXIX
In Candorium car. XL
Tyranni cuiuſpiã Nerone Neronioris nefariũ uotum car. XLI
In Candiliũ, è Græco Σαμίου car. XLII
In Charidemũ car. XLIII
Ad Mainum car. XLIIII
De Frãco puero car. XLV
Ad eundem car. XLVI
In Mamillum car. XLVII
De ſeipſo car. XLVIII
In Mamillum car. XLIX
CHRISTVS loquitur car. L
Ad Carolũ Pucriũ car. LI
In Ruſum, alienarũ uigiliarum ſuppilatorem car. LII
De ſeipſo, & Rubella car. LIII
Ad Ioſam gymnaſiarchũ, amicum car. LIIII
In Rhomam car. LV
Ad Galeatum car. LVI
Ad lectorem car. LVII
In Chærintũ car. LVIII
Epitaphiõ eiuſdẽ car. LIX
In Gloſſerionem iactanticulum car. LX
Mors car. LXI
È Græco Μακεδονίου ὑπάτου car. LXII
In Porculum car. LXIII
Fides Chriſtiana car. LXIIII
Ad D. Iac. magiſtrũ equitum car. LXV
Θρῦνος car. LXVI
È Græco τοῦ Δημητρίου car. LXVII
In irundinẽ ſub Medeæ ſtatua nidulantem car. LXVIII
In canem D. Iuſti T. car. LXIX
Ad diſtichon Platonis alluſio, ex Gellio car. LXX
Ad Philippum à Camera, Card. Bologniũ car. LXXI
Mœror car. LXXII
De ſe et Cupidine car. LXXIII

Inquempiã importunum baſiatorẽ car. LXXIIII
Ad Claudiũ T. pontificẽ opt. car. LXXV
In Belleriũ car. LXXVI
Εἰς τὸν αὐτόν car. LXXVII
Ad Luc. Stellã LXXVIII
E Græco Λουκιλλίου LXXIX
Amicitia car. LXXX
Ad Muſam car. LXXXI
Imitatio epigrãmatis antiq poëtæ pulicis, et Græci τοῦ Πολιτιανοῦ *car.* LXXXII
Ad Lobellũ car. LXXXIII
E Græco ἀλλήλων *car.* LXXXIIII
Ad lectores, è Græco Σαμίου *car.* LXXXV
D. Petro Liſeto præſidi car. LXXXVI
Iano Guttæ Boio LXXXVII
Ad Rubel. car. LXXXVIII
Ὀρφεὺς *car.* LXXXIX
In Porculũ car. XC.
In eundem car. XCI.
In Zoilum car. XCII
Ad R. P. Io. Bellaiũ præſulẽ Pariſien. car. XCIII
In Marcũ car. XCIIII
In Augerium car. XCV.
In Rubellam car. XCVI
E Græco Μακεδονίου τοῦ ὑπάτου *car.* XCVII
In Charidemũ car. XCVIII
In eundem car. XCIX
In anũ laſciuientẽ car. C.
Duorũ amicorum epitaphion car. CI
In Turbilionem car. CII
In eundem car. CIII (CIIII
De eodẽ, et Porculo car.
Εἰς τὸν Μῶρον *car.* CV
Carmen, quod febre ſæuiente faciebat car. CVI
In literarũ oſores car. CVII
Maronis auari tumulus car. CVIII
In Hugonem car. CIX
De ſuo libello, ad Lodoicum Iac. car. CX
Ad Franciſcũ Beraldum, Nicolai filiũ car. CXI
In quendã car. CXII
Precatio Chriſtianorum car. CXIII.
In ſacrificulũ, labris, non mente precari ſolitum car. CXIIII

Ad Lodoicum Dintauillū equitem Rhodium car. CXV.
In ædes tyranni cuiuſdam car. CXVI.
Ad patrem car. CXVII.
Ad Io. Maldinum car. CXVIII.
Samij amici epitaphion car. CXIX.
Aliud car. CXX.
Aliud Græcè car. CXXI.
Deploratio temporis, ad Fran. Tuanū Pariſien. car. CXXII.
Ad Carolū T. car. CXXIII.
De fratre ſuo car. CXXIIII.
In Hugonē car. CXXV.
In Maldinū car. CXXVI.
In malos Chriſtianos car. CXXVII.
De uminuocat apud popu lum concionaturus car. CXXVIII.
In temporis iniquitatem, αὐτοσχεδίως. car. CXXIX.
Amicus car. CXXX.
Aleator deſperabundus loquitur car. CXXXI.
Ad Carolū T. car. CXXXII
Ad Iacobū T. antiſtitem car. CXXXIII.
De ſeipſo car. CXXXIIII
E Græco τοῦ Σαμίου, in quēpiam car. CXXXV.
εἰς ἀθέους car. CXXXVI.
Iacobo Tuſano præceptori car. CXXXVII.
In medicum indoctum car. CXXXVIII.
μονόστιχον car. CXXXIX.
Ad Iacobum Tuſanū præceptorem car. CXL.
Ad eundem car. CXLI.
Ad eundem car. CXLII.
Ad Iacobum Baratanum car. CXLIII.
In Stagnam puellam car. CXLIIII.
In inuidum car. CXLV.
Ad lectorem car. CXLVI.
Ad eundem car. CXLVII.
E Græco τοῦ Λουκιλλίου car. CXLVIII.
εἰς μοναχούς car. CXLIX.

Ad

Ad puellam car. CL
De eadem car. CLI
Ad eandem car. CLII
Io. Matthæo Matiſconen. amico ueteri car. CLIII
Ἀλίστοθηρ quoddā Latinè uerſum car. CLIIII
Venator, & amator, è Græco Σαμίου car. CLV
Idem car. CLVI
Idem car. CLVII
Ad Franciſcū Galeatum car. CLVIII
In quendā car. CLIX
Leonis Carpij iuuenis doctiſſ. epitaphion car. CLX
In Marcum medicum car. CLXI
De Io. Florio rhetore car. CLXII
Seuerini pueri tumulus car. CLXIII
In ſutorem car. CLXIIII
Mors car. CLXV
De Henrico Lautreco generoſiſſ. car. CLXVI
Ad Franciſcum Galeatū car. CLXVII
In Stagninam puellam car. CLXVIII
De And. Alciato Iuriſconſ. car. CLXIX
In quempiam, è Græco Σαμίου car. CLXX
In inuidum car. CLXXI
Euſebij hominis impij tumulus car. CLXXII
Aliter car. CLXXIII
Ad Deū opt. max. è Græco Σαμίου car. CLXXIIII
De ſe, & Iul. Camillo car. CLXXV
In ψαλαλίλφος car. CLXXVI
Ad Luc. Stellam car. CLXXVII
Ode in natalē Chriſti, & eius acta car. CLXXVIII
Ad Ludouicū Dintauillū car. CLXXIX
Ver car. CLXXX
Aliud car. CLXXXI
Aeſtas car. CLXXXII
Autumnus car. CLXXXIII
Hyems car. CLXXXIIII
Annus car. CLXXXV

In Rhomanicū CLXXXVI
In Pōtilianum CLXXXVII
In eundē car. CLXXXVIII
E' Græco ἀδέσποτον car. CLXXXIX
Precatio Chriſtiana, ἐκ τοῦ εὐαγγελίου car. CXC
In Caſpium auarū & furacem car. CXCI
Ad amicam car. CXCII
De R.D.Claudio Lonuio Lingon.antiſtite CXCIII
Ad D. Gobinum muſicū uirū car. CXCIIII
E' Græco ἀδέσποτον car. CXCV
In fronte Gelliani codicis car. CXCVI
Ad D. Margaretā à Francia, Nauar. Reginam car. CXCVII
In Coralliū car. CXCVIII
Ad Piſcē poëtā car. CXCIX
Ad Iacobū Langiū Tuſani diſcipulum car. CC
Virtus, è Græco ἄδηλον car. CCI
In Pylium car. CCII
Deus car. CCIII
Ad Renatū P. amicum car. CCIIII
Ad eundem car. CCV
Somnus & mors, è Græco ἄδηλον car. CCVI
In quendā inſigniter impium car. CCVII
In Plautulum poëtam car. CCVIII
In eundem car. CCIX
In eundem car. CCX
Ad patrem car. CCXI
Ad eundem car. CCXII
Ad Carolū T. car. CCXIII
Brilli pueri epitaphion car. CCXIIII
In Charidemū car. CCXV
Εἰς μοναχούς car. CCXVI
In Martem car. CCXVII
Ad Io. Tēpiū car. CCXVIII
De ſeipſo è Græco Σαμίου car. CCXIX
De Gilberto Ducherio Vultone car. CCXX
Amor loquitur, è Græco ἄδηλον car. CCXXI
Mors car. CCXXII

D.Bar-

D. Barbeſio car. ccxxiii
Ad eundem car. ccxxiiii
De Germano Brixio, & Salmonio Macrino car. ccxxv
Ad Somnũ car. ccxxvi
De Budæo car. ccxxvii
Ad lectorẽ car. ccxxviii
Θρῆνος car. ccxxix
In Pharum car. ccxxx
Epitaphion cuiuſdã ψαλ-τοκόπου car. ccxxxi
In puerũ inſidiantẽ auicu lis car. ccxxxii
De paſſerculo mortuo Roſæ puellæ car. ccxxxiii
Eiuſdem paſſeris epitaphion car. ccxxxiiii
In Coraliũ car. ccxxxv
Pro puero cõdiſcipulo ſuo ad præceptorem iratum car. ccxxxvi
E Græco Σαμίου car. ccxxxvii

INDEX SECVNDI LIBRI.

Poëta ad libellũ ſuũ car. i
Ad Io. Pinellum car. ii
Ad patrem Io. Borboniũ car. iii
In regem momentaneum, inter pocula factum car. iiii
Michaëlis Bodeti præſulis Lingon. epitaphion car. v
In improbũ quendã adoleſcentẽ, è Græco Samij car. vi
Ad puellam, ex uulgari carmine Maroti car. vii
E Græco ἀδήλου car. viii
Idem aliter car. ix
In quempiam car x
Ad anulum car. xi
Ad eundem car. xii
In Caſtorem car. xiii
In quendam libidinoſum car. xiiii
Loyſæ Franciſci regis epitaphion car. xv
Omnis homo peccat, è Græ-

Græco Σαμίου car. XVI
Ad Carolum T. car. XVII
In Marcum auarum car. XVIII
In obitū Caſcæ car. XIX
In opus Budæi de aſſe car. XX
Ad Io. Maldinū car. XXI
Grammaticus car. XXII
In amorem, ad Chriſtoph. Richeriū car. XXIII
In Rufum car. XXIIII
In eundem car. XXV
In Pontilianū car. XXVI
In Zoilum car. XXVII
In eundem car. XXVIII
In inuidos, è Græco ἀδήλου car. XXIX
Puer ad pueros car. XXX
Ad Io. cognomento Regē car. XXXI
In Bullā uerſificatorem car. XXXII
In eundem car. XXXIII
In eundem car. XXXIIII
Ad Io. Vebrium adoleſc. car. XXXV
Ad eundem car. XXXVI
Ad eundem car. XXXVII
In Gelliā anū car. XXXVIII
In Thracum tyrannum car. XXXIX
Homo, è Græco τοῦ Σαμίου car. XL
Εἰς τὸ ὄργανον, è Græco Politiani car. XLI
Ad Gerardum Ruſſellū pont. car. XLII
Ad eundem car. XLIII
In Charidemū car. XLIIII
Ad Cupidinem car. XLV
Ad puerū quempiā φίλαυτον car. XLVI
In P.N. car. XLVII
In eundem car. XLVIII
In Antiphilum cantorem, è Græco car. XLIX
Ad Carolū T. car. L
Ad Cupidinem car. LI
E Græco, ἀδήλου car. LII
Sargij epitaphiō car. LIII
De fure & cauſidico car. LIIII
De imagine ſui car. LV
De paternarū ædium & carminū ſuorū incēdio,

[illegible]

ἐρῶνος car. LVI
In Claud. à Rupeforti Iure conſ. car. LVII
In eundem car. LVIII
In quẽdam nomine Pumicem car. LIX
Ad Laurentiũ Philangelũ rhetorem car. LX
Ad Carolum T. car. LXI
In Vulcanũ car. LXII
In eundem car. LXIII
Ad Iacob. Tuſanum præceptorem car. LXIIII
De ſeipſo car. LXV
Ad lectorem candidum car. LXVI (LXVII
De Budæo et Eraſmo car.
In Podagricum amantem car. LXVIII
E' Græco Παλλαδᾶ car. LXIX
Ad Tagũ medicũ car. LXX
Ad Deum car. LXXI
In Marcum car. LXXII
Ad Franciſcum regem Gall. car. LXXIII
Ad puellam nomine Candidã car. LXXIIII
Ad candẽ, è Græco πολιτια- νος car. LXXV
E' Græco τοῦ αὐτοῦ car. LXXVI
Ad Carolũ T. car. LXXVII
In Gelliam car. LXXVIII
In quendã importunũ & petacem car. LXXIX
In quendã inexorabilem car. LXXX
In nouercas, è Græco Καλλι- μάχου car. LXXXI
Taltibij medici tumulus car. LXXXII
In uxores car. LXXXIII
Aliter car. LXXXIIII
De ſolicita potentũ uita, ad D. Cl. Vid. Lauallũ car. LXXXV
Ad Claud. Lonuium præſulem Ling. Card. car. LXXXVI
Felix quis car. LXXXVII
Ariſtotelis ſentẽtia, è Græco car. LXXXVIII
E' Græco ἀδήλου. LXXXIX
Vita humana, curſus ad mortem car. XC

Ad Rubellam car XCI
Ad Carolum T. car. XCII
Ad eundem. car. XCIII
De Alaſtore, & monacho car. XCIIII
Homeri ſententia car. XCV
E Græco ἀδήλου *car.* XCVI
E Græco ἀδήλου XCVII
Ad puellā car. XCVIII
E Græco Σαμίου *car.* XCIX
De libello ſuo car. C
In Codrum car. CI
Ad Ioan. Sturmiū car. CII
Monoſticha in ærumnas Herculis, ad D. Quarlecoium car. CIII
In quempiam car. CIIII
Ἀδέσποτον *Græcū car.* CV
E Græco Νικάρχου *car.* CVI
De puellarum delectu car. CVII
Ad Richerium amicū, qualem ſibi amicam uelit car. CVIII
Aliud car CIX
Aliud car. CX
Aliud car. CXI
Aliud car XII
In malū quempiam ducē, è Græco ἀδήλου *car.* CXIII
In diſceßum ſuum ab urbe Valentia car. CXIIII
Diſtichon in eodem itinere car. CXV
Tetraſtichon ad effigiem Solis car. CXVI
In Caſtorem & Caſtoriū car. CXVII
Ad Rubellam puellam car. CXVIII
Ad eandem car. CXIX
Ad eandem car. CXX
E Græco Σαμίου *car.* CXXI
Ad Florimundū Guttanū car. CXXII
Θρῆνος *car.* CXXIII
In puerū ſuum cognomento Durū car. CXXIIII
Somnia car. CXXV
Aliter car. CXXVI
In quendam effœminatū car. CXXVII
Fides Chriſtiana CXXVIII

De

De coniugum miſerijs car. CXXIX
Ad Lud. Carinum Heluetium car. CXXX
Linguá car. CXXXI
In quempiā ψευδαττικιστῶν car. CXXXII
Ex D. Paulo, de carne & ſpiritu car. CXXXIII
Ad D. Margaretā à Francia Nauar. reginam car. CXXXIIII
Ad Lucium Stellam car. CXXXV
In eandem ſententiam car. CXXXVI
Ad libelli ſui emptorem car. CXXXVII
In quēdam car. CXXXVIII
E Græco τοῦ Παλλαδᾶ car. CXXXIX
E Græco τοῦ αὐτοῦ car. CXL
Ad pueros condiſcipulos ſuos car. CXLI
Verſus celebris Græcus car. CXLII
In Ponticum car. CXLIII
In Grondillum Ludimagiſtrum car. CXLIIII
In eundem car. CXLV
In eundem car. CXLVI
In quendam car. CXLVII
In eundem car. CXLVIII
Iac. Carmolei Quæſtoris tumulus car. CXLIX
Amico car. CL
Roſaria car. CLI
Roſa rubra car. CLII
Roſa alba car. CLIII
Flos, qui Soliſequiū CLIIII
Ad D. Margaretā à Francia Nauar. Reginam car. CLV
E Græco τοῦ Ἀμμιανοῦ in Marcum car. CLVI
Illuſtris equitis A. T. epitaphion car. CLVII
Ad quendam car. CLVIII
E Græco Σαμίου car. CLIX
In Caſcam car. CLX
In ſeipſum, è Græco Σαμίου car. CLXI
In Caſtrum & Violetum car. CLXII
In Caſtrum car. CLXIII
Ad fratrem Io. Borboniū

car. CLXIIII
Ad Luc Stellam.
car. CLXV
Conſultò agenda omnia
car. CLXVI
Tempus car. CLXVII
In Copum medicum
car. CLXVIII
Virgilium per i, non Vergiliũ per e, dicendum
car. CLXIX
Ad Caroliũ P. car. CLXX
Ad eundem car. CLXXI
De indigna clade noſtrorum apud Neapolim
car. CLXXII
Henrico Lautreco Fuxæo
car. LXXCIII
In fortunã, è Græco Σαμίου
car. CLXXIIII
E Græco τ̃ αὐτοῦ
car. CLXXV
Ad quemlibet amatorem
car. CLXXVI
In Publium & Paphium
car. CLXXVII
In eoſdem car. CLXXVIII
In ſophiſtã quendam, & ineptũ uerſificatorẽ
car. CLXXIX
Εἰς τοὺς μώνωπας, è Græco Πολιτιανοῦ car. CLXXX
E Græco Σαμίου
car. CLXXXI
De Rubella car. CLXXXII
Ad pueros puellasq; colluſitanteis car. CLXXXIII
Ad Carolum T.
car. CLXXXIIII
In ſeipſum car. CLXXXV
In quendã, è Græco Σαμίου
car. CLXXXVI
P. Robino homini multiſcio car. CLXXXVII
Ad Claudiũ Borboniũ patruum car. CLXXXVIII
De G. Budæo
car. CLXXXIX
Ad Franciſcũ Card. T.
car. CXC
E Græco ἀδήλου
car. CXCI
Ad Rubellã car. CXCII
Ad Deũ opt. max. pro Iacobo T. car. CXCIII
Vita æterna pijs expectãda

da car. CXCIIII
In Zoilum car. CXCV
Carmen quod admodum puer luſit car. CXCVI
Tetraſtichon ex tempore carmen CXCVII
De graculo & perdice car. CXCVIII
D. Fräciſco T. car. CXCIX
In Lucianum car. CC
In Sutorem, Eraſmi obtrectatorē car. CCI
Poëta dolet uulgi uicem car CCII
Ad Franc. T. car. CCIII
Ad Claudium Pardianum car. CCIIII
Ad eundem car. CCV
In Palladium Soranum car. CCVI
Ad Lud. Carinum car. CCVII
Paupertas car. CCVIII
Ad Iacob. Tuſanum præcept. car. CCIX
De Gellia Ducherij Vultonis amica car. CCX
Ioan. Tygnatio Iudici Lugdunen. car. CCXI
In Cupidinem car. CCXII
Car. Fontano car. CCXIII
In uerſificatorũ turbã, ad Io. Attichiũ. CCXIIII
In quempiam φιλ. κατα6ρ car. CCXV
In ſeipſum, ad G. Puteanũ car. CCXVI
Deus, quos amat, caſtigat car. CCXVII
Laurentio Rabo Gratianop. Senatori car. CCXVIII
Θρῆν@ car. CCXIX
Ad Nicolaũ Ambroſium car. CCXX
In Ruſum car. CCXXI

INDEX TERTII LIBRI.

Alluſio ad carmẽ τῦ Εὐαχίδ. de eloquentia car. I
Facundia. car. II
Deſ. τοῦ μεγάλ. Eraſmi Rot. epitaphion car. III
Aliud Græcè car. IIII

Ad Carolum T. car. v
Patri ſuo Ioan. Borbonio Vandop. car. vi
Vir prudens, è Græco ἀδήλου car. vii
De Hāſo Vlbio, et Georg. Reperdio pictoribus car. viii
In Rabellum car. ix
Ad inuidum car. x
Amor, è Græco ἀδήλου car. xi
Ad Iacobū T. uirū clariß. car. xii
Ad lectulum ſuū car. xiii
In ſophiſtas car. xiiii
E Græco τ͂ Λουκιλλίου car. xv
Ad G. Ruſſellū Oleronen. pont. car. xvi
Diſtichon, è Græco Σαμίου car. xvii
Ad amicū iocus car. xviii
Reſpondet pro eodē amico, in ſeipſum car. xix
Ad Claudium Robertetū car. xx
Ad Carolū T. car. xxi
Ad eundem car. xxii
& xxiii
In ignauos Chriſtianos car. xxiiii
E Græco Σαμίου car. xxv
In pigros car. xxvi
In mulieres, è Greco Σαμίου car. xxvii
Ad Parentium amicum car. xxviii
In fortunam car. xxix
E Græco Samij car. xxx
In Albinium iuuenem Hiſpanum car. xxxi
In Venerem uentris amicam car. xxxii
De Strazelio et Sturmio, amicis & doctiß. car. xxxiii
Pueri carmen ad amicum car. xxxiiii
Ad B. Theocrenum car. xxxv
Ad CHRISTVM car. xxxvi
De ſeipſo car. xxxvii
Ad quendam miſerè amantem car. xxxviii
In Zoilum car. xxxix

Gal-

Galliæ ἐγκώμιον car. XL
Ad Nicolaũ Ambroſium
car. XLI
In obitum Samij amici
car. XLII
In Ianum effœminatum
car. XLIII
E Græco Λουκιανοῦ
car. XLIIII
De ſacroſancto nomine
IESV car. XLV
Ad R. D. Iacobũ T. præſu
lem deſignatũ car. XLVI
Ad D. Iuſtum T.
car. XLVII
In fronte libri epiſt. diui
Pauli, è Græco Σαμίου
car. XLVIII
E Græco ἀδεσπότου
car. XLIX
Aleator loquitur, è Græco
Σαμίου car. L
Chriſtus in cruce pendẽs
loquitur car. LI
Ad animam Chriſtianam
car. LII
E Græco Καλλιμάχου
car. LIII
Ad Carolũ T. car. LIIII
In aleam, è Græco Σαμίου
car LV
E Græco car. LVI
De S. Marcello martyre
car. LVII
Eiuſdem epitaphion
car. LVIII
Ad Iacobũ T. Antiſtitem
car. LIX
Ad citharã, ſcripſit puel-
lus car. LX
In ſeipſum car. LXI
Ad lectorem car. LXII
Ad Deum car. LXIII
E Græco Σαμίου car. LXIIII
In Vandoperam
car. LXV
Antonij Palmerij epita-
phion car. LXVI
Ad Palmeriũ præſulem
car. LXVII
Ad Iuſtum T. car. LXVIII
D. Henrico Lautreco Fu-
xæo, puero nobiliß.
car. LXIX
Ad puellam car. LXX
Humanæ uitæ deploratio

ad

ad pueros car. LXXI
In quempiam, è Græco Σαμίου car. LXXII
Homeri actor ſeu repræſentator car. LXXIII
In mendaces car. LXXIIII
Ad Renatum Parentium car. LXXV
Ad Antoniũ Oliuarium car. LXXVI
Ad Io. Salazariũ Archid. Senonen. car. LXXVII
Ad eundem, in Italiam abiturientẽ car. LXXVIII
Ad Io. Vbelium, & Io. OporinumBaſilien. car. LXXIX
Ad ciues Trecenſeis car. LXXX
Ad paruã puellã, è Græco Samij adhuc pueri car. LXXXI
Puer car. LXXXII
Ad Chriſtum ὕμνος car. LXXXIII
E Græco Σαμίου car. LXXXIIII
Dialogus Virginis ſacræ, et adoleſcentis, ad Thomã Sertinũ car. LXXXV
In And. Alciatum car. LXXXVI
E Græco Σαμίου car. LXXXVII
In ſcipſum, ad Oliuium Borgoniũ car. LXXXVIII
Ad D. Lud. Catilium car. LXXXIX
E Græco Λουκιανοῦ car. XC
Ad Iul. Camillũ car. XCI
Floreto theologo car. XCII
S. Thomæ, & Io. Berruẽrio, amicis ſing. XCIII
In Zoilum car. XCIIII
In Pythagoram car. XCV
Ad puellum diſcipulum ſuum car. XCVI.
Ad D. Mariam Virginem Deiparã car. XCVII
E Græco τοῦ Σαμίου car. XCVIII
In noctem natalis domini Chriſti, ad Achil. Decombũ car. XCIX

Ad

Ad CHRISTVM car. C
Ad Zoilum car. CI
In pſittacum & puerum nomine Piũ car. CII
In Laurentium Vallam car. CIII
Ad Ant. Caſtronouanum Tarbellorũ pont. CIIII
In malignos lectores car. CV
In Pumicem homuncionẽ glorioſulum car. CVI
Ad Carolũ T. car. CVII
De ſeipſo car. CVIII
In Cupidinem dormientem car. CIX
Ad Carolũ T. car. CX
Ad eundem car. CXI
Ad Franciſcum Galeatũ car. CXII
Ex Franciſco Petrarcha car. CXIII
Ad Cupidinem car. CXIIII
Ad Io. Oliuarium Andiũ pontificẽ car. CXV
De amore ad Ioan. Tuanũ Pariſien. car. CXVI
Vnũquenq; ſuã ferre crucem oportet car. CXVII
Ad Coronæũ car. CXVIII
In eundem car. CXIX
Ad Carolũ P. car. CXX
Duorũ fratrũ epitaphion car. CXXI
E Græco Σαμίν car. CXXII
Ad puellam car. CXXIII
E Græco ῥ Σαμίου car. CXXIIII
Ad Chriſtianos car. CXXV
In ædes Marſiliani tyranni prædiuitis car. CXXVI
Ad D. Ieſum Chriſtum car. CXXVII
Carmen uerſum ex Heſiodo car. CXXVIII
Idem aliter car. CXXIX
Iocatur in ſeipſum, liuorẽ prouocans car. CXXX
In Ioan. Berr. Pariſien. car. CXXXI
Ad Lodoicũ Carinũ Heluetium car. CXXXII
De Melle indico, è Græco Σαμίου car. CXXXIII
In Diogenem Cynicum car. CXXXIIII

Ad

Ad Deum opt. max. Ode Aſclepiad. car. CXXXV
E Græco ἀδήλου car. CXXXVI
In Cæcilianam car. CXXXVII
Ad lectorē car. CXXXVIII
In Lepticū car. CXXXIX
E Græco Σαμίου car. CXL
In liuorem car. CXLI
De Chriſtianis, ex apologo Tertull. car. CXLII
Ad Franc. Pucrium car. CXLIII
Prouerbium ex uulgi fæce decerptū car. CXLIIII
Ch. Longolij eloquentiſſ. uiri tumulus car. CXLV
Aliud car. CXLVI
Ad Franc. Gal. car. CXLVII
De ſeipſo, et Rubella puella, ad Chriſtoph. Richerium car. CXLVIII
In inuidos, è Græco car. CXLIX
In libellum ſuum car. CL

INDEX QVARTI LIBRI.

Ad Franciſcū Pucrium car. I
In uerſificatorem maledicum & impium car. II
De G. Budæo car. III
In Venerem & Cupidinē car. IIII
Lod. Dintauilli epitaph. car. V
Ad Carolum Caluū Iuliodunen. car. VI
E Græco τοῦ Σαμίου car. VII
In ſeipſum & Cæliam car. VIII
De Eraſmo Roterod. car. IX
De ſomnio ſuo, ad Carolū Pucrium car. X
E Græco ἀδηλωτέρου ἢ Παλλαδᾶ car. XI
In quendā ψαλομόναχον, ad Mat. Vauxellū Lugd. car. XII

Ad

Ad Maßilianum amicum car. XIII
Amor cæcutiens, ad Io. Ræneriũ, è Græco Samij car. XIIII
E Græco ἐξ αὐτοῦ, mater ad filium car. XV
In inuidũ, è Græco Πολι-ζανοῦ car. XVI
εἰς τὴν ῥώμην, è Græco Σαμίου car. XVII
In podagrã, ferme, è Græco ἀδεσπότου car. XVIII
In quempiam B, pro V, conſonante proferentem car. XIX
In natalẽ domini Chriſti, ad C. Hemardium card. car. XX
Ad Daneſiũ uirũ doctiß. car. XXI
De Gilb. Ducherio, & Ant. Auguſto amicis car. XXII
Ant. Auguſto Aruerno car. XXIII
Ad Daneſiũ car. XXIIII
Ad Iulianum H. doctiß. iuuenem car. XXV
D. Hẽrico Lautreco inclyto puero car. XXVI
Steph. Piloſtio car. XXVII
Ad Baptiſtã Salazarium car. XXVIII
Io. Gallo condiſcipulo car. XXIX
Ad Simonem Gryneum car. XXX
De Lod. Carino Heluetio, & Mich. Vaſcoſano car. XXXI
Ad libellum ſuum car. XXXII
Iacobi Carmolei Quæſtoris epitaphiõ car. XXXIII
Ad Muſam car. XXXIIII
Ad Rubellam car. XXXV
Ad Lud. Viuem, uirũ eruditiß. car. XXXVI
Ad Gul. Budæum car. XXXVII
Ad puerum plorantem car. XXXVIII
Catulli imitatio car. XXXIX
Ad Terentiolũ ſuũ car. XL

Ad

Ad Claudium Roberteтũ car. XLI
Ad Citharã, quam ad P. Corneliũ ſuum remittit car XLII
Ad lectorem nauſcantem car. XLIII
Ad Ludouicũ Carinum. car. XLIIII
Ad Ioan. Salazarium Archid. Senonen. car. XLV
D. Loyſæ matris regis, epitaphion car. XLVI
Ferraria, ad Georgium à Quarlecoio Ricæi Toparchũ car. XLVII
Poëta ad uirtutem exhortatur omneis car. XLVIII
Diſtichon Homeri præclarum ex lib. Iliad. IX car. XLIX
Idem aliter car. L
Idem car. LI
Contra uulgi opinionem car. LII
Græcè ſic utcunq; car. LIII
Ad præceptores, ſeu puerorũ formatores diſtichon car. LIIII
Aliud car. LV
Idem Græcè car. LVI
Ad pueros car. LVII
Ad Gallum car. LVIII
Ad hunc libellum car. LIX
Salmonio Macrino poëtæ car. LX
Ad eundem car. LXI
Ioan. Borbonij patris, et Ioan. filij Vandop. optimorum ſenũ epitaphion car. LXII
Ad Claudium Borboniũ patruũ car. LXIII
Mariæ Gallariæ matris opt. epitaphion LXIIII
Pub. Virgilij Maronis epitaphium Græcè car. LXV
Latinè car. LXVI
Ad Rabelæſum car. LXVII
Ad unũquenq; Chriſtianũ Ode car. LXVIII
Ad Ioan. Pelliſſonem car. LXIX
Exhortatio ad modeſtiã, è Græco

ė Græco & Auſonio car. LXX
Hoſpes quiſpiam, & Agathocles rex colloquuntur car. LXXI
In ſeipſum car LXXII
In ſenem quendam car. LXXIII
In Hugonē, ė bello redeuntem car. LXXIIII
In eundem car. LXXV
De ſeipſo in quendam carminū ſuppilatorem car. LXXVI
In eundem car. LXXVII
In eundem car. LXXVIII
In eundem car. LXXIX
In huius ſeculi ſapienteis car. LXXX
Ad D. Thomam Cramoēllum car. LXXXI
Britāniæ laus car. LXXXII
Ad D. Ioannē Dudlæū, & D. Henricū Cneuetum Britānos car. LXXXIII
In ſeipſum, ἐξ ἔργου car. LXXXIIII
In uerſificatorem furacē. car. LXXXV
Ad D. Ant. Oliuarium car. LXXXVI
Ad Iacob. Alnetū poētam car. LXXXVII
De urbe Londino et Thameſi fluuio car. LXXXVIII
Poēta quaſi digito oſtendit Vandoperæ patriæ ſuæ ſitū car. LXXXIX
Fides Chriſtiana car. XC
Ad mendicum quendam car. XCI
Ad Tuſanum præceptorē car. XCII
De Salmonio Macrino poēta car. XCIII
In Carolū Cæſarem, Gallias inuadētē car. XCIIII
Ad eundem car. XCV
Ad Galliam car. XCVI
Ad H. Sabellū car. XCVII
In Car. Cæſarē car. XCVIII
In ſeipſum car. XCIX
E Græco τ̃ Λουκιλίου car. C
In mendicū quēpiā car. CI

M In

In Hugonem glorioſum militē car. CII
Vini Belgici laus car. CIII
Idē Latinè utcūq; car. CIIII
Ad Gul. Budæum, Galliæ lumen car. CV
Idē ferè Latinè car. CVI
Phocylidis Græcus uerſus Latinè redditus car. CVII
In domū clariß. uiri D. Io. Dintauillæ car. CVIII
In quēdā Batauū nomine Simonem, proditorem car. CIX
In ſeipſum car. CX
Ad Lanc. Carolæū car. CXI
In Laurū amicū car. CXII
De Nugis ſuis car. CXIII
Ad Iacobum Alnetum poē tam car. CXIIII
Græci Theognidis ſenten tia car. CXV
In miſerias humanas car. CXVI
Θρῆνος car. CXVII
Græci epigrāmatis τοῦ Δημητρίου imitatio car. CXVIII
Latinè car. CXIX
Idem ferè car. CXX
Εἰς γυναῖκας car. CXXI
Ad Ioan. Perellū ἐρημοχώριον car. CXXII
Lectori car. CXXIII

INDEX QVINTI LIBRI.

AD pueros carmen de moribus car. I
Ad eoſdem pueros car. II
Iocatur poëta Borbonius cū pueris diſcipulis ſuis, in Pædagogium ſuum, quod trecentis uerſibus conſtat car. III
Ad nobiliß. adoleſcent. Claud. Rohanū car. IIII
Conſecratio menſæ car. V
Gratiæ car. VI
Cōſecratio menſæ, Græcè car. VII
Gratiarum actio car. VIII
Alia conſecrationis formu la car. IX
Gratiæ car. X

Ad-

Adflictio domini CHRISTI, *in ſeptē horas digeſta, ad* Oddonem *Caſtellionen.* Cardinalem *car.* XI
Hora diei prima car. XII
Hora tertia car. XIII
Hora ſexta car. XIIII
Hora nona car. XV
Hora ueſpertina car. XVI
Hora nocturna car. XVII
D. *Frāciſci* Delphini, *immaturam mortē deflet poëta car.* XVIII
In febrim, ut dimittat D. *Carolum,* Franc. *regis filium car.* XIX
In Henrici Richemondiæ *ducis obitū car.* XX
In gratiam Ioan. Dintauilli *Polyſij car.* XXI
De H. Careo, H. *Norſio,* Th. *Haruæo car.* XXII
D. *Marg. à Frācia reginæ Nauarræ car.* XXIII
Ad Th. Cramoëllū Anglū car. XXIIII
Frāciſci Delphini liberū regiorū natu maximi, tumulus car. XXV
Alluſio ad illū Homeri *locū,* ἔθει λειμόνι, *&c. car.* XXVI
Ad Frāc. Pucriū car. XXVII
Alluſio ad illud uetus diſtichon Θεόγνιδος *car.* XXVIII
Chriſtophoro Richerio amico doctiß. car. XXIX
Ad D. M. *Nauarræ reginā car.* XXX
Ad Gul. Lateranum uirū doctiß. car. XXXI
Vetus ſententia Græca, ſenariolo adſtricta car. XXXII
In poëtā furacē car. XXXIII
Ad illuſtriß. heroa D. *Ioan. à Lauallo, Caſtri Briantij in Armoricis Toparchū car.* XXXIIII
Ad eundem car. XXXV
In poëtam furacem car. XXXVI

In eundem car. XXXVII
In impios ἐπ' ἀθέους car. XXXVIII
In fronte libelli, De corrupti ſermonis emendatione car. XXXIX
Io. Paluſio, & P. Tegulario, egregijs medicis car. XL
Ad puerũ ſuũ car. XLI
Deorũ aliquis conqueritur de hominibus, ex Homero car. XLII
Salmonio Macrino poëtæ car. XLIII
Chriſtophoro Richerio car. XLIIII
Θρῆνος, è Græco Σαμίου car. XLV
Ad Salmonium Macrinũ poëtam car. XLVI
In Gargilianũ car. XLVII
E Græco ἀδιάστροφον car. XLVIII
Gallæ meretricis epitaph. car. XLIX
Salmonio Macrino poëtæ car. L
Ad eundem car. LI
In inuidũ quendam nomine Megerã car. LII
Εἰς ἄρ αὐτόν car. LIII
Macrino Salm. poëtæ car. LIIII
Clementis Maroti poëtæ Gallici laus car. LV
In fronte Elegiarũ recens ab Alneto poëta æditarum car. LVI
In quempiam, è Græco Σαμίου car. LVII
Ex uulgari carmine Clem. Maroti, iocus car. LVIII
Ad Stellam car. LIX
Ad eundem car. LX
E Græco Σαμίου, in mulieres car. LXI
M. Salmonio poëtæ car. LXII
De eiuſdem poëtæ patria car. LXIII
Iacobo Borbonio fratrũ minimo

minimo car. LXIIII
Franciſco Pucrio car. LXV
Carolo Pucrio car. LXVI
De paſſere mortuo Lampadis puellæ, ex uulgari Maroti car. LXVII
De ſe, Publioq́; et Paphio car. LXVIII
Ad Macrinum Salmoniũ ſuum car. LXIX
Ad Iacobũ Baratanũ amicum car. LXX
In ineptos huius temporis uerſificatores, ad Tho. Sertinũ Florent. car. LXXI
De ſeipſo car. LXXII
F. Pucrio, ſcripſit æger car. LXXIII
Ad eundem, Virgilij ὑποκριτής car. LXXIIII
Ioanni Lemoſto, Spinæ domino, medicoq́; Lauallenſi car. LXXV
In febris acceſſu car. LXXVI
In medicos car. LXXVII
Fráciſco Tuano Pariſien. amico car. LXXVIII
Ioan. Sciurello medico, et amico car. LXXIX
Ad eundem car. LXXX
Θρῆνος ad Muſas car. LXXXI
Ad F. Pucriũ car. LXXXII
Ad eundem car. LXXXIII
In Marcum medicũ malũ car. LXXXIIII
De eodem Marco, & Charonte car. LXXXV
Ad Gallũ Cryſium diſcipulũ car. LXXXVI
Henaldo amico car. LXXXVII
Bernardo Badeto iureconſ. car. LXXXVIII
Ad eundem car. LXXXIX
Ad eundem car. XC
In impios car. XCI
Εἰς γλιμον, ad Ambroſium Pamphilũ car. XCII
Poëta uerbis Pamphili ſic reſpondet car. XCIII
Poëtæ conſiliũ ad eundẽ car.

car. XCIIII
Ad Aulum Pl. car. XCV
In Ponticũ impuriſſ. nebulonem car. XCVI
In ſeipſum car. XCVII
R.P. Franciſco Turnonio Card. car. XCVIII
Iocus ad Rubellam puellã car. XCIX
Ad Carolũ Turnoniũ præſulem Viuarien. deſignatum car. C
Ad eundem car. CI
E Græco τ̃ Σαμίου car. CII
Ἐκ τοῦ αὐτοῦ car. CIII
In Marcellinam car. CIIII
Hieron. Fondullo homini doctiſſ. car. CV
Ad optimæ ſpei adoleſc. D. Henricũ Lautrecũ Fuxæum car. CVI
Egregiæ indolis adoleſcenti, Claudio Vidoni Lauallo car. CVII
In Venerem & Cupidinẽ car. CVIII
E Græco ferè τ̃ Εὐανίδα
in Hecuba car. CIX
D. Henrico Lautreco hero car. CX
Ex Eſaiæ capite XLVIII car. CXI
In Hallã mulierẽ car. CXII
In Morum car. CXIII
Alluſio ad pulcherrimum illud τ̃ Θεόγνιδος diſtichon car. CXIIII
Ad Iacobũ Borboniũ, fratrum natu minimum car. CXV
Ad eundem car. CXVI
E Græco ἀδιάστατον car. CXVII
Ad Luc. Stellã car. CXVIII
Franciſco Pucrio à Beneſtæa cunctanti car. CXIX
Carolo Pucrio eiuſdẽ Frãciſci Germano car. CXX
Galliæ laus car. CXXI
Io. Frottæ reginæ Nauarræ à ſecretis car. CXXII
In quendam car. CXXIII
Io. Vulteio Remenſi amico car. CXXIIII

In

In Charidemũ car. CXXV
D. Henrico Lautreco Fuxæo, hero car. CXXVI
Lectori car. CXXVII

INDEX SEXTI LIBRI.

PVer nugigerulus loquitur car. I
Galliam, & quæ in ea eſt, patriam ſuam laudat poëta car. II
In congreſſu duorũ regũ car. III
Ad lectorem, de Grondillo & Candilio inhoneſtis literatoribus car. IIII
Beatus homo quis car. V
De Deſ. Eraſmo Roterodamo, quem obijſſe toties audierat car. VI
Chriſtianũ hominem quid deceat, ad Ligariũ amicum car. VII
Diſtichon Græcum Iacobi Tuſani Latinè redditũ car. VIII
Ad Rubellam car. IX
Ad eandem car. X
In imaginẽ ſui, ad Guliel. Buccetellum car. XI
In Hanſum Vlbium pictorem incomparabilem car. XII
In poëtã quempiã car. XIII
Ad Io. Cardinalem Lotharingum car. XIIII
Pueritiam ſolerter regendam eſſe, ad Thomam Haruæũ puerũ car. XV
Ad Ianum Oliuariũ Andiũ pontificẽ car. XVI
In ſophiſtas car. XVII
Ad Aulum condiſcipulum ſuũ car. XVIII
Ad Gallum amicũ intimũ ſuum car. XIX
Ad eundem Calendis Iãnuarijs car. XX
Ad Ioan. Borbonium patrem car. XXI
Pecuniam omnium rerũ dominã eſſe, uirtuti tãmen cedere, ad Ioannem Ginoliac. Montis

Sãquintini cœnobiarcham car. XXII
Ad *Cornelium* Heyſſum, *Regiũ in Anglia aurificem car.* XXIII
In *alienorũ carminũ ſuppilatores car.* XXIIII
Comparatio, *de urbe capta,* ὑποκριτὴς *Virgilij car.* XXV
Ad *Gallum amicũ præcipuũ car.* XXVI
Ad *eundem car.* XXVII
In *quendã montes aureos pollicitantẽ car.* XXVIII
In *quendam car.* XXIX
In CHRISTI *domini natalem,ad* Petrum *Dapeſtegyum car.* XXX
In *tenebras illas,quæ moriẽte domino Chriſto, uniuerſum orbem inuaſerunt, ad eundem car.* XXXI
Nicolao *Copo,&* Guliel *mo Syluio medicis celeberrimis car.* XXXII
Ad *Thomã Crammarum Cantuarien. antiſtitẽ car.* XXXIII
Sententia Muſonij philoſophi ex Aul.Gellij libro XVI *ad Gaſt.Oliuariũ car.* XXXIIII
Ad *Thomam Gadagnium car.* XXXV
Χρισιανισμός *car.* XXXVI
Ad *Francum puerum car.* XXXVII
Ad *Paulũ Antonium Gadagniũ car.* XXXVIII
De *ſimia globo alligata, ad* Io.*Duperatium,*Io. *Suppræfecti Lugdun. filium probæ indolis puerũ car.* XXXIX
Ad D. *Margaretã à* Fran *cia Nauarræ Reginã car.* XL
Ad D.*Vuil.Boſtonum Vueſtmonaſterij Cœnobiarchã car.* XLI
Ad *Rubellam car.* XLII
In *quempiam prædiuitem &*

& decoctorem, ferme è Græco car. XLIII
Ad Paulum *Antoniũ Gadagnium car.* XLIIII
Ad D.*Luc.Stellam car.* XLV
Sermo,ſeu uerbum Dei *car.* XLVI
Idem aliter car. XLVII
*Ad Ioan.*Bellaium *Cardinalem car.* XLVIII
Ad quendam amicum car. XLIX
De Gallo amico candidiſſimo, & liberaliſſimo car. L
Ad Margaretã à Francia Nauar.*Reginam car.* LI
Ad inclytum heroa Annã Mommorancium car. LII
In fronte cuiuſdam libri à Clement.Maroto ędit i ad lectorẽ car. LIII
Aliud carmen in hymnos eiuſdem Clem. Maroti car. LIIII
Ad dominum Chriſtum, θρῆνος *car.* LV
Ad lectorẽ, de Nugis *ſuis car.* LVI
Ad Rubellam *car.* LVII
Ad Philippum *Cabottiũ Maris præfectum car.* LVIII
Lucio Stellæ car. LIX
In quempiam, θρῆνος *car.* LX
Ad Chriſtophorũ Richerium *car.* LXI
Ad Berteletum *Regiũ in Anglia bibliopôlam car.* LXII
Ad Aulum puerum car. LXIII
In quempiã, ferme è Græco ἀδήλου *car.* LXIIII
In eundem car. LXV
Ad Aulum puerum car. LXVI
Diſtichon uerſum è Græco τοῦ Αὐτομέδοντος *car.* LXVII

Aliud car. LXVIII
Iouis epitaphion, è Græco ἀλλότριον car. LXIX.
E` Græco τοῦ Σαμίου car. LXX
Pſalmus τοῦ Δαβίδ XV. *ad Petrũ Liſetum præſidem car.* LXXI
Ad Deũ patrẽ car. LXXII
Aliter car. LXXIII
In ſeipſum car. LXXIIII
Lectori car. LXXV
In ſeipſum, ad Carolũ Pucrium car. LXXVI
Ad Rubellam car. LXXVII
In quendam obtrectatorẽ car. LXXVIII
Ad Menaldũ Marthoriũ Cozeranũ præſulem car. LXXIX
De fato, ad Ioan. Ginoliac. Mõtis Sanquintini cœnobiarchã car. LXXX
Ad Chriſtophorũ Richeriũ Senonen. car. LXXXI
Lutetiæ Pariſiorum ἐγκώμιον *ad Auguſt. Tuanũ, ſenatorem Pariſien. car.* LXXXII
Ad eandem Lutetiam car. LXXXIII
Ad amicum ægrotantem car. LXXXIIII
Pſalmus Dauidis CXIII. *Latinè uerſus, in gratiam reginæ heræ car.* LXXXV
Ad F. Laurum Vaſconem car. LXXXVI
Iacobo Sadoleto pont. car. LXXXVII
In fronte libri de laudibus philoſophiæ ab eodem Sadoleto editi car. LXXXVIII
Quur Mors nemini metuẽda, ad F. Pucriũ à Beneſtæa & Carolum eius fratrem car. LXXXIX
In mores ſui temporis, ad Renerium & Ducherium car. XC
D. Io. Vauxello Lugdun. car. XCI
Ad Laurentiũ Theyſiũ cogno-

gnomēto ab Hercule car. XCII
In Zoilum car. XCIII
In nouā Martialis editionem car. XCIIII
De eadem editione, ad lectorem car. XCV
Ad Iacob. Amæū car. XCVI
Ad Claud. Dogirolium car. XCVII
Io. Piponij epitaph. car. XCVIII
Ad Muſas car. XCIX
Ad lectores car. C

INDEX SEPTIMI LIBRI.

AD Muſam, ut ſibi D. Hil. Bellaium Langiū conciliet car. I
Ad eundem, & Iac. Tuſanum præceptorē car. II
Ad Deū opt. max. pro dentium doloribus, ἔρανος car. III
Ad Iacob. Turnoniū Valētiæ antiſtitē car. IIII
Ad Franc. Cardinalē Turnonium car. V
Clariſſimo uiro Philippo Cabottio car. VI
Ad Lud. Carinum Heluetium car. VII
Ad N. puerū filiū eius, in cuius prædiolo unà cū Rubella ruſticabatur car. VIII
Ad Thomam Crammarū Cātuarien. Arch. car. IX
Ad eundem car. X
Εἰς τὴν παῖδα εὔμορφον car. XI
E Græco τοῦ Σαμίου car. XII
Ad Nicolaum Campanū car. XIII
Ad Reginam Britanniæ heram car. XIIII
Ad eandem car. XV
Paupertas car. XVI
Ad D. Catiliū Regis Franciſci, apud Anglos oratorem car. XVII
In Hirciū, è Græco τοῦ Σαμίου car.

car. XVIII
In eundem impuriſs. Hircium car. XIX
De N. Pompilio uiro præclaro car. XX
Ad Rubellam car. XXI
Ad Poſtellum car. XXII
Ad Plancũ car. XXIII
Ad N.P. iuuenem car. XXIIII
Ad eundem car. XXV
Ad Ant. Caſtronouanum Tarb. præſulem car. XXVI
In Plancum adoleſcentem luxu perditum car. XXVII
Iul. Camillo car. XXVIII
Ad amicum quempiam car. XXIX
Ad eundem car. XXX
In Charidemũ barbatulũ car. XXXI
In quempiam gibboſum car. XXXII
Εἰς τὸν αὐτόν car. XXXIII
In eundem, qui bonas literas earumq; cultores inſectabatur car. XXXIIII
In eundem car. XXXV
D. Latimero concionatori opt. car. XXXVI
In Mercurium, è Græco Σαμίου car. XXXVII
In Gibbum car. XXXVIII
Ad D. Dudlæum nobiliſs. equitem car. XXXIX
Ad C. P. M. in Britannia mecum agentem car. XL
Frãc. Boleni Mediolanen. epitaph. car. XLI
De ſeipſo car. XLII
Epitaphion N. R. amici ſingularis car. XLIII
In quempiam, è Græco ἀδήλου car. XLIIII
In Rubellam iocus car. XLV
Ad eandem car. XLVI
Salm. Macrini poëtæ laus car. XLVII
In Fluſcum Gibbi exulis

lis colluſorem

car. XLVIII

Quæ linguarum ſit præſtantiſsima, ad Mich. Deſmontilium

car. XLIX

In Morgarum car. L

Ex uernaculo Petrarchæ, de Laura. car. LI

Αἴσιχορ ἐκ τοῦ Παύλου, ad Io. Perrellum medicum

car. LII

Θρῆνος car. LIII

Ad Chriſtoph. Richerium Senonen. car. LIIII

N. Iureconſ. opt. uiri epitaphion. car. LV

De ſeipſo ægrotante, & medico, ad C. Pucrium

car. LVI

Ad Gul. Bellaium cognomento Langium

car. LVII

Idem Græcè utcunq;

car. LVIII

Ad eundem car. LIX

In quempiam car. LX

Εἰς τὸν αὐτόν car. LXI

Ad D. Batum amicum intimum Reginæ heræ cubicularium

car. LXII

Εἰς τὰς γυναῖκας, è Græco Σαμίου car. LXIII

Ad Reginam heram

car. LXIIII

Ad Muſam, et Cupidinem, imò ad D. Chriſtum

car. LXV

Ad Samium condiſcipulũ

car. LXVI

Ad D. Latimerum

car. LXVII

De miſeria poëtarũ, ad P. Antonium Gadagniũ

car. LXVIII

Sententia illa Ioan. Chryſoſt. ſufficiat diei ſua adflictio car. LXIX

Demoſth. ſententia carmine utcunq; reddita

car. LXX

Ad Salm. Macrinũ poëtã

car. LXXI

In Molorchum, ad Richerium poetā car. CXXV
Ad Helyen. præſulem car. CXXVI
Lectori car. CXXVII
In corruptiſs. quempiā iudicem car. CXXVIII
Ad R. Epiſcopum nuper factum car. CXXIX
Ad Franciſcum Regem car. CXXX
Ad eundem Calend. Ianuarijs car. XXXI
In Charidemum car. CXXXII
In eundem car. CXXXIII
In quempiam car. CXXXIIII
Ad Io. Dintauillū inclytæ urbis Trecarum prætorem ampliſs. car. CXXXV
Ad eundem car. CXXXVI
Ad Rubellam car. CXXXVII
Ad D. Antoniū à Burgo, magnum Franciæ Cancell. car. CXXXVIII
De morte, è Græco Σαμίου *car.* CXXXIX
Iocatur in ſeipſum, & in quendam paraſitum, ad Steph. Albreolum car. CXL
De ſeptem planetis, τιφᾶ ϛιχον *ad Thom. Sertinum Florent. car.* CXLI
Literæ, ſeu eruditio, quid: ad Noreſium & Careum pueros egregios car. CXLII
Poëta calamum ſuum alloquitur car. CXLIII
Calami reſponſio car. CXLIIII
Ad Io. Duperatium Lugdun. ſuppræfectum car. CXLV
Idem aliter, ad eundem car. CXLVI
In Charidemum, nouum aſtronomū car. CXLVII
Matris C. Caligulæ Cæſaris

ris epitaphion. car. CXLVIII
In fures carminum ſuorũ, ad Carolum Serram Tullen. car. CXLIX
E Græco ἐἰς Σαμίου car. CL
Ad huius libelli lectorem car. CLI
Ad Rubellam car. LII
De Venere fugienda, ad Io.Papilionem. car. CLIII
In Lorpium car. CLIIII
In Ollum nebulonem impuriſs. car. CLV
Lectori car. CLVI
Idem Latinè redditum car. CLVII
De Morte picta à Hanſo pictore nobili car. CLVIII
Nicolao Barptolemæo Lochienſi poëtæ car. CLIX
Ad G.Vercellanum car. CLX
In fronte carminũ à Gilb. Duchèrio editorum car. CLXI
De Rob.Buliodo,& Ben. Buaterio car. CLXII
Iano Guttano car. CLXIII
Ad Godefridũ Beringium car. CLXIIII
Auari cuiuſpiam tumulus car. CLXV
Simoni Gryneo uiro undecunq; doctiſs. car. CLXVI
Ioan.& Franc. Frellæis fratribus, apud Lugdunum bibliopolis car. CLXVII
Magdalenæ Lachenææ Pariſienſis puellæ epitaphion car. CLXVIII
Εἰς τὰς γυναῖκας, è Græco ἄδηλον car. CLXIX
Io.Cornelij,& Nyſiæ cõiugis epithalamium car. CLXX
Ad eoſdem coniuges car. CLXXI

Ad parentum manes
car. CLXXII
Manes reſpondent
car. CLXXIII
Lingonum laus
car. CLXXIIII
Ad Rubellam
car. CLXXV

INDEX OCTAVI LIBRI.

SVmma utriuſque inſtrumenti car. I
Ad Philippum à camera Card. Bolognium
car. II
Θρῆνος car. III
Ad Gul. Mainū, Belli loci cœnobiarchā car. IIII
Θρῆνος, ad dominū CHRISTVM car. V
Ad Margaretā à Francia, Nauar. Reginam
car. VI
Ad Deum patrem
car. VII
Ad Regem Franciſcum
car. VIII
De eodem car. IX
Ad eundem Regem car. X
Ad Rubellam puellam
car. XI
Thomæ Gadagnio
car. XII
Ad Deum patrem
car. XIII
Ad R. D. Georgium, Rutenorum pontificem
car. XIIII
In ſcipſum, ad H. Cneuetū
car. XV
De nimia uerſificatorum noſtri temporis multitudine car. XVI
Ad Gallum puerum
car. XVII
D. Frāciſcæ Fuxææ tumulus car. XVIII
D. Henrico Lautreco Fuxæo hero car. XIX
Carolo Stephano, & Michaëli Vaſcoſano
car. XX
In ſcortū quoddā iam uictum.

tũ ode Sapph. car. XXI
Cl. Athenodoro amico ſing. car. XXII
In fronte cuiuſdã commẽtationis theologicæ, ad lectorem car. XXIII
Ad Iul. Cæſarem Scaligerũ poëtam car. XXIIII
De nouem Muſis ex Theogonia Heſiodi uerſus Latine redditus car. XXV
Carolo Marilliaco car. XXVI
Sebaſtiano Gryphio typographo car. XXVII
D. Henrico Lautreco hero car. XXVIII
Ad Frãc. Pucriũ car. XXIX
De Virgilio, cæteriſq; poẽtis Latinis, ad Merlinũ Sangelaſium car. XXX
Honorato Veratio Arelaten. car. XXXI
Ad eundem car. XXXII
Lucæ Copo Iureconſ. & Claud. Athenodoro car. XXXIII
In impios καὶ ἀθέους car. XXXIIII
De Dampetro, & Macrino poëtis car. XXXV
In picturam Hanſi regij pictoris car. XXXVI
E Græco ἀλέκτορ car. XXXVII
Ad Iacobũ Oliuariũ Cancel. Alenc. car. XXXVIII
Ad D. Henricũ Lautrecũ Fuxæum herum car. XXXIX
Ad eundem car. XL
Ad eundem car. XLI
Ad Simonem Gryneũ Baſilien. car. XLII
Θρῆνος car. XLIII
Ioan. Vulteio Remenſi car. XLIIII
In laudem Salmonij Macrini, & Gelonidis eius uxoris, ode car. XLV
De Gelonide Macrini car. XLVI
De Fauſto Andrel. Bapti-

ſtaq; Mantuano, & Petro Roſeto poëtis, ad Antonium Perardum car. XLVII
De ueneräda Senatus atq; magiſtratuũ dignitate, ad præſidem Liſetum car. XLVIII
In doloſos ϗ κόλακας, ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ ferè car. XLIX
Item aliud ἐκ τοῦ Παλλαδᾶ car. L
Mauricio Scæuæ Lugdun. car. LI
Vandopera, natale poëtæ Borbonij ſolum car. LII
Ad D. Henricum Lautrecum Fuxæum herum car. LIII
D. Gul. Pogetio præſidi car. LIIII
In frõte epiſt. D. Pauli ἀνεξόχου, ad lectorem car. LV
Ad Gul. Scæuam Lugdun. car. LVI
D. Henrico Lautreco hero car. LVII
Godefrido Beringio amico car. LVIII
Ad lyram, ode Sapph. car. LIX
Alluſio ad Paulinã ſententiã ad Ant. Ardillonem car. LX
Ad Ioan. Cheradamum car. LXI
In quendam alienorũ carminum ſuppilatorem, & corruptorem car. LXII
Claudio Boyſſoneo car. LXIII.
Ad P. Antoniũ Gadagniũ car. LXIIII
Ad D. Henricum Lautrecum herum car. LXV
Ad Bigotiũ, de nimia uerſificatorũ huius tẽporis multitudine car. LXVI
Ad Gillium Pomeraium car. LXVII
In auaros car. LXVIII

Franc.

Franc. Piocheto, & Ioan. Ræncrio car. LXIX
In Marullam anū car. LXX
Ad Nicolaum Beraldum Aurelium car. LXXI
Ioan. Grolierio, uiro forti car. LXXII
In fortunam car. LXXIII
D. Iacobo Calliæ, et Acmaro à bello ioco Lugdun. car. LXXIIII
Ad CHRISTVM dominū car. LXXV
Iacobo Lodoico Remen. uiro doctiß. car. LXXVI
Petro Caſtellano anagnoſtæ regio car. LXXVII
Ad eundem car. LXXVIII
Ad omneis homines car. LXXIX
Latinè car. LXXX
Clem. Maroto, & Ioan. Sagoni car. LXXXI
De ſeipſo car. LXXXII
D. Antonio cognomento à Leone ſenatori Pariſien. car. LXXXIII
Ad nobiliß. heroa Hiler. Bellaium Langium car. LXXXIIII
Otium conuenire Muſis, ad Ioan. Duperatium Lugdun. car. LXXXV
Poëta ad lectorem car. LXXXVI
Idem Latinè utcunq; car. LXXXVII
Ad quendā car. LXXXVIII
Ad Frāc. Tuanū Pariſien. D. Lautreci à ſecretis car. LXXXIX
De ſeipſo, ad Hugonē Thomaßinum rhetorem car. XC
G. Beringio, Ant. Perardo, & P. Galtero car. XCI
Ad eoſdem car. XCII
In frōte Noui teſtamenti, ad lectorē car. XCIII
Ad Ger. Ruſſellum Oleronen. præſulē car. XCIIII
In mulieres, ad Chriſtoph. Richeriū car. XCV
Εἰς τὰς αὐτὰς, ad eundem car.

car. XCVI
In eaſdem, ad eundem car. XCVII
Ad Iac. Alnetum Vindocinen. poëtã car. XCVIII
Ioan. Pithoo Iuriſcõſ. Trecenſi car. XCIX
Ioan. Ligæo car. C
D. Hērico Lautreco hero car. CI
In quendam iudicẽ car. CII
In eundem car. CIII
In fronte libri Clem. Maroti, ad lectorẽ car. CIIII
Norſio amico car. CV
Ad Ioannã Coſſeiam nympham car. CVI
Ioan. Vulteio Remenſi car. CVII
Ad ſeipſum, ode Sapph. car. CVIII
Ioan. Duperatio Lugdun. ſuppræfecto car. CIX
In fortunam car. CX
Steph. Bruno Turonenſi car. CXI
In fontani Cupidinis imaginem car. CXII
Dei opt. max. ὑπόγραμμα car. CXIII
In impios καὶ ἀθέους car. CXIIII
In meracum & dilutum car. CXV
In Venerem & Cupidinẽ car. CXVI
De P. Saliato, L. Querculo, C. Fontano car. CXVII
Ad Philippũ Coſſeiũ Conſtantien. pont. car. CXVIII
Mortem bonis adpetendam, malis metuendã eſſe, ad Chriſtoph. Richerium car. CXIX
In cæcum et claudum mendicos celebreis car. CXX
Εἰς γυναῖκα, ad Io. Rænerium car. CXXI
Εἰς τὰς αὐτάς car. CXXII
De ſeipſo car. CXXIII
In Zoilum car. CXXIIII
Ad Germanum Brixium car. CXXV

In eundem car. CXXVI
De pace & bello, ad L. Copum car. CXXVII
Ad Virginem Deiparam car. CXXVIII
Ioan. Rænerio car. CXXIX
Viri & roſæ comparatio, ad H. Tochetum car. CXXX
Ad Palingenium poëtam car. CXXXI
Ad Ioan. Borgionem Sueſſionem car. CXXXII
In quēdam ψευδεπισκόπων, & tyrannū immaniß. car. CXXXIII
Franciſco Beraldo Nicolai filio car. CXXXIIII
Antonio Perardo car. CXXXV
Ad uictorem Brodæum car. CXXXVI
Lectori car. CXXXVII
De Franc. Pucrio à Beneſtea, & eius fratre Carolo car. CXXXVIII
Ad Luciā Chriſtoph. Richerij poëtæ amicam car. CXXXIX
Ioan. Frotæo car. CXL
Paulo Galtero Matiſconen. car. CXLI
Ad Petrum Pyraltū Nanneten. car. CXLII
Ad Luc. Stellam, & Lauſam eius uxorem car. CXLIII
Diſtichon Græcū Menandri ex Stobæo car. CXLIIII
Latinè idem car. CXLV
Ad Album amicū CXLVI
Τιφάσιχορ Sibyllæ Latinè redditum car. CXLVII
Ad Deum opt. max. car. CXLVIII
Lectori car. CXLIX
Idem Latinè car. CL
Rubella Borbonium ſuū cōmendat Gul. Paradino car. CLI
Ad huius libri emptorem car. CLII
Ad Rubellam car. CLIII

Ad omnes lectores car. CLIIII
Ad amicos ignotos car. CLVI
Ad eruditos car. CLV

INDICIS NVGARVM FINIS.

PRAETEREA, *ſunt alia pleraque carmina, ſunt & priuæ priuis libris liminares epiſtolæ, cæq;* Borbonianæ *omnes, præter unam* Eraſmicam, *libri tertij liminarem, uidelicet:*

Epiſtola in librum primũ ad Franc. Tuanum, *uerſibus aliquot intertexta eſt.*

Epiſtola in librum ſecũdum ad Vuil. Boſtonum, *Græcanicas aliquot dictiones cum* Gallicano *noſtro uernaculo communeis, nonnullaq; epigrammata habet interſerta.*

Epiſtola in librum tertium Eraſmi *eſt ad poëtam* Borbonium.

Epiſtola in librum quartum ad Franc. Pucrium, *iudicium* Borbonij *de poëtis* Latinis, *& quædã alia, continet.*

Epiſtola in librum quintũ ad candidum lectorẽ, habet nonnihil uerſuum tum Græcorum, *tum* Latinorum: *cuius in calce carmen eſt* Sapphicum, *&* Græcũ *diſtichon ad pueros* Latine *redditum.*

Epiſtola in librũ ſextum ad Lucium Stellam, *bene longa eſt, uerſiculisq; quàm plurimis lectu non iniucundis*

iucundis referta.

Epiſtola in librum ſeptimum ad beneuolum lectorem, uerſus quoq; non pœnitendos habet.

Epiſtola in librum octauum ad Paulum Antoniũ Gadagnium, nihil uerſuum habet.

EXTRA NVGAS.

Epiſtola, ad Marg. à Francia, Nauarræ reginam.

Ad eandem car. I

Ad eandem car. II

Ad eandem car. III

Ad eandem car. IIII

Ad eandem car. V

Ad D. Ioannem à Lauallo Caſtri Briantij Toparchũ, Armoricæq; prouinciæ præſidem max. carmen.

Epiſtola ad D. Henricum Lautrecum Fuxæum, uerſiculos aliquot non illepidos complectens.

Ad eundem carmen Elegum.

Ad eundem carmen Sapphicum.

Mox de pace, & alia quædam, ſequuntur.

Rurſus uale, candide lector, & labore noſtro gratus fruere: Borbonioq; hero meo plura indies, ac meliora molienti, bene precare.

NICOLAVS BORBO-
NIVS DE SEIPSO.

Poſt tam multiplici confecta poëmata uerſu,
Si mihi Poſteritas eſſe benigna uolet,
Me ſaltem inter eos habeat, numeretq́; poëtas,
Præcipua Muſas qui coluere fide:
Omniaq́; ingenuis qui poſthabuere Camœnis,
Et præter nomen, concupiere nihil.

IDEM POETA, IN ZOILVM.

Ζωΐλ᾽ ἕως ἐμπνεῖς, περί μου λέγε πολλὰ, καὶ οὕτω
ποίει με κρατερὸν, σαυτὸν ἀκιδνότερον.

N. BOR-

N. BORBONIVS POETA
IN IMAGINEM SVI.

Corporis effigiem pictor ſæpe exprimit arte:
Forma animi nulla pingier arte poteſt.
Corpora corporeo mortalia lumine cernis,
O' homo: nota Deus pectora ſolus habet.

Δίστιχον.

Ἰταλοὶ οὓς ἄλλους ἰχέτω, καὶ Ἕλλας ἀοιδοὺς
Βουρβονίῳ γηθεῖ Λίγγονος ἱερὸς ἑῷ.

LATINÈ.

Vſq; ſuos iactent Itali Graiíq; poëtas:
Gaudet Borbonio Lingonis ora ſuo.

ERRATORVM ANNO TATIVNCVLA.

DE ERRATIS, AD LECTOREM NVGARVM.

Hæc ſunt paucula, quæ inter imprimendum
Errata, optime lector, adnotaui:
Si depræenderis ipſe plura, quæſo,
Caſtiga, atq; hominem eſſe me, memento.

Pagina 25. *Verſu* 16. *lege* ἵνι. 43.3. *tibi.* 88. 22. *epitaphion.* 88.21. *Nihil.* 92.19 βοσῶν. 107. 10. *lares.* 133.18. *epitaphion.* 170.25. *cladibus.* 221.14. *æther.* 242.16. *patentē.* 249.21. *quod.* 272.28. *quod, ſine accentu.* 333.23. *uidelicet.* 436.18. *ſit.* 484.23. ὀλβυωρ. 495.24. *ſcilicet.* 502.25. *Celebre.*

AD EVNDEM LECTOREM.

His oculos ſi plura meos fugêre legendo,
Corrige tu: & falli te quoq; poſſe, puta.

FINIS.

BASILEAE, PER HAE-
redes And. Cratandri, Men
ſe Auguſto, Anno
M. D. XL.